SUMMA THEOLOGIÆ MORALIS

IN TRES PARTES DISTRIBUTA,

IN QUA

Secundum Doctrinam ANGELICI DOCTORIS, omnes actus humani, sive morales, facili methodo explicantur

A P. FRANCISCO XAVERIO SOFFIETTI

CLERICORUM REGULARIUM MINORUM Sacræ Theologiæ Lectore.


PARS TERTIA

in qua traditur notitia de Actibus humanis in speciali, secundum eorum differentias,

PER QUINDECIM TRACTATUS.

Notatis etiam suis locis Propositionibus usque adhuc a Summis Pontificibus damnatis.

TOMUS QUINTUS.


PISAURI, MDCCXLV.

Prostant

VENETIIS

Apud NICOLAUM PEZZANA.





INDEX
TRACTATUUM, & CAPITULORUM
Tertiæ Partis
SUMMÆ THEOLOGIÆ MORALIS.

TRACTATUS PRIMUS.

De differentia Actuum humanorum secundum diversas gratias gratis datas.

TRACTATUS SECUNDUS.

De differentia actuum humanorum secundum distinctionem vitæ activæ, & contemplativæ.

TRACTATUS TERTIUS.

De differentia actuum humanorum secundum diversitatem officiorum, & statuum in generali.

TRACTATUS QUARTUS.

De his, quæ pertinent ad statum perfectionis in communi.

TRACTATUS QUINTUS.

De Voto ad statum perfectionis constituendum requisito.

TRACTATUS SEXTUS.

De Juramento statum perfectionis confirmante.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De his, quæ pertinent ad statum Episcoporum.

TRACTATUS OCTAVUS.

De his, quæ pertinent ad statum Religionis.

TRACTATUS NONUS.

De privilegiis statui religionis annexis.

TRACTATUS DECIMUS.

De his, quæ pertinent ad statum Clericorum.

TRACTATUS UNDECIMUS.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Caput

TRACTATUS

DUODECIMUS.

De Simonia.

TRACTATUS

DECIMUSTERTIUS.

De Immunitate Ecclesiastica.

TRACTATUS

DECIMUSQUARTUS.

De Festorum Sanctificatione.

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS. & Ultimus.

De Jejunio Ecclesiastico.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

SUM-



SUMMA THEOLOGIÆ MORALIS

Secundum Doctrinam DOCTORIS ANGELICI.

PARS TERTIA.

IN QUA

De actibus humanis in ſpeciali agitur ſecundum eorum differentias.

PROOEMIUM.



Oſtquam dictum eſt de ſingulis virtutibus, & vitiis, quæ pertinent ad omnium hominum conditiones, & ſtatus, nunc conſiderandum eſt de his, quæ ſpecialiter ad aliquos homines pertinent. Invenitur autem differentia inter homines ſecundum ea, quæ ad habitus, & actus animæ rationalis pertinent, tripliciter. Uno quidem modo ſecundum diverſas gratias gratis datas; quia, ut dicitur 1. ad Corinth. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt, & alii datur*

per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ &c. Alia vero differentia est secundum diversas vitas, Activam scilicet, & Contemplativam, quæ accipiuntur secundum diversa operationum studia; unde & ibidem dicitur, quod *Divisiones operationum sunt*. Aliud enim est studium operationis in Martha, *quæ solicita erat, & laborabat circa frequens ministerium;* quod pertinet ad vitam activam. Aliud autem est in Maria, *quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius;* quod pertinet ad contemplativam, ut habetur Luc. 10. Tertio modo secundum diversitatem officiorum, & statuum, prout dicitur ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores;* quod pertinet ad diversa ministeria, de quibus dicitur 1. ad Corinth. 12. *Divisiones ministrationum sunt*. De his igitur differentiis actuum humanorum in hac tertia parte summæ theologiæ moralis agendum est per quindecim tractatus, secundum doctrinam Angelici Doctoris, cujus vestigiis inhærentes, a recto tramite veritatis declinare non possumus. Sit igitur



TRA-

TRACTATUS PRIMUS.

De differentia actuum humanorum secundum diversas gratias gratis datas.

Circa gratias gratis datas attendendum est, quod quædam earum pertinent ad cognitionem, quædam vero ad locutionem, quædam vero ad operationem. Omnia vero, quæ ad cognitionem pertinent, sub prophetia comprehendi possunt. Nam prophetica revelatio se extendit non solum ad futuros hominum eventus, sed etiam ad res divinas, & quantum ad ea, quæ proponuntur omnibus credenda, quæ pertinent ad fidem, & quantum ad altiora mysteria, quæ sunt perfectorum, quæ pertinent ad Sapientiam. Est etiam prophetica revelatio de his, quæ pertinent ad spirituales substantias, a quibus vel ad bonum, vel ad malum inducimur: quod pertinet ad discretionem spirituum. Extendit etiam se ad directionem humanorum actuum, quod pertinet ad Scientiam, ut infra patebit. Et ideo in hoc tractatu primo occurrit considerandum de Prophetia, & de Raptu, qui est quidam prophetiæ gradus. Secundo de gratiis gratis datis, quæ pertinent ad locutionem, scilicet de dono linguarum, & de sermone Sapientiæ, seu Scientiæ. Tertio de gratia miraculorum, quæ ad operationem pertinet. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

De essentia Prophetiæ. S. Thom. 2. 2. quæst. 171.

De Prophetia quadruplex consideratio occurrit, quarum prima est de essentia ejus. Secunda de causa ipsius. Tertia de modo propheticæ cognitionis. Quarta de divisione prophetiæ. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod prophetia primo, & principaliter consistit in cognitione; quia videlicet prophetæ cognoscunt ea, quæ sunt procul, & remota ab hominum cognitione. Unde possunt dici prophetæ a pro, quod est procul, & phanos, quod est apparitio: quia scilicet eis aliqua, quæ sunt procul, apparent. Et propter hoc, ut Isidor. dicit in lib. 7. Ethymol. cap. 8. *In veteri testamento appellabantur videntes, quia videbant ea, quæ cæteri non videbant, & prospiciebant, quæ in mysterio abscondita erant*. Unde & gentilitas eos appellabat Vates a vi mentis. Sed, quia, ut dicitur I. ad Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*; inde est, quod prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetæ ea, quæ divinitus edocti cognoscunt, ad ædificationem aliorum annunciant, secundum illud Isa. 21. *Quæ audivi a Domino exercituum, Deo Israel, annunciavi vobis*. Et secundum hoc, ut Isidor. dicit ibid. possunt dici prophetæ, quasi præfatores; eo, quod porro fantur, id est a remotis fantur, & de futuris vera prædicunt. Ea autem, quæ supra humanam cognitionem divinitus revelantur, non possunt confirmari ratione humana, quam excedunt, sed secundum operationem virtutis divinæ. Unde tertio ad prophetiam pertinet operatio miraculorum; quasi confirmatio quædam propheticæ annunciationis.

Sciendum II. Quod, sicut Apost. dicit ad Ephes. 5. *Omne, quod manifestatur, lumen est*; quia videlicet, sicut manifestatio corporalis visionis fit per lumen corporale, ita etiam manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale. Oportet ergo, quod manifestatio proportionetur lumini; per quod fit; sicut effectus proportionatur suæ causæ. Cum ergo prophetia pertineat ad cognitionem, quæ supra naturalem rationem existit, ut dictum est, consequens est, quod ad prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale excedens lumen naturalis rationis. Unde Michææ 7. *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est*. Lumen autem dupliciter alicui inesse po-

test. Uno modo per modum formæ permanentis; sicut lumen corporale est in sole, & in igne. Alio modo per modum cujusdam passionis, sive impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere. Lumen autem propheticum non est in intellectu prophetæ per modum formæ permanentis, alias oporteret, quod semper prophetæ adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum; unde Helisæus dixit de muliere Sunamite 4. Reg. 4. *Anima ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi*. Relinquitur ergo, quod lumen propheticum insit animæ prophetæ per modum cujusdam passionis, vel impressionis transeuntis. Quapropter non est habitus.

Sciendum III. Quod, sicut aer semper indiget nova illuminatione, ita etiam mens prophetæ semper indiget nova revelatione; sicut discipulus, qui nondum est adeptus principia artis, indiget, ut de singulis instruatur. Unde & Isai. 50. dicitur: *Mane erigit mihi aurem, & audiam quasi magistrum*. Et hoc etiam modus loquendi prophetarum designat, secundum quod dicitur, locutus est Dominus ad talem, vel talem prophetam, aut, quod factum est verbum Domini, sive manus Domini super eum. Habitus autem est forma permanens: unde manifestum est, quod prophetia, proprie loquendo, non est habitus. Cæterum, sicut in rebus corporalibus, abeunte passione, remanet quædam habilitas ad hoc, quod iterum patiantur, sicut lignum semel inflammatum facilius iterum inflammatur: ita etiam in intellectu prophetæ, cessante actuali illustratione, remanet quædam habilitas ad hoc, quod facilius iterato illustretur: sicut etiam mens semel ad devotionem excitata facilius postmodum ad devotionem pristinam revocatur. Propter quod August. in lib. de orando Deum cap. 9. dicit, esse necessarias crebras orationes, ne concepta devotio totaliter extinguatur. Et ratione hujus habilitatis aliquis propheta dicitur.

Sciendum IV. Quod manifestatio, quæ fit per aliquod lumen, ad omnia illa se extendere potest, quæ illi lumini subjiciuntur: sicut visio corporalis se extendit ad omnes colores, & cognitio naturalis animæ se extendit ad omnia illa, quæ subduntur lumini intellectus agentis. Cognitio autem prophetica est per lumen divinum, quo possunt omnia cognosci, tam divina, quam humana, tam spiritualia, quam corporalia. Et ideo revelatio prophetica ad omnia hujusmodi se extendit, sicut de his, quæ pertinent ad Dei excellentiam, & Angelicorum spirituum ministeria revelatio prophetica facta est Isai. 6. ubi dicitur. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum*. Quin etiam prophetia continet ea, quæ pertinent ad corpora naturalia, secundum illud Isa. 40. *Qui mensus est pugillo aquas &c.* Continet etiam ea, quæ ad mores hominum pertinent, secundum illud Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum*. Continet etiam ea, quæ pertinent ad futuros eventus, secundum illud Isa. 47. *Venient tibi duo in die una subito, sterilitas, & viduitas*.

Sciendum V. Quod, quia prophetia est de his, quæ procul a nostra cognitione sunt, tanto aliqua magis proprie ad prophetiam pertinent, quanto longius ab humana cognitione existunt. Horum autem est triplex gradus, quorum unus est eorum, quæ sunt procul a cognitione hujus hominis, sive secundum sensum, sive secundum intellectum, non autem a cognitione omnium hominum: sicut sensu cognoscit homo, quæ sunt sibi præsentia secundum locum, quæ tamen alius humano sensu, utpote sibi absentia, non cognoscit. Et sic Helisæus prophetice cognovit, quæ Giezi discipulus ejus in absentia fecerat, ut habetur 4. Reg. 5. Et similiter cogitationes cordis unius alteri prophetice manifestantur, ut dicitur 1. ad Corinth. 14. & per hunc modum etiam ea, quæ unus scit demonstrative, alii possunt prophetice revelari. Secundus autem gradus est eorum, quæ excedunt universaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundum se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanæ, sicut mysterium Trinitatis, quod revelatum est per Seraphim dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* ut habetur Isa. 6. Ultimus autem gradus est eorum, quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione: quia in se ipsis non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Et, quia quod est universali-

ter,

ter, & secundum se, potius est eo, quod est particulariter, & per aliud; ideo ad prophetiam propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum: unde & nomen prophetiæ sumi videtur. Unde Gregor. dicit hom. I. in Ezech. *Et, cum ideo prophetia dicta sit, quia futura prædicat, quando de præterito, vel præsenti loquutur, rationem sui nominis amittit*.

Sciendum VI. Quod diversa non est necesse esse simul, nisi propter aliquod unum, in quo connectuntur, & a quo dependent, sicut dictum est in prima parte, quod virtutes omnes necesse est esse simul propter prudentiam, vel charitatem: Omnia autem, quæ per aliquod principium cognoscuntur, connectuntur in illo principio, & ab illo dependent. Et ideo, qui cognoscit perfecte principium secundum totam ejus virtutem, simul cognoscit omnia, quæ per illud principium cognoscuntur. Ignorato autem communi principio, vel communiter apprehenso, nulla necessitas est simul omnia cognoscendi, sed unumquodque eorum per se oportet manifestari; & per consequens aliqua eorum possunt cognosci, & alia non cognosci. Principium autem eorum, quæ divino lumine prophetice manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetæ in se ipsa non vident; & ideo non oportet, quod omnia prophetabilia cognoscant: sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem hujus, vel illius rei. Prophetia igitur est, sicut quiddam imperfectum in genere divinæ revelationis. Unde I. ad Corinth. 13. dicitur quod ex parte prophetamus, id est imperfecte. Perfectio autem divinæ revelationis erit in patria: unde subditur: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*.

Sciendum VII. Quod mens prophetæ dupliciter a Deo instruitur. Uno modo per expressam revelationem. Alio modo per quendam instinctum occultissimum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, ut August. dicit 2. super Gen. ad liter. cap. 17. In his ergo, quæ expresse per spiritum prophetiæ propheta cognoscit, maximam certitudinem habet, & pro certo habet, quod hæc sunt divinitus sibi revelata. Alioquin, si de hoc ipse certitudinem non haberet, fides, quæ dictis prophetarum innititur, certa non esset. Sed ad ea, quæ cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet, ut non plene discernere possit, utrum hæc cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium. Non autem omnia, quæ cognoscimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur: talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiæ. Ne tamen error ex hoc possit accidere, per spiritum Sanctum citius correcti, ab eo, quæ vera sunt, audiunt, & semetipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt, ut dicit Gregor. hom. I. in Ezech.

Sciendum VIII. Quod, sicut ex dictis patet, prophetia est quædam cognitio intellectui prophetæ impressa ex revelatione divina per modum cujusdam doctrinæ. Veritas autem cognitionis est eadem in discipulo, & in docente; quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis: sicut etiam in rebus naturalibus forma generati est similitudo quædam formæ generantis. Et per hunc modum Hier. dicit, quod prophetia est quoddam signum divinæ præscientiæ. Oportet igitur eandem esse veritatem propheticæ cognitionis, & enunciationis, quæ est cognitionis divinæ, cui impossibile est subesse falsum. Unde prophetiæ non potest subesse falsum. Notandum tamen, quod quandoque revelatio prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis, & talia sic eveniunt, sicut prophetantur. Quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo divinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus; & tunc quandoque aliter evenit, quam prophetetur, nec tamen prophetiæ subest falsum. Nam sensus prophetiæ est, quod inferiorum causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum, hoc habet, ut talis effectus eveniat, & secundum hoc intelligitur illud Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*.

CAPUT II.

De causa prophetiæ. 2. 2. quæst. 172.

DEinde considerandum est de causa prophetiæ, de qua dicitur 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines*. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, prophetica præcognitio potest esse de futuris dupliciter. Uno modo, secundum quod sunt in seipsis. Alio modo, secundum quod sunt in suis causis. Præcognoscere autem futura, secundum quod sunt in seipsis, est proprium divini intellectus, cujus æternitati sunt omnia præsentia; & ideo talis præcognitio futurorum non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina. Futura vero in suis causis possunt præcognosci naturali cognitione etiam ab homine: sicut medicus præcognoscit sanitatem, vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento præcognovit. Imo etiam bruta animalia habent præcognitionem futurorum eventuum ex suis causis, a quibus phantasia eorum movetur magis, quam hominum. Ratio autem facit in homine multo abundantius id, quod in brutis facit impressio causarum naturalium.

Sciendum II. Quod præcognitio futurorum eventuum, quæ habetur ex causis naturalibus, differt ab ea, quæ habetur ex revelatione divina, dupliciter. Primo quidem, quia illa, quæ est ex revelatione divina, potest esse quorumcumque eventuum, & infallibiliter. Præcognitio autem, quæ naturaliter haberi potest, est circa quosdam effectus, ad quos potest se extendere experientia humana. Secundo, quia prima præcognitio est secundum immobilem veritatem: non autem ea, quæ naturaliter haberi potest, quia potest ei subesse falsum. Prima autem præcognitio proprie pertinet ad prophetiam, non vero secunda, quia prophetica cognitio est eorum, quæ naturaliter excedunt humanam cognitionem, ut ex supra dictis patet. Et ideo dicendum est, quod prophetia simpliciter dicta non potest esse a natura, sed solum ex revelatione divina.

Sciendum III. Quod, sicut Apostolus dicit ad Rom. 13. *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt*. Habet autem hoc divinitatis ordo, sicut Dionys. dicit 4. c. Eccl. hier. ut inferiora per media disponat. Angeli autem medii sunt inter Deum, & homines: & ideo illuminationes, & revelationes divinæ a Deo ad homines per Angelos deferuntur. Prophetica autem cognitio fit per illuminationem, & revelationem divinam: unde manifestum est, quod fiat per Angelos. Et ideo Dionys. dicit ibid. *Divinas visiones gloriosi patres nostri adepti sunt per medias cœlestes virtutes*. Gratiæ igitur gratis datæ attribuuntur ab Apostol. 1. ad Cor. 12. Spiritui Sancto, sicut primo principio, qui tamen operatur hujusmodi gratias in hominibus, mediante ministerio Angelorum. Operatio enim instrumenti attribuitur principali agenti, in cujus virtute instrumentum agit.

Sciendum IV. Quod, sicut dictum est, prophetia vere, & simpliciter dicta est ex inspiratione divina: quæ autem est ex causa naturali, non dicitur prophetia, nisi secundum quid. Est autem considerandum, quod, sicut Deus, qui est causa universalis, in agendo non præexigit materiam, nec aliquam materiæ dispositionem in corporalibus effectibus, sed simul potest & materiam, & dispositionem, & formam inducere: ita etiam in effectibus spiritualibus non præexigit aliquam dispositionem, sed potest simul cum effectu spirituali inducere dispositionem convenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturæ. Et ulterius posset etiam simul per creationem producere ipsum subjectum, ut scilicet animam, & in ipsa sui creatione disponeret ad prophetiam, & daret ei gratiam propheticam. Unde dicit Apost. 1. ad Cor. 12. *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*.

Sciendum V. Quod prophetia potest esse sine charitate, quod apparet ex duobus. Primo quidem ex actu utriusque, nam prophetia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis, quem perficit charitas. Unde & Apost. 1. ad Cor. 13. prophetiam connumerat aliis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt sine charitate haberi. Secundo ex fine utriusque. Datur enim prophetia ad utilitatem Ecclesiæ, sicut

cut & aliæ gratiæ gratis datæ, secundum illud Apost. 1. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*. Non autem ordinatur directe ad hoc, quod affectus ipsius prophetæ conjungatur Deo, ad quod ordinatur charitas: & ideo prophetia potest esse sine bonitate morum, quantum ad propriam radicem hujus bonitatis, quæ est charitas. Si vero consideremus bonitatem morum secundum passiones animi, & actiones exteriores, secundum hoc impeditur aliquis a prophetia per morum malitiam. Nam ad prophetiam requiritur maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam passionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum.

Sciendum VI. Quod prophetia importat cognitionem quandam procul existentem a cognitione humana. Manifestum est autem, quod intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quæ sunt remota a cognitione intellectus inferioris. Supra autem intellectum humanum est non solum intellectus Divinus, sed etiam intellectus Angelorum bonorum, & malorum secundum naturæ ordinem. Et ideo quædam cognoscunt dæmones etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus revelare. Simpliciter autem, & maxime remota sunt, quæ solus Deus cognoscit. Et ideo prophetia proprie, & simpliciter dicta fit per solam divinam revelationem; sed ipsa revelatio facta per dœmones potest secundum quid dici prophetia. Unde illi, quibus aliquid per dœmones revelatur, non dicuntur in scripturis prophetæ simpliciter, sed cum aliqua additione, puta, prophetæ falsi, vel prophetæ idolorum.

Sciendum VII. Quod, sicut se habet bonum in rebus, ita verum in cognitione. Impossibile est autem inveniri aliquid in rebus, quod totaliter bono privetur, unde etiam impossibile est, esse aliquam cognitionem, quæ totaliter sit falsa, absque admixtione alicujus veritatis. Unde & Beda dicit, quod nulla falsa est doctrina, quæ non aliquando aliqua vera falsis intermisceat, sicut etiam dicit Aug. in 2. q. Evangel. cap. 40. Unde & ipsa doctrina dœmonum, qui suos prophetas instruunt, aliqua vera continet, per quæ receptibilis redditur. Sic enim intellectus ad falsum deducitur per apparentiam veritatis: sicut voluntas ad malum per apparentiam bonitatis. Unde & Chrysost. dicit hom. 19. in Matth. in op. imp. *Concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet*. Et ideo dicitur 2. Cor. 11. *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*.

CAPUT III.

De modo propheticæ cognitionis. 2. 2. quæst. 173.

Deinde considerandum est de modo propheticæ cognitionis. Circa quod

Sciendum I. Quod prophetia importat cognitionem divinam ut procul existentem. Unde & de Prophetis dicitur Hebr. 11. quod erant a longe aspicientes. Illi autem, qui sunt in patria, in statu beatitudinis existentes non vident, ut a remotis, sed magis quasi ex propinquo, secundum illud Psal. 139. *Habitabunt recti cum vultu tuo*. Unde manifestum est, quod cognitio prophetica alia est a cognitione perfecta, quæ erit in patria. Unde & distinguitur ab ea, sicut imperfectum a perfecto, & ea adveniente evacuatur, ut patet per Apostolum 1. ad Corinth. 13. Et ideo dicendum, quod visio prophetica non est visio ipsius divinæ essentiæ, neque in ipsa divina essentia vident ea, quæ vident, sed in quibusdam similitudinibus secundum illustrationem divini luminis, sicut Dionys. dicit in 4. c. cœl. hier. Et hujusmodi similitudines divino lumine illustratæ habent rationem speculi æternitatis, in quantum resultat ibi similitudo veritatis divinæ præscientiæ.

Sciendum II. Quod, sicut Aug. dicit 12. super Gen. ad litter. c. 9. Cognitio prophetica maxime ad mentem pertinet. Circa cognitionem autem humanæ mentis duo oportet considerare, scilicet acceptionem, sive repræsentationem rerum, & judicium de rebus repræsentatis. Per donum autem prophetiæ confertur aliquid humanæ menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque, scilicet & quantum ad judicium, per influxum luminis intellectualis, & quantum ad acceptionem, seu repræsentationem rerum,

quæ fit per aliquas species. Horum autem primum principalius est in prophetia, quia judicium est completivum cognitionis. Et ideo, si cui fiat divinitus repræsentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias, ut Pharaoni; aut etiam per similitudines corporales, ut Balthasari, non est talis censendus propheta, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum. Erit autem prophetia, si solummodo intellectus ejus illuminetur ad judicandum etiam ea, quæ ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Joseph, qui exposuit somnium Pharaonis. Sed, sicut Aug. dicit ibid. *Maxime propheta est, qui utroque excellit, ut scilicet videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, & eas vivacitate mentis intelligat.*

Sciendum III. Quod repræsentantur quandoque divinitus menti prophetæ, mediante sensu, exterius quædam formæ sensibiles, sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur Dan. 5. Quandoque autem per formas imaginarias, sive omnino divinitus impressas, non per sensum acceptas, puta, si alicui cœco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines; vel etiam divinitus ordinatas ex his, quæ a sensibus sunt acceptæ, sicut Jeremias vidit ollam succensam a facie aquilonis, ut habetur Jer. 1. sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti, sicut patet de his, qui accipiunt Scientiam, vel Sapientiam infusam, sicut Salomon, & Apostoli. Lumen autem intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanæ divinitus ad dijudicandum ea, quæ ab aliis visa sunt, sicut dictum est de Joseph, & sicut patet de Apostolis, quibus Dominus aperuit sensum, ut intelligerent scripturas, Luc. 24. & ad hoc pertinet interpretatio sermonum; sive etiam ad dijudicandum secundum divinam veritatem ea, quæ cursu naturali homo apprehendit: sive etiam ad dijudicandum veraciter, & efficaciter ea, quæ agenda sunt, secundum illud Isaiæ 63. *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Sic igitur patet, quod prophetica revelatio quandoque quidem fit per solam luminis influentiam, quandoque autem per species de novo impressas, vel aliter ordinatas.

Sciendum IV. Quod, sicut ex dictis patet, prophetica revelatio fit secundum quatuor, scilicet secundum influxum intelligibilis luminis, secundum immissionem intelligibilium specierum, secundum impressionem, vel ordinationem imaginabilium formarum, & secundum expressionem formarum sensibilium. Manifestum est autem, quod non fit abstractio a sensibus, quando aliquid repræsentatur menti prophetæ per species sensibiles. Similiter etiam non est necesse, ut fiat alienatio a sensibus exterioribus per hoc, quod mens prophetæ illustratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus speciebus, quia in nobis perfectum judicium intellectus habetur per conversionem ad sensibilia, quæ sunt prima nostræ cognitionis principia. Sed quando revelatio prophetica fit secundum formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem a sensibus, ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea, quæ exterius sentiuntur. Nihilominus

Sciendum V. Quod abstractio a sensibus quandoque fit perfecte, ut scilicet nihil homo sensibus percipiat: quandoque autem imperfecte, ut scilicet aliquid percipiat sensibus, non tamen plene discernat ea, quæ exterius percipit, ab his, quæ imaginabiliter videt. Unde Aug. dicit 12. super Gen. ad litter. c. 12. *Sic videntur, quæ in spiritu sunt, imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus, ita ut simul cernatur homo aliquis præsens oculis, & absens alius spiritu, tanquam oculis.* Talis autem alienatio a sensibus non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturæ, sicut in arreptitiis, vel in furiosis, sed per aliquam causam ordinatam, vel naturalem, sicut per somnium, vel spiritualem, sicut per contemplationis vehementiam, sicut de Petro legitur Act. 10. quod *cum oraret in cœnaculo, factus est in excessu mentis*; vel virtute divina rapiente, secundum illud Ezech. 1. *Facta est super eum manus Domini.*

Sciendum VI. Quod in revelatione prophetica movetur mens prophetæ a Spiritu Sancto, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis. Movetur autem mens prophetæ non solum ad aliquid apprehendendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum: & quandoque quidem ad omnia tria simul, quan-

quandoque autem ad duo horum, quandoque vero ad unum tantum. Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam, cum mens prophetæ movetur ad aliquid æstimandum, vel apprehendendum, quandoque quidem inducitur ad hoc, quod solum apprehendat rem illam: quandoque autem ulterius ad hoc, quod cognoscat, hæc sibi esse divinitus revelata. Similiter etiam quandoque movetur mens prophetæ ad aliquid loquendum, aut faciendum, ita, quod intelligat id, quod per hæc verba, aut facta Spiritus Sanctus intendit: quandoque autem ita, quod non intelligat id, quod Spiritus Sanctus intendit significare.

Sciendum VII. Quod, cum aliquis cognoscit, se moveri a Spiritu Sancto ad aliquid æstimandum, vel significandum verbo, vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet. Cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia sed quidam instinctus propheticus. Considerandum tamen, quod, quia mens prophetæ est instrumentum deficiens, ut dictum est, respectu principalis agentis, scilicet Spiritus Sancti, a quo movetur; etiam veri prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit. Semper tamen ad prophetiam proprie dictam requiritur illustratio divini luminis, quo intelligant prophetæ, se a Spiritu Sancto moveri, & cum etiam intelligunt ea, quæ revelantur, tunc est perfecta prophetia. Unde August. dicit 12. super Gen. ad litter. c. 9. *Quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia. Intelligentia enim opus est in visione*, ut dicitur Daniel. 10.

CAPUT IV.

De divisione prophetiæ. 2. 2. quæst. 174.

DEinde considerandum est de divisione prophetiæ, quam tradit Glos. quæ dicitur esse Hieron. in Matth. 1. scilicet, prædestinationis, præscientiæ, & comminationis. Et de gradibus prophetiæ. Circa quod

Sciendum I. Quod species habituum, & actuum in moralibus distinguuntur secundum objecta. Objectum autem prophetiæ est id, quod est in cognitione divina supra humanam facultatem existens: & ideo secundum horum differentiam prophetia distinguitur in diversas species, secundum prius dictam divisionem. Dictum est autem supra, quod futurum est in divina cognitione dupliciter. Uno modo prout est in sua causa, & sic prophetia comminationis accipitur, quæ non semper impletur, sed per eam prænunciatur ordo causæ ad effectum, qui quandoque aliis supervenientibus impeditur. Alio modo præcognoscit Deus aliqua in seipsis, vel ut fienda ab ipso, & horum est prophetia prædestinationis: quia secundum Damasc. lib. 2. c. 30. *Deus prædestinat ea, quæ non sunt in nobis*: vel, ut fienda per liberum arbitrium hominis, & sic est prophetia præscientiæ, quæ potest esse bonorum, & malorum, quod non contingit de prophetia prædestinationis, quæ est bonorum tantum.

Sciendum II. Quod quia prædestinatio sub præscientia comprehenditur, ideo in Gloss. ord. in principio Psalterii ponitur tantum duplex prophetiæ species, scilicet, secundum præscientiam, & secundum comminationem. Ubi notandum, quod præscientia proprie dicitur præcognitio futurorum eventuum, prout in se ipsis sunt, & secundum hoc ponitur species prophetiæ a prophetia comminationis distincta. Prout autem dicitur respectu futurorum eventuum, sive secundum quod in se ipsis sunt, sive secundum quod sunt in suis causis, communiter se habet ad omnem speciem prophetiæ. Præterea notandum, quod prophetia promissionis comprehenditur sub prophetia comminationis, quia eadem est ratio veritatis in utraque. Denominatur autem magis a comminatione, quia Deus pronior est ad relaxandum pœnam, quam ad subtrahendum promissa beneficia.

Sciendum III. Quod dignitas eorum, quæ sunt ad finem, præcipue consideratur ex fine. Finis autem prophetiæ est manifestatio alicujus veritatis supra hominem existens; unde quanto hujusmodi manifestatio est potior, tanto prophetia est dignior. Manifestum est autem, quod manifestatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam

dam contemplationem ipsius veritatis, potior est, quam illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerum: magis enim appropinquat ad visionem patriæ, secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur. Et inde est, quod prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur, secundum intellectualem visionem, est dignior, quam illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundum imaginariam visionem. Et ex hoc etiam ostenditur mens prophetæ sublimior, sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem a magistro nude prolatam capere potest, quam ille, qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manu duci. Unde in commendationem prophetiæ David dicitur, 2. Reg. 23. *Mihi locutus est fortis Israel:* (& postea subdit) *sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat.*

Sciendum IV. Quod prophetia importat quandam obscuritatem, & remotionem ab intelligibili veritate; & ideo magis proprie dicuntur prophetæ, qui vident per imaginariam visionem, quamvis illa prophetia sit nobilior, quæ est per intellectualem visionem; dummodo tamen sit eadem veritas utrobique revelata. Si vero lumen intellectuale alicui divinitus infundatur, non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed ad judicandum secundum certitudinem veritatis divinæ ea, quæ humana ratione cognosci possunt; sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quæ est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem, cujusmodi prophetiam habuerunt omnes illi, qui numerantur in ordine prophetarum, qui etiam ex hoc specialiter dicuntur prophetæ, quia prophetico officio fungebantur. Unde & ex persona Domini loquebantur, dicentes ad populum: *Hæc dicit Dominus*; quod non faciebant illi, qui hagiographa conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his, quæ humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex persona propria, cum adjutorio tamen divini luminis.

Sciendum V. Quod quando aliqua supernaturalis veritas revelanda est per similitudines corporales, tunc magis est propheta, qui utrumque habet, scilicet lumen intellectuale, & imaginariam visionem, quam ille, qui habet alterum tantum, quia perfectior est prophetia: & quantum ad hoc dicit Aug. 12. super Gen. ad litter. c. 9. *Minus est propheta, qui rerum, quæ significantur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt, & magis est propheta, qui solo eorum intellectu est præditus; sed maxime propheta est, qui utroque præcellit.* Sed illa prophetia, in qua revelatur nude intelligibilis veritas, est omnibus potior. Considerandum tamen, quod illustratio divini radii in vita præsenti non fit sine velaminibus phantasmatum qualiumcumque: quia connaturale est homini secundum statum præsentis vitæ, ut non intelligat sine phantasmate. Unde Dionys. dicit 1. c. Cœlest. hier. *Impossibile est nobis superlucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Quandoque tamen sufficiunt phantasmata, quæ communi aliquo modo a sensibus abstrahuntur, nec exigitur aliqua visio imaginaria divinitus procurata. Et sic dicitur revelatio prophetica fieri sine imaginaria visione.

Sciendum VI. Quod, sicut patet ex dictis, prophetia, in qua per lumen intelligibile revelatur aliqua veritas supernaturalis per imaginariam visionem, medium gradum tenet inter illam prophetiam, in qua revelatur supernaturalis veritas absque imaginaria visione, & illam, in qua per lumen intelligibile absque imaginaria visione dirigitur homo ad ea cognoscenda, vel agenda, quæ pertinent ad humanam conversationem. Magis autem est proprium prophetiæ cognitio, quam operatio: & ideo infimus gradus prophetiæ est, cum aliquis ex interiori instinctu movetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Sampsone dicitur Judic. 15. *Irruit spiritus Domini in eum: & , sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita & vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.* Secundus autem gradus prophetiæ est, cum aliquis ex interiori lumine illustratur ad cognoscendum aliqua, quæ tamen non excedunt limites naturalis cognitionis: sicut dicitur de Salomone, 3. Reg. 4. *Dedit Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & dispu-*

tu

vit super lignis &c. Hi autem duo gradus sunt infra prophetiam proprie dictam, quia non attingunt ad supernaturalem veritatem.

Sciendum VII. Quod illa prophetia, in qua manifestatur supernaturalis veritas per imaginariam visionem, diversificatur primo, secundum differentiam somnii, quod fit in dormiendo, & visionis, quæ fit in vigilando, quæ pertinet ad altiorem gradum prophetiæ: quia major vis prophetici luminis esse videtur, quæ aliquem occupatum circa sensibilia in vigilando abstrahit ad supernaturalia, quam illa, quæ animam hominis abstractam a sensibilibus invenit in dormiendo. Secundo autem diversificatur gradus prophetiæ quantum ad expressionem signorum imaginabilium, quibus veritas intelligibilis exprimitur. Et, quia signa maxime expressa sunt verba, ideo altior gradus prophetiæ videtur, quando propheta audit verba exprimentia intelligibilem veritatem, sive in vigilando, sive in dormiendo, quam quando videt aliquas res significativas veritatis. In quibus etiam signis, tanto videtur prophetia esse altior, quanto signa sunt magis expressa. Tertio ostenditur altior esse gradus prophetiæ, quando propheta non solum videt signa verborum, vel factorum, sed etiam videt, vel in vigilando, vel in dormiendo, aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem: quia per hoc ostenditur, quod mens prophetæ magis appropinquat ad causam revelantem. Quarto potest attendi altitudo gradus prophetalis ex conditione ejus, qui videtur. Super omnes autem hos gradus est tertium genus prophetiæ, in quo intelligibilis veritas, & supernaturalis absque imaginaria visione ostenditur, quæ tamen excedit rationem prophetiæ proprie dictæ, ut dictum est. Et ideo consequens est, quod gradus prophetiæ proprie dictæ distinguantur secundum imaginariam visionem.

Sciendum VIII. Quod prophetia importat visionem quandam alicujus supernaturalis veritatis, ut procul existentis. Quod quidem contingit esse dupliciter. Uno modo ex parte ipsius cognitionis; quia videlicet veritas supernaturalis non cognoscitur in se ipsa, sed in aliquibus suis effectibus. Et adhuc erit magis procul, si hoc fit per figuras corporalium rerum, quam per intelligibiles effectus: & talis maxime est visio prophetica, quæ fit per figuras, & similitudines corporalium rerum. Alio modo visio est procul ex parte ipsius videntis, qui scilicet non est totaliter in ultimam perfectionem adductus, secundum illud 2. ad Cor. 5. *Quamdiu in corpore sumus, peregrinamur a Domino.* Neutro autem modo Beati sunt prophetæ: unde non possunt dici prophetæ. Unde colliges duo. Primum videlicet, quod visio Moysis, qua vidit essentiam Dei, fuit raptim per modum passionis, non autem permanens per modum beatitudinis: unde adhuc vivens erat procul, & propter hoc non totaliter talis visio amittit rationem prophetiæ. Secundum vero, quod Christus Dominus simul erat comprehensor, & viator. In quantum ergo erat comprehensor, non competit sibi ratio prophetiæ, sed solum in quantum erat viator. Et ideo 2. Petri 1. Sermo propheticus comparatur *lucernæ lucenti in caliginoso loco*. In beatis autem nulla est caligo.

CAPUT V.

De Raptu prout est species prophetiæ. 2. 2. quæst. 175.

Deinde considerandum est de raptu, prout est species quædam prophetiæ. Circa quod

Sciendum I. Quod raptus violentiam quandam importat. Violentum autem dicitur, cujus principium est extra, nil conferente eo, quod vim patitur, ut dicitur in 3. Eth. c. 1. Confert autem unumquodque ad id, in quod tendit secundum propriam inclinationem: & ideo oportet, quod ille, qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur in aliquid, quod est diversum ab eo, in quod ejus inclinatio tendit. Quæ quidem diversitas attenditur dupliciter. Uno quidem modo quantum ad finem inclinationis, puta, si lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc, quod feratur deorsum, projiciatur sursum. Alio modo quantum ad modum tendendi, puta, si lapis velocius projiciatur deorsum, quam sit motus ejus naturalis. Hoc supposito,

Sciendum II. Quod sic anima hominis dupli-

dupliciter dicitur rapi in id, quod est præter naturam. Uno modo quantum ad terminum raptus, puta, quando rapitur ad pœnas, secundum illud Psal. 49. *Ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat*. Alio modo quantum ad modum homini connaturalem, qui est, ut per sensibilia intelligat veritatem: & ideo, quando abstrahitur a sensibilium apprehensione, dicitur rapi, etiamsi elevetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur; dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, sicut accidit in somno, qui est secundum naturam: unde non potest proprie raptus dici.

Sciendum III. Quod hujusmodi abstractio, ad quæcumque fiat, potest ex triplici causa contingere. Uno modo ex causa corporali; sicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secundo modo ex virtute dæmonum; sicut patet in arreptitiis. Tertio modo ex virtute divina: & sic loquimur nunc de raptu, prout scilicet aliquis spiritu divino elevatur ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus, secundum illud Ezech. 8. *Spiritus elevavit me inter cœlum, & terram, & adduxit me in Jerusalem in visione Dei*. Sciendum tamen, quod rapi quandoque dicitur aliquis, non solum propter alienationem a sensibus, sed etiam propter alienationem ab his, quibus intendebat: sicut, cum aliquis, patitur evagationem mentis præter propositum: sed hoc non ita proprie dicitur.

Sciendum IV. Quod ad modum, & dignitatem hominis pertinet, quod ad divina elevetur ex hoc ipso, quod homo factus est ad imaginem Dei. Et, quia bonum divinum in infinitum excedit humanam facultatem, indiget homo, ut supernaturaliter ad illud bonum capessendum adjuvetur, quod fit per quodcumque beneficium gratiæ. Unde, quod sic elevetur mens a Deo per raptum, non est contra naturam, sed supra facultatem naturæ. Sed quia ad ea, quæ excedunt liberi arbitrii facultatem, necesse est, quod homo quadam fortiori virtute, & operatione eleveturs ideo, quantum ad aliquid, hæc elevatio potest dici coactio, si scilicet attendatur modus operationis: non tamen, si attendatur terminus operationis, in quem natura hominis, & ejus intentio ordinatur.

Sciendum V. Quod de raptu dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad id, in quod aliquis rapitur. Et sic proprie loquendo, raptus non potest pertinere ad vim appetitivam, sed solum ad cognoscitivam. Dictum est enim, quod raptus est præter propriam inclinationem ejus, quod rapitur; ipse autem motus appetitivæ virtutis est quædam inclinatio ad bonum appetibile. Unde, proprie loquendo, ex hoc, quod homo appetit aliquid, non rapitur, sed per se movetur. Alio modo potest considerari raptus quantum ad suam causam; & sic potest habere causam ex parte appetitivæ virtutis. Ex hoc enim ipso, quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur. Habet etiam effectum in appetitiva virtute, cum scilicet aliquis delectatur in his, ad quæ rapitur.

Sciendum VI. Quod raptus addit aliquid supra extasim. Nam extasis importat simpliciter excessum a se ipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationom ponitur: sed raptus super hoc addit violentiam quamdam. Potest igitur extasis ad vim appetitivam pertinere, puta, cum aliquis appetitus tendit in ea, quæ extra ipsum sunt: & secundum hoc Dionys. dicit 4. c. de div. nom. *Est autem extasim faciens divinus amor*; in quantum scilicet facit appetitum hominis tendere in res amatas. Unde postea subdit. *Etiam ipse Deus, qui est omnium causa, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra se ipsum fit per providentiam ad omnia existentia*, quamvis etiam, si expresse hoc diceretur de raptu, non designaretur, nisi, quod amor esset causa raptus.

Sciendum VII. Quod dupliciter homo secundum appetitum potest ferri extra se ipsum. Uno modo, quando appetitus intellectivus totaliter in divina tendit prætermissis his, ad quæ inclinat appetitus sensitivus. Alio modo, quando prætermisso appetitu superiori, homo totaliter fertur in ea, quæ pertinent ad appetitum inferiorem: & iste excessus, vel extasis, plus appropinquat ad rationem raptus, quam primus, quia scilicet appetitus superior

perior est magis homini proprius. Unde, quando homo ex violentia appetitus inferioris abstrahitur a motu appetitus superioris, magis abstrahitur ab eo, quod est sibi proprium; quia tamen non est ibi violentia, eo, quod voluntas potest resistere passioni, deficit a vera ratione raptus, nisi forte tam vehemens passio sit, quod usum rationis totaliter tollat: sicut contingit in his, qui propter vehementiam iræ, vel amoris insaniunt.

CAPUT VI.

De gratia linguarum.
2. 2. quæst. 176.

DEinde considerandum est de gratiis gratis datis, quæ pertinent ad locutionem. Et primo de gratia linguarum. Secundo de gratia sermonis Sapientiæ, seu scientiæ. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod primi discipuli Christi ad hoc fuerunt ab ipso electi; ut per universum orbem discurrentes fidem ejus ubique prædicarent, secundum illud Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes*. Non autem erat conveniens, ut, qui mittebantur ad alios instruendos, indigerent ab aliis instrui, qualiter aliis loquerentur, vel qualiter, quæ alii loquerentur, intelligerent: præsertim, quia illi, qui mittebantur, erant unius gentis, scilicet Judææ, secundum illud, Isa. 27. *Qui egredientur impetu a Jacob, implebunt faciem orbis semine*. Illi etiam, qui mittebantur, pauperes, & impotentes erant, nec de facili a principio reperissent, qui eorum verba aliis fideliter interpretarentur, vel verba aliorum eis exponerent, maxime, quia ad infideles mittebantur; & ideo necessarium fuit, ut super hoc eis divinitus provideretur per donum linguarum, ut, sicut gentibus ad idololatriam declinantibus introducta est diversitas linguarum, sicut dicitur Gen. 11. ita etiam, quando erant Gentes ad cultum unius Dei revocandæ, contra hujusmodi diversitatem remedium adhiberetur per donum linguarum.

Sciendum II. Quod, sicut dicitur 1. ad Cor. 12. *Manifestatio spiritus datur ad utilitatem*. Et ideo sufficienter & Paulus, & alii Apostoli fuerunt instructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam: sed quantum ad quædam, quæ superaddurtur humana arte ad ornatum, & elegantiam locutionis, Apostolus instructus erat in propria lingua, non autem in aliena. Sicut etiam in Sapientia, & Scientia fuerunt sufficienter instructi, quantum requirebat doctrina fidei: non autem quantum ad omnia, quæ per scientiam acquisitam cognoscuntur, puta, de conclusionibus Arithmeticæ, vel Geometriæ. Unde dicit Glos. ord. ad Hæbr. 1. *Non esse mirandum, quod Epistola ad Hebreos majore relucet facundia, quam aliæ, cum naturale sit unicuique, plus in sua, quam in aliena lingua valere: cæteras enim Epistolas Apostolus peregrino, id est, Græco sermone composuit, hanc autem scripsit Hæbraica lingua*.

Sciendum III. Quod quamvis utrumque fieri potuisset, scilicet, quod per unam linguam loquentes ab omnibus intelligerentur, aut quod omnibus linguis loquerentur: tamen convenientius fuit, quod Apostoli omnibus linguis loquerentur: quia hoc pertinebat ad perfectionem scientiæ ipsorum, per quam non solum loqui, sed intelligere poterant, quæ ab aliis dicebantur. Si autem omnes unam eorum linguam intellexissent, hoc vel fuisset per scientiam illorum, qui eos loquentes intelligerent, vel fuisset quasi quædam illusio, dum aliorum verba aliter ad eorum aures perferrentur, quam ipsi ea proferrent: & ideo Glos. Bedæ dicit Act. 2. *Majori miraculo factum est, quod ipsi omnium linguarum generibus loquerentur*. Et Paulus dicit 1. ad Cor. 14. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor*.

Sciendum IV. Quod donum prophetiæ excedit donum linguarum tripliciter. Primo quidem, quia donum linguarum refertur ad diversas voces proferendas, quæ sunt signa alicujus intelligibilis veritatis: donum autem prophetiæ consistit in ipsa illuminatione mentis ad cognoscendam intelligibilem veritatem. Secundo, quia donum prophetiæ pertinet ad rerum notitiam, quæ est nobilior, quam notitia vocum, ad quam pertinet donum linguarum,

rum, secundum se consideratum. Tertio, quia donum prophetiæ est utilius. Et hoc quidem probat Apostolus 1. ad Cor. 14. tripliciter. Primo quidem, quia prophetia est utilior ad ædificationem Ecclesiæ, ad quam, qui loquitur linguis, nihil prodest, nisi expositio subsequatur. Secundo quantum ad ipsum loquentem, qui, si acciperet, ut loqueretur variis linguis, sine hoc, quod intelligeret, quod pertinet ad propheticum donum, mens ejus non ædificaretur. Tertio quantum ad infideles, propter quos præcipue esse videtur datum donum linguarum, qui quidem, forte eos, qui loquerentur linguis, reputarent insanos: sicut & Judæi reputaverunt ebrios Apostolos loquentes, ut dicitur Act. 2. Per prophetias autem infideles convincuntur, manifestatis absconditis cordis sui.

Sciendum v. Quod, sicut supra dictum est, ad excellentiam prophetiæ proprie dictæ pertinet, quod aliquis non solum illuminetur intelligibili lumine, sed etiam percipiat imaginariam visionem; ita etiam ad perfectionem operationis Spiritus Sancti pertinet, quod non solum impleat mentem lumine prophetico, & phantasiam imaginaria visione, sicut erat in veteri testamento, sed etiam exterius linguam erudiat ad varia signa locutionum proferenda, quod totum fit in novo testamento, secundum illud 1. ad Corinth. 14. *Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, Apocalypsin* (id est propheticam revelationem) *habet*. Donum ergo linguarum prophetiæ superadditum, perfectius est, quam donum prophetiæ secundum se sumptum: sed donum linguarum secundum se sumptum imperfectius est dono prophetiæ, ut dictum est; & ideo potest habitualiter haberi in hac vita, non autem donum propheticum.

Sciendum vi. Quod Interpretatio sermonum potest reduci ad donum prophetiæ, in quantum scilicet mens illuminatur ad intelligendum, & exponendum, quæcumque sunt in sermonibus obscura, sive propter difficultatem rerum significatarum, sive etiam propter ipsas voces ignotas, quæ proferuntur, sive etiam propter similitudines rerum adhibitas, secundum illud Daniel. 5. *Audivi de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissolvere*. Unde interpretatio sermonum est potior, quam donum linguarum, ut patet per illud, quod Apostolus dicit 1. ad Cor. 14. *Major est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur*. Postponitur autem interpretatio sermonum dono linguarum; quia etiam ad interpretandum diversa linguarum genera interpretatio sermonum se extendit, ut patet ex enumeratione facta ab Apostol. 1. ad Cor. 12. licet ad cognitionem pertineat, non vero ad locutionem.

CAPUT VII.

De gratia sermonis sapientiæ, seu scientiæ. 2. 2. quæst. 177.

Deinde considerandum est de gratia gratis data, quæ consistit in sermone, de qua dicit Apostolus 1. ad Cor. 12. *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ*. Circa quod,

Sciendum I. Quod gratiæ gratis datæ dantur ad utilitatem aliorum. Cognitio autem, quam aliquis a Deo accipit, in utilitatem alterius converti non posset, nisi mediante locutione. Et quia Spiritus Sanctus non deficit in aliquo, quod pertineat ad Ecclesiæ utilitatem, etiam providet membris Ecclesiæ in locutione, non solum, ut aliquis sic loquatur, ut a diversis possit intelligi, quod pertinet ad donum linguarum: Sed etiam, quod efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam sermonis. Et hoc tripliciter. Primo quidem ad instruendum intellectum, quod fit, dum aliquis sic loquitur, quod doceat. Secundo ad movendum affectum; ut scilicet libenter audiat verbum Dei, quod fit, dum aliquis sic loquitur, quod auditores delectet, quod non debet aliquis quærere propter favorem suum, sed, ut homines alliciantur ad audiendum verbum Dei. Tertio ad hoc, quod aliquis amet ea, quæ verbis significantur, & velit ea implere, quod fit, dum aliquis sic loquitur, quod auditorem flectat. Ad quod quidem Spiritus sanctus utitur lingua hominis, quasi quoddam instrumento: ipse autem est, qui perficit operationem interius, ut dicit Gregor. hom. 30. in Evan.

Sciendum II. Quod, sicut miraculose Deus,

Deus, quandoque operatur quodam excellentiori modo etiam ea, quæ natura potest operari: ita etiam Spiritus Sanctus excellentius operatur per gratiam sermonis id, quod potest ars operari inferiori modo. Sed, quia gratia sermonis datur alicui ad utilitatem aliorum, sicut dictum est, ideo quandoque subtrahitur propter auditoris culpam, quandoque autem propter culpam ipsius loquentis. Bona autem opera utriusque non merentur directe hanc gratiam: sed solum impediunt hujus gratiæ impedimenta. Nam etiam gratia gratum faciens subtrahitur propter culpam: non tamen eam meretur aliquis per bona opera, per quæ tollitur tantum gratiæ impedimentum. Et in hoc sensu, & non aliter intelligendum est, quod dicit Greg. exponens illud Psal. 18. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis*, quod *verbum veritatis est, quod omnipotens Deus facientibus tribuit, & non facientibus tollit.*

Sciendum III. Quod, sicut dictum est, gratia sermonis ordinatur ad utilitatem aliorum. Quod autem aliquis fidem suam aliis communicet, fit per sermonem scientiæ, sive sapientiæ. Unde August. dicit 14. de Trinit. c. 1. *Scire quemadmodum fides, & piis opituletur, & contra impios defendatur, videtur Apostolus scientiam appellare.* Et ideo non oportuit, quod poneret sermonem fidei sed sufficit ponere sermonem scientiæ, vel sapientiæ. Igitur cognitio, quam aliquis a Deo accipit, sive futurorum contingentium per prophetiam, sive rerum divinarum per sapientiam, sive substantiarum spiritualium per discretionem spirituum, sive humanorum actuum dirigendorum per scientiam, sive ad penetranda mysteria revelata per gratiam fidei (cujus nomine venit hic intelligenda excellentia fidei, ut ex glos. notat S. Thom. 2. 2. qu. 4. a. 5. ad 4.) cui proinde Apost. attribuit operationem miraculorum, dicens: *Si habuero tantam fidem, ita, ut montes transferam.* In utilitatem aliorum converti non posset, nisi per gratiam sermonis sapientiæ, sive scientiæ, quæ habet pro actibus suis docere, movere, atque flectere auditores altiori quodam modo, quam possit facere ars humana.

Sciendum IV. Quod sermone potest aliquis uti dupliciter. Uno modo private ad unum, vel paucos, familiariter colloquendo. Et quantum ad hoc gratia sermonis potest competere mulieribus. Alio modo publice alloquendo totam Ecclesiam, & hoc mulieribus non conceditur. Primo quidem, & principaliter propter conditionem fœminei sexus, qui debet esse subditus viro, ut patet Gen. 3. Docere autem, & persuadere publice in Ecclesia non pertinet ad subditos, sed ad prælatos. Magis tamen viri subditi ex commissione possunt exequi, quia non habent hujusmodi subjectionem ex naturali sexu, sicut mulieres, sed ex aliquo accidentaliter superveniente. Secundo, ne animi hominum alliciantur ad libidinem. Dicit enim Eccles. 9. *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Tertio, quia communiter mulieres non sunt in sapientia perfectæ, ut eis possit convenienter publica doctrina committi. Unde dicit Apost. 1. ad Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant.* Et 1. ad Tim. 2. *Docere mulieri non permitto.*

CAPUT VIII.

De gratia miraculorum. 2. 2. quæst. 178.

DEinde considerandum est de gratia miraculorum, utrum detur, & quibus conveniat: de qua dicit Apost. 1. ad Cor. 12. *Alii datur gratia sanitatum, alii operatio virtutum.* Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, Spiritus Sanctus sufficienter providet Ecclesiæ in his, quæ sunt utilia ad salutem, ad quod ordinantur gratiæ gratis datæ. Sicut autem oportet, quod notitia, quam quis divinitus accepit, in notitiam aliorum deducatur per donum linguarum, & per gratiam sermonis: ita necesse est, quod sermo prolatus confirmetur, ad hoc, quod credibilis fiat. Hoc autem fit per operationem miraculorum, secundum illud Marc. ult. *Et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et hoc rationabiliter. Naturale enim est homini, ut per sensibiles effectus deprehendat veritatem intelligibilem. Unde, sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales: ita per aliquos supernaturales effectus, quæ miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem

nem credendorum homo inducitur; & ideo operatio miraculorum pertinet ad gratiam gratis datam.

Sciendum II. Quod, ficut prophetia se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt, quorum quidem causa est divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest, & ideo impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Sed tamen hoc potest contingere, quod, ficut mens prophetæ movetur ex inspiratione divina ad aliquid supernaturaliter cognoscendum, ita etiam mens miracula facientis moveatur ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit. Quod quandoque quidem fit, præcedente oratione, quandoque etiam, non præcedente manifesta oratione, sed Deo ad nutum hominis operante. Unde Greg. dicit 2. Dialog. c. 30. *Sancti aliquando ex potestate miracula exhibent, aliquando ex postulatione*. Utrolibet tamen modo Deus principaliter operatur, qui utitur instrumentaliter vel interiori motu hominis, vel ejus locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, aut contactu etiam corporis mortui.

Sciendum III. Quod in miraculis duo possunt attendi. Unum quidem est id, quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturæ: & secundum hoc miracula dicuntur virtutes. Aliud est id, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale, & secundum hoc communiter dicuntur signa. Propter excellentiam autem dicuntur portenta, vel prodigia, quasi procul aliquid ostendentia. Gratia autem sanitatum commemoratur seorsum: quia per eam confertur homini aliquod beneficium, scilicet corporalis sanitatis præter beneficium commune, quod exhibetur in omnibus miraculis, ut scilicet homines adducantur in Dei notitiam.

Sciendum IV. Quod operatio miraculorum consequitur fidem, vel facientis, secundum illud I. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam;* sive etiam aliorum, propter quos miracula fiunt. Unde dicitur Matth. 13. *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum*. Attribuitur autem fidei operatio miraculorum propter duo. Primo quidem, quia ordinatur ad fidei confirmationem. Secundo, quia procedit ex Dei omnipotentia, cui fides innititur, in quantum est gratia gratis data, scilicet, in quantum importat superabundantiam, seu excellentiam fidei, secundum quam in aliorum utilitatem, & perfectionem redundare potest, ut notat S. Thom. 2. 2. q. 4. ar. 5. ad 4. secundum quod non est communis omnibus membris Ecclesiæ, ut est fides informis theologica. Et tamen, sicut præter gratiam fidei, qua excellenter penetrantur mysteria revelata, necessaria est gratia sermonis ad fidei instructionem: ita etiam necessaria est operatio miraculorum ad fidei confirmationem.

Sciendum V. Quod vera miracula non possunt fieri, nisi virtute divina. Operatur enim ea Deus ad hominum utilitatem, & hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem. Alio modo ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Christi invocat, quod etiam interdum per malos fit. Et secundum hunc modum etiam mali possunt miracula facere, ut dicit Hieron. in Matth. 7. Secundo autem modo non fiunt miracula, nisi a Sanctis, ad quorum sanctitatem enunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam post mortem, sive per eos, sive per alios. Et sic etiam nihil prohibet per aliquem peccatorem miracula fieri ad invocationem alicujus Sancti, quæ tamen miracula non dicitur facere ille, qui invocat, sed ille, ad cujus sanctitatem enunciandam, hæc fiunt.



TRA-

TRACTATUS SECUNDUS.

De differentia actuum humanorum secundum distinctionem vitæ activæ, & contemplativæ.

Consequenter considerandum est de differentia actuum humanorum, secundum distinctionem vitæ activæ, & contemplativæ, ubi quadruplex consideratio occurrit. Quarum igitur prima est de divisione vitæ per activam, & contemplativam. Secunda de vita contemplativa. Tertia de vita activa. Quarta de comparatione vitæ activæ ad contemplativam. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

De divisione vitæ per activam, & contemplativam. 2. 2. quæst. 179.

Sicut Gregor. dicit hom. 14. super Ezech. *Duæ sunt vitæ, in quibus nos Deus omnipotens per sacrum eloquium erudit, activa videlicet, & contemplativa.* Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod illa proprie dicuntur viventia, quæ se ipsis moventur, seu operantur. Illud autem maxime convenit alicui per se ipsum, quod est proprium ei, & ad quod maxime inclinatur: & ideo unumquodque vivens ostenditur vivere ex operatione sibi maxime propria, ad quam maxime inclinatur. Sicut plantarum vita dicitur in hoc consistere, quod nutriuntur, & generant: animalium vero in hoc, quod sentiunt, & moventur: hominum vero in hoc, quod intelligunt, & secundum rationem agunt. Unde etiam & in hominibus vita uniuscujusque hominis videtur esse id, in quo maxime delectatur, & cui maxime intendit, & in quo præcipue vult convivere amico, ut dicitur in 9. Ethic. c. 4. Quia ergo quidam homines præcipue intendunt contemplationi veritatis, quidam vero intendunt principaliter exterioribus actionibus, inde est, quod vita hominis convenienter dividitur per activam, & contemplativam.

Sciendum II. Quod divisio ista datur de vita humana, quæ quidem attenditur secundum intellectum. Intellectus autem dividitur per activum, & contemplativum, quia finis intellectivæ cognitionis vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplativum, vel est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectum practicum, sive activum; & ideo vita etiam sufficienter dividitur per activam, & contemplativam. Vita autem voluptuosa ponit finem in delectatione corporali, quæ communis est hominibus, & brutis; unde sicut Philos. dicit in 1. Ethic. c. 5. Est vita bestialis. Propter quod non comprehenditur sub præsenti divisione, prout vita humana dividitur in activam, & contemplativam.

Sciendum III. Quod media conficiuntur ex extremis: & ideo virtute continentur in eis; sicut tepidum in calido, & frigido, & pallidum in albo, & nigro. Et similiter sub activo, & contemplativo comprehenditur id, quod est ex utroque compositum. Et tamen, sicut in quolibet mixto prædominatur aliquid simplum, ita etiam in medio genere vitæ superabundat quandoque quidem contemplativum, quandoque vero activum. Inde est, quod omnia studia humanarum actionum, si ordinentur ad necessitatem præsentis vitæ secundum rationem rectam, pertinent ad vitam activam, quæ per ordinatas actiones consulit necessitati vitæ præsentis. Si autem deserviant concupiscentiæ cuicumque, pertinent ad vitam voluptuosam, quæ non continetur sub vita activa. Humana vero studia, quæ ordinantur ad considerationem veritatis, pertinent ad vitam contemplativam.

Sciendum IV. Quod istæ duæ vitæ propriæ hominis, ut homo est, significantur per duas uxores Jacob: Activa quidem per Liam, Contemplativa vero per Rachelem. Et per duas mulieres, quæ Dominum hospitio receperunt, Contemplativa quidem per Mariam, Activa vero per Martham, ut Gregor. dicit in 6. Moral. c. 28. Non autem esset hæc congrua significatio, si essent plures vitæ humanæ in præsenti sæculo, quam duæ. Constat enim ex dictis, quod

quod non est possibile dare aliam vitam extra istas: loquendo semper de statu præsentis vitæ, & de vivendo secundum rectam rationem, quæ semper tendit, vel ad succurrendum necessitati, vel ad vacandum contemplandæ veritati.

CAPUT II.

In quo consistat vita Contemplativa.
2. 2. quæst. 180.

DEinde considerandum est de vita contemplativa. Et primo, in quo consistat. Secundo ad quæ consideranda se extendat. Tertio de motibus contemplationis. Quarto, utrum sit delectabilis, & diuturna. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod, sicut dictum est in cap. ant. vita contemplativa illorum esse dicitur, qui principaliter intendunt contemplationi veritatis. Intentio autem est actus voluntatis, quia intentio est de fine, qui est voluntatis objectum: & ideo vita contemplativa quantum ad ipsam essentiam actionis pertinet ad intellectum. Quantum autem ad id, quod movet ad exercendam talem operationem, pertinet ad voluntatem, quæ movet omnes alias potentias, & etiam intellectum ad suum actum, ut in 1. parte, tract. 1. dictum est. Movet autem potentia appetitiva ad aliquid inspiciendum, vel sensibiliter, vel intelligibiliter, quandoque quidem propter amorem rei visæ; quia dicitur Matth. 6. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum;* quandoque autem propter amorem ipsius cognitionis, quam quis ex inspectione consequitur. Et propter hoc Greg. hom. 14. in Ezech. constituit vitam contemplativam in charitate Dei, inquantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem contemplandam. Et, quia unusquisque delectatur, cum adeptus fuerit id, quod amat, ideo vita contemplativa terminatur ad delectationem, quæ est in affectu, ex qua etiam amor intenditur.

Sciendum II. Quod ad vitam contemplativam potest aliquid pertinere dupliciter. Uno modo essentialiter. Alio modo dispositive. Essentialiter quidem virtutes morales non pertinent ad vitam contemplativam: quia finis contemplativæ vitæ est consideratio veritatis. Ad virtutes autem morales scire quidem, quod pertinet ad considerationem veritatis, parvam potestatem habet, ut Philos. dicit in 2. Eth. cap. 2. Unde & ipse in 10. Eth. cap. 7. virtutes morales dicit pertinere ad fœlicitatem activam, non autem ad contemplativam. Dispositive autem virtutes morales pertinent ad vitam contemplativam, impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, & per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus: & ideo virtutes morales dispositive ad vitam contemplativam pertinent. Ad cujus evidentiam

Sciendum III. Quod ad Dei contemplationem, ad quam præcipue ordinatur vita contemplativa, nullus potest pervenire, nisi per munditiam cordis, secundum illud Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et per pacem, & sanctimoniam, juxta illud ad Hebr. 12. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Munditia autem, & sanctimonia causatur ex virtutibus, quæ sunt circa passiones impedientes puritatem rationis. Pax autem causatur ex justitia, quæ est circa operationes, secundum illud Isa. 32. *Opus justitiæ pax;* in quantum scilicet ille, qui ab injuriis aliorum abstinet, subtrahit litigiorum, & tumultuum occasiones: & sic virtutes morales disponunt ad vitam contemplativam, in quantum causant pacem, & munditiam, seu sanctimoniam. Duæ ergo dispositiones ad vitam contemplativam requiruntur ex parte affectus, unde contemplatio habet causam motivam, sicut dictum est. Una proxima, & directa, quæ movet animam per fervens desiderium videndi Deum: & hæc consistit in excellenti dilectione Dei, & proximi. Alia remota, & indirecta, quæ removet prohibens: & hæc consistit in virtutibus moralibus, sicut constat ex dictis.

Sciendum IV. Quod de vita contemplativa

tiva nunc loquimur, secundum quod ad hominem pertinet. Hæc autem differentia est inter hominem, & Angelum, ut patet per Dionys. 7. c. de div. nom. quod Angelus simplici apprehensione Deum intuetur. Homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. Sic ergo contemplativa vita unum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, a quo habet unitatem. Habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem, quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis: alii autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem ejus, cujus cognitio inquiritur. Ultimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis.

Sciendum v. Quod homo ad cognitionem veritatis pertingit dupliciter. Uno modo per ea, quæ ab alio accipit, & sic quidem quantum ad ea, quæ homo a Deo accipit, necessaria est oratio, secundum illud Sap. 7. *Invocavi, & venit in me spiritus Sapientiæ*. Quantum vero ad ea, quæ accipit ab homine, necessarius est auditus, secundum quod accipit ex voce loquentis; & lectio, secundum quod accipit ex eo, quod per scripturam est traditum. Alio modo necessarium est, quod adhibeat proprium studium, & sic requiritur meditatio, quæ pertinere videtur ad processum rationis ex principiis aliquibus pertingentibus ad veritatis alicujus contemplationem, & ad idem pertinet consideratio, cogitatio, & speculatio secundum tamen diversos respectus. Unde

Sciendum vi. Quod sicut Rich. de S. Victore dicit in lib. de Contempl. cap. 3. *Contemplatio est perspicax, & liber contuitus animi in res perspiciendas. Meditatio autem est intuitus animi in veritatis inqusitione occupatus. Cogitatio autem est animi respectus ad evagationem pronus*; videtur enim pertingere ad multorum inspectionem, ex quibus aliquis colligere intendit unam simplicem veritatem. Speculatio autem, ut August. dicit in 15. de Trin. cap. 8. dicitur a speculo. Videre autem aliquid per speculum, est videre causam per effectum, in quo ejus similitudo relucet: unde speculatio ad meditationem reduci videtur, sicut & cogitatio; consideratio vero omnis operatio intellectus dicitur, secundum Philos. in 3. de Anima, quamvis secundum Bernardum in lib. 5. de consid. sumatur pro meditatione. Denique admiratio est species timoris consequens apprehensionem alicujus rei excedentis nostram facultatem. Unde est actus consequens contemplationem sublimis veritatis. Dictum est enim, quod contemplatio in affectu terminatur, sicut in affectu habet principium.

CAPUT III.

Utrum vita contemplativa solum consistat in contemplatione Dei. 2. 2. quæst. 180. art. 4. & art. 5.

Deinde considerandum est de his, ad quæ se extendit actus contemplationis, in quo consistit vita contemplativa. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, ad vitam contemplativam pertinet aliquid dupliciter. Uno modo principaliter. Alio modo secundario, vel dispositive. Principaliter quidem ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinæ veritatis: quia hujusmodi contemplatio est finis totius humanæ vitæ. Unde August. dicit in I. de Trinit. cap. 8. *Contemplatio Dei promittitur nobis, ut actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum*; quæ quidem in æterna vita erit perfecta, quando videbimus Deum facie ad faciem: unde & perfecte beatos faciet. Nunc autem contemplatio divinæ veritatis competit nobis imperfecte, videlicet per speculum, & in ænigmate: unde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur. Unde & Philos. in 10. Ethic. cap. 6. in contemplatione optimi intelligibilis ponit ultimam fælicitatem hominis.

Sciendum II. Quod, quia per divinos effectus in Dei contemplationem manuducimur, secundum illud ad Rom. I. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; inde est, quod etiam contemplatio divinorum effectuum secundario ad vitam contemplativam pertinet, prout scilicet ex hoc manuducitur homo

in Dei cognitionem. Unde August. dicit in lib. de vera religione cap. 19. *In creaturarum cognitione non vana, & peritura curiositas est exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus.* Sic ergo ex præmissis patet, quod ordine quodam ad vitam contemplativam pertinent. Primo quidem virtutes morales. Secundo autem alii actus præter contemplationem. Tertio vero contemplatio divinorum effectuum. Quartum vero completivum est ipsa contemplatio divinæ veritatis.

Sciendum III. Quod Richardus de S. Victore in lib. 1. de contempl. cap. 6. sex gradus designat, quibus per creaturas in Dei contemplationem ascenditur. Nam in primo gradu ponitur perceptio ipsorum sensibilium. In secundo vero gradu ponitur progressus a sensibilibus ad intelligibilia. In tertio vero gradu ponitur dijudicatio sensibilium secundum intelligibilia. In quarto vero gradu ponitur absoluta consideratio intelligibilium, in quæ per sensibilia pervenitur. In quinto vero gradu ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inveniri non possunt: sed per rationem capi possunt. In sexto gradu ponitur consideratio intelligibilium, quæ ratio nec invenire, nec capere potest, quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem divinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio perficitur. Ultima enim perfectio humani intellectus est veritas divina: aliæ autem veritates perficiunt intellectum in ordine ad veritatem divinam.

Sciendum IV. Quod, sicut August. dicit 12. super Gen. ad liter. cap. 17. *Nemo videns Deum vivit ista vita, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive alienatus a carnalibus sensibus, in illam non subvehitur visionem.* Sic ergo dicendum, quod in hac vita potest esse aliquid dupliciter. Uno modo secundum actum, in quantum scilicet actualiter utitur sensibus corporis. Et sic nullo modo contemplatio præsentis vitæ potest pertingere ad videndam Dei essentiam. Alio modo potest esse aliquis in hac vita potentialiter, & non secundum actum, in quantum scilicet anima ejus est corpori mortali conjuncta, ut forma, ita tamen, ut non utatur corporis sensibus, aut etiam imaginatione, sicut accidit in raptu: & sic potest contemplatio hujus vitæ pertingere ad visionem divinæ essentiæ. Unde supremus gradus contemplationis præsentis vitæ est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum præsentis vitæ, & futuræ.

Sciendum V. Quod contemplatio humana secundum statum præsentis vitæ non potest esse absque phantasmatibus; quia connaturale est homini, ut species intelligibiles in phantasmatibus videat, sicut Philos. dicit in 3. de Anima, tex. 30. Sed tamen intellectualis cognitio non consistit in ipsis phantasmatibus, sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis: & hoc non solum in cognitione naturali, sed etiam in eis, quæ per revelationem cognoscimus. Dicit enim Dionys. 2. c. cœlest. hier. *Angelorum hierarchias manifestat nobis divina claritas in quibusdam symbolis figuratis, ex cujus virtute restituimur in simplum radium*; id est in simplicem cognitionem intelligibilis veritatis. Et sic intelligendum est, quod Gregor. dicit in 6. Moral. cap. 27. quod *contemplantes corporalium rerum umbras non secum trahunt*; quia videlicet in eis non sistit eorum contemplatio, sed potius in consideratione intelligibilis veritatis.

CAPUT IV.

Utrum operatio contemplationis convenienter distinguatur per tres motus, Circularem, rectum, & obliquum. S. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 6.

Deinde considerandum est, utrum operatio contemplationis convenienter distinguatur per tres motus, circularem, rectum, & obliquum, per Dionys. 4. c. de div. nom. Circa quod

Sciendum I. Quod operatio intellectus, in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum quod motus est actus perfecti, ut Philos. dicit in 3. de Anima, tex. 38. Quia vero per sensibilia in cognitionem intelligibilium devenimus, operationes autem sensibiles sine motu non sunt, inde est, quod etiam operationes intelli-

telligibiles quasi motus quidam describuntur, & secundum similitudinem diversorum motuum earum differentia assignatur. In motibus autem corporalibus perfectiores, & primi sunt locales, ut probatur in 8. Phys. tex. 55. Et ideo sub eorum similitudine potissimæ operationes intelligibiles describuntur. Quorum quidem sunt tres differentiæ. Nam quidam est circularis, secundum quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum. Alius autem est rectus, secundum quem aliquid procedit ab uno in aliud. Tertius autem est obliquus, quasi compositus ex utroque: & ideo in operationibus intelligibilibus id, quod simpliciter habet uniformitatem, attribuitur motui circulari. Operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de uno in aliud, attribuitur motui recto. Operatio autem intelligibilis habens aliquid uniformitatis, simul cum processu ad diversa, attribuitur motui obliquo.

Sciendum II. Quod motus corporales exteriores opponuntur quieti contemplationis, quæ intelligitur esse per cessationem ab exterioribus occupationibus. Unde Gregor. dicit hom. 14. super Ezech. *Ad vitam contemplativam pertinet ab exteriori actione quiescere*. Et de Maria, per quam vita contemplativa significatur, dicitur Luc. 10. quod *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*. Sed motus intelligibilium operationum ad ipsam quietem contemplationis pertinent. Unde Gregor. in eadem hom. circa med. dicit, loquens de vita contemplativa, quod, *Calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescit*. Et David dicit in Psalm. 54. *Quis mihi dabit pennas Columbæ? & volabo, & requiescam*. Operationes ergo contemplativæ vitæ convenienter per motus, & volatus designantur.

Sciendum III. Quod Richar. de S. Victore in lib. de Contempl. cap. 15. ponit multas differentias motuum contemplationis ad similitudinem volatilium cœli, quæ tamen reducuntur ad tres motus a Dionys. designatos. Nam illæ diversitates motuum, quæ accipiuntur secundum differentiam ejus, quod est sursum, & deorsum; dextrorsum, & sinistrorsum; ante; & retro: & secundum diversos circuitus, omnes continentur sub motu recto, vel obliquo: nam per omnes designantur discursus rationis. Quod quidem, si sit a genere ad speciem, vel a toto ad partem, erit, ut ipse exponit, secundum sursum, & deorsum: si vero sit ab uno oppositorum in aliud, erit secundum dextrorsum, & sinistrorsum. Si vero sit a causis in effectus: erit ante, & retro. Si vero sit secundum accidentia, quæ circumstant rem propinquam, vel remotam, erit circuitus. Discursus autem rationis, quando est a sensibilibus ad intelligibilia secundum ordinem naturalis rationis, pertinet ad motum rectum. Quando autem est secundum illuminationes divinas, pertinet ad motum obliquum, ut ex dictis patet. Sola autem immobilitas, quam ponit, pertinet ad motum circularem. Unde patet, quod Dionysius multo sufficientius, & subtilius motum contemplationis describit.

Sciendum IV. Quod homo convenit in intellectu cum Angelis in genere, sed vis intellectiva est multo altior in Angelo, quam in homine: & ideo alio modo oportet, hos motus in hominibus, & in Angelis assignare, secundum quod diversimode se habent ad uniformitatem. Intellectus enim Angeli habet cognitionem uniformem secundum duo. Primo quidem, quia non acquirit intelligibilem veritatem ex varietate rerum compositarum. Secundo, quia non intelligit veritatem intelligibilem discursive, sed simplici intuitu. Intellectus vero Animæ a sensibilibus rebus accipit intelligibilem veritatem, & cum quodam discursu rationis ipsius eam intelligit. Et ideo Dionys. 4. c. de div. nom. motum circularem in Angelis assignat, in quantum uniformiter, & indesinenter absque principio, & fine intuentur Deum: sicut motus circularis carens principio, & fine, uniformiter est circa idem centrum. In anima vero antequam ad istam uniformitatem perveniat, exigitur, quod duplex ejus deformitas amoveatur. Unde

Sciendum V. Quod primo debet ab anima amoveri illa deformitas, quæ est ex diversitate exteriorum rerum, prout scilicet relinquit exteriora: & hoc est, quod pri-



primo Dionys. ponit in motu circulari animæ, *Introitum ipsius ab exterioribus ad seipsam*. Secundo autem oportet, quod removeatur secunda difformitas, quæ est per discursum rationis. Et hoc idem contingit, secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et hoc est, quod secundo dicit, quod *necessaria est uniformis convolutio intellectualium virtutum ipsius*, ut scilicet cessante discursu figatur ejus intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis. Et in hac operatione animæ non est error: sicut patet, quod circa intellectum primorum principiorum non erratur, quæ simplici intuitu cognoscimus. Et tunc, istis duobus præmissis, tertio ponitur uniformitas conformis Angelis, secundum quod, prætermissis omnibus, in sola Dei contemplatione persistit. Et hoc est, quod dicit: *Deinde sic uniformis facta unite* (idest conformiter) *unitis virtutibus, ad pulchrum, & bonum manuducitur*.

Sciendum VI. Quod motus rectus in Angelis accipi non potest secundum id, quod in considerando procedat ab uno in aliud, sed solum secundum ordinem suæ providentiæ, secundum scilicet, quod Angelus superior inferiores illuminat per medios. Et hoc est, quod dicit, quod *In directum moventur angeli, quando procedunt ad subjectorum providentiam recta omnia transeuntes*; idest, secundum ea, quæ secundum rectum ordinem disponuntur. Sed rectum motum ponit in anima secundum hoc, quod ab exterioribus sensibilibus procedit ad intelligibilium cognitionem. Obliquum autem motum ponit in Angelo compositum ex recto, & circulari, in quantum secundum contemplationem Dei inferioribus providet. In anima autem ponit motum obliquum similiter ex recto, & circulari compositum, prout scilicet illuminationibus divinis ratiocinando utitur.

CAPUT V.

Utrum Contemplatio delectationem habeat, & diuturnitatem. 2.2. q. 180. a. 7.

Deinde considerandum est de his, quæ contemplationem consequuntur, ut sunt delectatio, & diuturnitas. Circa quod

Sciendum I. Quod de contemplatione Sapientiæ dicitur Sap. 8. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus: sed lætitiam, & gaudium*. Et Greg. dicit hom. 14. super Ezech. *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est*. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod aliqua contemplatio potest esse delectabilis dupliciter. Uno modo ratione ipsius operationis: quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundum propriam naturam, vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale: ex quo contingit, quod omnes natura scire desiderant: & per consequens in cognitione veritatis delectantur. Et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum Sapientiæ, & Scientiæ, ex quo accidit, quod sine difficultate aliquis contemplatur.

Sciendum II. Quod alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte objecti, in quantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur. Sicut etiam accidit in visione corporali, quæ delectabilis redditur, non solum ex eo, quod ipsum videre est delectabile, sed etiam ex eo, quod videt quis personam amatam. Quia ergo vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas, ut dictum est, inde est, quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius divini amoris. Et quantum ad utrumque ejus delectatio omnem delectationem humanam excedit. Nam & delectatio spiritualis potior est, quam carnalis, ut dictum est in prima parte, cum de passionibus ageretur; & ipse amor, quo ex charitate Deus diligitur, omnem amorem excedit. Unde & in Psal. 33. dicitur: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*.

Sciendum III. Quod contentio, vel certamen, quod provenit ex contrarietate exterioris rei, impedit illius rei delectationem. Non enim aliquis delectatur in re, contra quam pugnat, sed in re, pro qua quis pugnat, cum eam homo adeptus fuerit, cæteris paribus, magis in ea delectatur. Sicut Aug. dicit in 8. Confess. c. 3. quod *quanto fuerit majus periculum in prælio*,

&o, tanto majus est gaudium in triumpho. Non est autem in contemplatione contentio, & certamen ex contrarietate veritatis, quam contemplamur, sed ex defectu nostri intellectus, & ex corruptibili corpore, quod nos ad inferiora retrahit, secundum illud Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Et inde est, quod quando homo pertingit ad contemplationem veritatis, ardentius eam amat: sed magis odit proprium defectum, & gravitatem corruptibilis corporis, ut dicat cum Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Unde & Greg. dicit hom. 11. super Ezech. *Cum Deus jam per desiderium, & intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit*.

Sciendum IV. Quod contemplatio Dei in hac vita imperfecta est, respectu contemplationis patriæ, & similiter delectatio contemplationis viæ est imperfecta, respectu delectationis contemplationis patriæ, de qua dicitur in Psal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Sed contemplatio divinorum, quæ habetur in via, etsi sit imperfecta, tamen est delectabilior omni alia contemplatione, quantumcumque perfecta, propter excellentiam rei contemplatæ. Unde Philos. dicit in 1. de part. animal. cap. 5. *Accidit circa illas honorabiles existentes, & divinas substantias, minores nobis existere theorias: sed, etsi secundum modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoscendi delectabilius aliquid habent, quam quæ apud nos omnia*. Et hoc est etiam, quod Greg. dicit hom. 14. in Ezech. *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cælestia aperit, spiritualia mentis oculis patefacit*.

Sciendum V. Quod aliquid potest dici diuturnum dupliciter. Uno modo secundum suam naturam. Alio modo quoad nos. Secundum se quidem manifestum est, quod vita contemplativa diuturna est dupliciter. Uno modo eo, quod versatur circa incorruptibilia, & immobilia. Alio modo, quia non habet contrarietatem. Delectationi enim, quæ est in considerando, nihil est contrarium, ut dicitur in 1. Topic. c. 13. Unde Dominus dicit Luc. 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea;* quia, ut Greg. dicit hom. 14. super Ezech. *Contemplatio hic incipit, ut in cælesti patria perficiatur*. Sed quoad nos etiam vita contemplativa diuturna est, tum quia competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis animæ, scilicet secundum intellectum: unde potest post hanc vitam durare: tum etiam, quia in operibus contemplativæ corporaliter non laboramus, unde magis in hujusmodi operibus continue persistere possumus, sicut Philos. dicit in 10. Ethic. c. 7. Notandum tamen, quod nulla actio potest diu durare in sui summo. Summum autem contemplationis est, ut attingat ad uniformitatem divinæ contemplationis, ut dicit Dionys. 3. cap. cœlest. hier. Unde etsi quantum ad hoc contemplatio diu durare non possit, tamen quantum ad alios contemplationis actus potest diu durare.

CAPUT VI.

De pertinentibus ad vitam activam.
2.2. quæst. 181.

DEinde considerandum est de vita activa, & de his, quæ ad ipsam pertinent. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, vita activa, & contemplativa distinguuntur secundum diversa studia hominum intendentium ad diversos fines, quorum unum est consideratio veritatis, quæ est finis vitæ contemplativæ: aliud autem est exterior operatio, ad quam ordinatur vita activa. Manifestum est autem, quod in virtutibus moralibus non principaliter quæritur contemplatio veritatis, sed ordinantur ad operandum. Unde Philos. dicit in 2. Ethic. c. 1. *Ad virtutes quidem scire, parum, aut nihil prodest*. Unde manifestum est, quod virtutes morales pertinent essentialiter ad vitam activam. Unde & Philos. in 10. Ethic. c. 7. virtutes morales ordinat ad fœlicitatem activam.

Sciendum II. Quod, sicut virtus, quæ ordinatur in finem alterius virtutis, transit quodammodo in speciem ejus; ita etiam quando aliquis utitur his, quæ sunt vitæ activæ, solum, prout disponunt ad contemplationem, comprehenduntur sub

B 4 vita

vita contemplativa. In his autem, qui operibus virtutum moralium intendunt, tamquam secundum se bonis, non autem tamquam disponentibus ad vitam contemplativam, virtutes morales pertinent ad vitam activam. Quamvis etiam dici possit, quod vita activa dispositio sit ad vitam contemplativam. Unde Isidor. dicit in lib. 3. de Summo bono, c. 15. *In vita activa prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, ut in contemplativa jam pura mentis acie ad contemplandum divinum lumen quisque pertranseat.*

Sciendum III. Quod cognitio prudentiæ ordinatur ad operationes virtutum moralium, sicut ad finem. Est enim recta ratio agibilium, sicut dicitur in 6. Eth. c. 4. Unde & fines virtutum moralium sunt principia prudentiæ, sicut ibidem Philos. dicit. Sicut ergo dictum est, quod virtutes morales in eo, qui ordinat eas ad quietem contemplationis, pertinent ad vitam contemplativam: ita cognitio prudentiæ, quæ de se ordinatur ad operationes virtutum moralium, directe pertinet ad vitam activam, si tamen prudentia proprie sumatur, secundum quod Philos. de ea loquitur 10. Eth. Si autem sumatur communius, prout scilicet comprehendit qualemcumque humanam cognitionem, sic prudentia quantum ad aliquam sui partem pertinet ad vitam contemplativam, secundum quod Tullius dicit in 1. de offic. c. 4. quod *Qui acutissime, & celeriter potest & videre verum, & explicare rationem, is prudentissimus, & sapientissimus rite haberi solet.*

Sciendum IV. Quod actus doctrinæ habet duplex objectum. Fit enim doctrina per locutionem, locutio autem est signum audibile interioris conceptus. Est ergo unum objectum doctrinæ id, quod est materia, sive objectum interioris conceptionis: & quantum ad hoc objectum quandoque doctrina pertinet ad vitam activam, quandoque ad contemplativam. Ad activam quidem, quando homo interius concipit aliquam veritatem, ut per eam in exteriori actione dirigatur. Ad contemplativam autem, quando homo interius concipit aliquam veritatem intelligibilem, in cujus consideratione, & amore delectatur. Aliud vero objectum doctrinæ est, ex parte sermonis audibilis, & sic objectum doctrinæ est ipse audiens: & quantum ad hoc objectum omnis doctrina pertinet ad vitam activam, ad quam pertinent actiones exteriores. Et secundum hoc Greg. dicit ho. 14. in Ezech. *Activa vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere.*

Sciendum V. Quod, sicut dictum est, vita activa habet finem in exterioribus actibus, qui si referantur ad quietem contemplationis, jam pertinent ad vitam contemplativam. In futura autem vita beatorum cessabit occupatio exteriorum actuum: & si qui actus exteriores sunt, referuntur ad finem contemplationis. Ut enim Aug. dicit in 22. de Civit. Dei, c. ult. *Ibi vacabimus, & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & laudabimus.* Et in eodem libro præmittit. *Ibi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus.* Virtutes ergo morales manebunt in futura vita, non secundum actus, quos habent circa ea, quæ sunt ad finem, sed secundum actus, quos habent circa finem. Hujusmodi autem actus sunt, secundum quod constituunt quietem contemplationis, quam Aug. in præmissis verbis significat per vacationem, quæ est intelligenda non solum ab exterioribus tumultibus, sed etiam ab interiori perturbatione passionum. Unde concludit Greg. ho. 14. in Ezech. *Cum præsenti sæculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, ut in cælesti patria perficiatur.*

Sciendum VI. Quod, sicut Greg. dicit ho. 5. in Ezech. *In vita activa fixi permanere possumus: in contemplatione autem intenta mente manere nullo modo valemus.* Durabilitas autem hæc vitæ activæ in statu præsenti excedens durabilitatem vitæ contemplativæ non provenit ex proprietate utriusque vitæ secundum se consideratæ, sed ex defectu nostri, qui ex corporis gravitate retrahimur ab altitudine contemplationis. Unde ibidem subdit Greg. quod *Ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis repulsus animus in semetipso relabitur.* Et ideo vita activa secundum se non est duratura, sicut nec infirmitas naturæ, quæ cessabit cum pa-

pa-

paruerit gloria, & mortale hoc induet immortalitatem.

CAPUT VII.

De comparatione vitæ activæ ad contemplativam. 2. 2. quæst. 182.

Denique considerandum est de comparatione vitæ activæ ad contemplativam. Circa quod

Sciendum I. Quod nihil prohibet, aliquid secundum se esse excellentius, quod tamen secundum quid ab alio superatur. Dicendum est ergo, quod vita contemplativa simpliciter melior est, quam activa. Quod Philos. in 10. Eth. c. 7. probat octo rationibus, quarum prima est, quia vita contemplativa convenit homini secundum illud, quod est optimum in ipso, scilicet secundum intellectum, & respectu propriorum objectorum, scilicet intelligibilium, vita autem activa occupatur circa exteriora. Secunda, quia vita contemplativa potest esse magis continua, licet non quantum ad summum contemplationis gradum. Tertia, quia major est delectatio vitæ contemplativæ, quam activæ. Quarta, quia in vita contemplativa homo est magis sibi sufficiens, quia paucioribus ad eam indiget. Quinta, quia vita contemplativa magis propter se diligitur. Sexta, quia consistit in quadam vacatione, & quiete. Septima, quia est secundum divina. Octava, quia in operatione ejus non communicant inferiores vires. Unde Dominus Luc. 10. dicit. *Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea*. Secundum quid tamen, & in casu est magis eligenda vita activa propter necessitatem præsentis vitæ. Sicut etiam Philos. dicit in 3. Topic. c. 1. *Philosophari est melius, quam ditari, sed ditari melius est necessitatem patienti*.

Sciendum II. Quod ad opera vitæ activæ interdum aliquis a contemplatione avocatur propter aliquam necessitatem præsentis vitæ, non tamen hoc modo, quod cogatur aliquis totaliter contemplationem deserere. Unde Aug. dicit 19. de Civit. Dei, c. 19. *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum* (scilicet vitæ activæ) *suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas*. Et sic patet, quod cum aliquis a contemplativa vita ad activam vocatur, non hoc fit per modum subtractionis, sed per modum additionis. Unde de prælatis dicit Greg. in Pastorali, par. 1. c. 1. *Sit Præsul actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione suspensus*.

Sciendum III. Quod radix merendi est charitas. Cum autem charitas consistat in dilectione Dei, & proximi; Deum diligere secundum se est magis meritorium, quam diligere proximum: & ideo illud, quod directius pertinet ad dilectionem Dei, magis est meritorium ex suo genere, quam id, quod directe pertinet ad dilectionem proximi propter Deum. Vita autem contemplativa directe, & immediate pertinet ad dilectionem Dei. Vita autem activa directius ordinatur ad dilectionem proximi. Et ideo ex suo genere contemplativa vita est majoris meriti, quam activa, ut dicit Greg. ho. 3. super Ezech. Potest tamen contingere, quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur, quam alius in operibus vitæ contemplativæ; puta, si propter abundantiam divini amoris, ut ejus voluntas impleatur propter ejus gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinæ contemplationis ad tempus separari, sicut Apostolus dicebat ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*.

Sciendum IV. Quod vita activa potest considerari quantum ad duo. Uno modo quantum ad ipsum studium, & exercitium exteriorum actuum, & sic manifestum est, quod vita activa impedit contemplativam, in quantum impossibile est, quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, & divinæ contemplationi vacet. Alio modo potest considerari vita activa quantum ad hoc, quod interiores animæ passiones componit, & ordinat: & quantum ad hoc vita activa adjuvat ad contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorum passionum. Ex hoc ergo exercitium vitæ activæ confert

ad

ad contemplativam, quod quietat interiores passiones, ex quibus phantasmata proveniunt, per quæ contemplatio impeditur. Unde Greg. dicit in 6. Moral. c. 27. *Qui contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo per exercitium operis probent.*

Sciendum v. Quod aliquid dicitur esse prius dupliciter. Uno modo secundum suam naturam. Et hoc modo vita contemplativa est prior, quam activa, in quantum prioribus, & melioribus utitur: unde & activam vitam movet, & dirigit. Ratio enim superior, quæ contemplationi deputatur, comparatur ad inferiorem, quæ deputatur actioni, sicut vir ad mulierem, quæ est per virum regenda, ut Aug. dicit 12. de Trinit. c. 14. Alio modo est aliquid prius quoad nos, quod scilicet est prius in via generationis, & hoc modo vita activa est prior, quam contemplativa, quia disponit ad contemplativam, ut ex supradictis patet. Dispositio enim in via generationis præcedit formam, quæ simpliciter, & secundum suam naturam est prior. Unde Greg. dicit ho. 3. super Ezech. *Activa vita prior est tempore, quam contemplativa: quia ex bono opere tenditur ad contemplationem.*

Sciendum vi. Quod vita contemplativa non ordinatur ad qualemcumque dilectionem Dei, sed ad perfectam: sed vita activa est necessaria ad dilectionem proximi qualemcumque. Unde Greg. dicit in 3. ho. super Ezech. *Sine contemplativa vita intrare possunt ad cæleſtem patriam, qui bona, quæ possunt operari, non negligunt: sine activa autem intrare non possunt, si negligant bona operari, quæ possunt.* Ex quo etiam patet, quod vita activa præcedit contemplativam, sicut id, quod est commune omnium, præcedit in via generationis id, quod est proprium perfectorum. Et ideo etiam a vita activa proceditur ad vitam contemplativam secundum ordinem generationis, a vita autem contemplativa reditur ad vitam activam per viam directionis, ut scilicet vita activa per contemplationem dirigatur: sicut etiam per operationes acquiritur habitus, & per habitum acquisitum perfectius aliquis operatur, ut dicitur in 2. Eth. c. 1. Unde Greg. dicit ho. 14. super Ezech. *Sciendum est, quod, sicut bonus ordo vivendi est, ut ab activa in contemplativam tendatur, ita plerumque utiliter a contemplativa animus ad activam reflectitur.*

Sciendum vii. Quod illi, qui sunt proni ad passiones propter earum impetum ad agendum, sunt simpliciter magis apti ad vitam activam propter spiritus inquietudinem. Unde dicit Greg. in 6. Moral. c. 26. *Nonnulli ita inquieti sunt, ut, si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto licentius ad cogitationes vacant.* Quidam vero habent naturaliter animi puritatem, & quietem, per quam ad contemplationem sunt apti, qui, si totaliter actionibus deputentur, detrimentum sustinebunt. Unde Greg. dicit ibid. *Quorumdam hominum ita otiosæ mentes sunt, ut, si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant.* Sed, sicut ipse postea subdit in c. 27. *Sæpe & pigras mentes amor ad opus excitat, & inquietas in contemplatione timor refrænat.* Unde

Sciendum viii. Quod illi, qui sunt magis apti ad activam vitam, possunt per exercitium activæ ad contemplativam præparari: & illi nihilominus, qui sunt magis ad contemplationem apti, possunt exercitia vitæ activæ subire, ut per hoc ad contemplationem paratiores reddantur; discrete tamen, ne & hi occupationibus opprimantur, & illi per excessum quietis vitam animæ extinguant. Unde Greg. dicit in 6. Moral. c. 26. *Sæpe, qui contemplari Deum quiete poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpe, qui occupati bene usibus humanis viverent, gladio suæ quietis extincti sunt.*

TRACTATUS TERTIUS.

De differentia actuum humanorum secundum diversitatem officiorum, & statuum in generali.

Consequenter considerandum est de diversitate statuum, & officiorum humanorum. Et primo considerandum est de

de officiis, & statibus hominum in generali. Secundo specialiter de statu perfectorum. Et circa primum in præsenti tractatu quatuor breviter examinanda occurrunt. Primo, quid faciat in hominibus statum. Secundo, utrum in hominibus debeant esse diversi status, sive diversa officia. Tertio, de differentia officiorum. Quarto, de differentia statuum. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quid faciat in hominibus statum.
S.Thom. 2.2. qu. 183.

STatus proprie pertinere videtur ad libertatem, vel servitutem ex causa permanente, seu immobili. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod status proprie loquendo, significat quandam positionis differentiam, secundum quam aliquid disponitur secundum modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate. Est enim naturale homini, ut caput ejus in superiora tendat, & pedes in terra firmentur, & cætera membra media convenienti ordine disponantur: quod quidem non accidit, si homo jaceat, vel sedeat, vel accumbat, sed solum, quando erectus stat. Nec rursus stare dicitur, si moveatur, sed quando quiescit: & inde est, quod etiam in ipsis actionibus humanis dicitur negotium aliquem statum habere secundum ordinem propriæ dispositionis cum quadam immobilitate, seu quiete. Unde

Sciendum II. Quod circa homines ea, quæ de facili circa eos variantur, & extrinseca sunt, non constituunt statum, puta, quod aliquis sit dives, vel pauper in dignitate constitutus, vel plebejus, vel si quid aliud est hujusmodi. Unde & in jure civili dicitur, quod ei, qui a senatu amovetur, magis dignitas, quam status aufertur: sed solum id videtur ad statum hominis pertinere, quod respicit obligationem personæ hominis, prout scilicet aliquis est sui juris, vel alieni, & hoc non ex aliqua causa levi, vel de facile mutabili, sed ex aliquo permanente: & hoc est, quod pertinet ad rationem libertatis, vel servitutis. Unde status pertinet proprie ad libertatem, vel servitutem, sive in spiritualibus, sive in civilibus.

Sciendum III. Quod rectitudo, in quantum hujusmodi, non pertinet ad rationem status, sed solum, in quantum est connaturalis homini, simul addita quadam quiete. Unde in aliis animalibus non requiritur rectitudo ad hoc, quod stare dicantur: nec etiam homines stare dicuntur, quantumcumque sint recti, nisi quiescant. Rursus immobilitas non sufficit ad rationem status. Nam etiam sedens, vel jacens quiescit, qui tamen non dicitur stare. Denique neque rectitudo, neque immobilitas sufficit ad rationem status in homine, nisi respiciat obligationem personæ hominis, seu, nisi sit in eo, quod pertinet ad conditionem personæ, prout scilicet aliquis est sui juris vel alieni: sicut colligitur ex Decr. 2. q.6. c. si quando. Quapropter

Sciendum IV. Quod officium dicitur per comparationem ad actum: gradus autem dicitur secundum ordinem superioritatis, & inferioritatis; sed ad statum requiritur immobilitas in eo, quod pertinet ad conditionem personæ, prout scilicet est sui juris, vel non, secundum modum suæ naturæ. Quamvis hæc tria in uno, & eodem convenire possint secundum diversos respectus. Sic v. g. Diaconatus, quatenus potestatem importat ministrandi in altari sacrificio Missæ, est officium Ecclesiasticum: quatenus vero dicit ordinem superioritatis ad ordines inferiores, & inferioritatis ad sacerdotium, est gradus Ecclesiasticus: in quantum vero importat immobilitatem in eo, quod pertinet ad suum ministerium, ratione obligationis servandi vitam cœlibem, habet rationem status. Ordines vero minores non pertinent ad statum clericalem, nisi imperfecte, quasi via ad statum perfectum, in quo quietem, seu immobilitatem consequuntur; licet sint officia, & gradus Ecclesiastici.

Sciendum V. Quod ex huc usque dictis colligitur, quod status in hominibus, definiri potest: *Immobilis, seu perpetua obligatio personæ ad alterum, secundum rationem rectam.* Quo pacto dicitur status conjugalis ratione vinculi perpetui inter virum, & uxorem: status vidualis, aut virginalis ratione voti continentiæ, quo in perpetuum Deo persona dicatur: & status perfectionis ratione vinculi perpetui, quo persona se Deo obligat per professionem reli-

religiosam tendendi perpetuo ad perfectionem per abdicationem eorum, quæ perfectionem retardare possunt, & solent, ut infra suo loco explicabitur.

CAPUT II.

Utrum in Ecclesia debeat esse diversitas officiorum, seu statuum.
2.2. q. 183. ar. 2.

DEinde considerandum est, an in Ecclesia debeat esse diversitas officiorum, vel statuum. Circa quod

Sciendum I. Quod diversitas statuum, & officiorum in Ecclesia ad tria pertinet. Primo quidem ad perfectionem ipsius Ecclesiæ. Sicut enim in rerum naturalium ordine perfectio, quæ in Deo simpliciter, & uniformiter invenitur, in universitate creaturarum inveniri non potest, nisi difformiter, & multipliciter: ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Christo, sicut in capite, adunatur, ad membra ejus diversimode redundat, ad hoc, quod corpus Ecclesiæ sit perfectum. Et hoc est, quod Apostolus dicit ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum.*

Sciendum II. Quod secundo pertinet ad necessitatem actionum, quæ sunt in Ecclesia necessariæ. Oportet enim, ad diversas actiones diversos homines deputari, ad hoc, quod expeditius, & sine confusione omnia peragantur. Et hoc est, quod Apostolus dicit ad Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* Unde, sicut natura non coarctat in unum id, ad quod multa requiruntur, secundum illud Apostoli I. ad Corinth. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* Ita & in Ecclesia, quæ est corpus Christi, oportuit, membra diversificari secundum diversa officia, status, & gradus. Unde Trident. sess. 23. cap. 4. can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.*

Sciendum III. Quod diversitas statuum, & officiorum tertio pertinet ad dignitatem, & pulchritudinem Ecclesiæ, quæ in quodam ordine consistit. Unde dicitur tertio Reg. 10. *Videns Regina Saba omnem Sapientiam Salomonis, & habitacula servorum, & ordinem ministrantium, non habebat ultra spiritum.* Unde & Apostolus dicit 2. ad Tim. 2. *In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia.* Et in Psalm. 44. ad laudem Ecclesiæ dicitur, quod est *circumdata, seu circumamicta varietate.* Ubi Glos. ord. ex Cassiodoro dicit: *Doctrina Apostolorum, & confessione martyrum, & puritate Virginum, & lamento pænitentium, ornatur Regina,* id est Ecclesia. Quæ diversitas non impedit Ecclesiæ unitatem, quæ perficitur per unitatem fidei, & charitatis, & mutuæ subministrationis, secundum illud Apostoli ad Ephes. 4. *Ex quo totum corpus est compactum* (scilicet per fidem) *& connexum* (scilicet per charitatem) *per omnem juncturam subministrationis,* dum scilicet unus alii servit.

Sciendum IV. Quod, sicut in corpore naturali membra diversa continentur unitate per virtutem spiritus vivificantis, quo abscedente, membra corporis separanrur: ita etiam in corpore Ecclesiæ conservatur pax diversorum membrorum virtute Spiritus Sancti, qui corpus Ecclesiæ vivificat, ut habetur Joan. 6. Unde Apost. dicit ad Ephes. 4. *Solicii servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Discedit autem aliquis ab hac unitate spiritus, dum quærit, quæ sibi sunt propria: sicut etiam in terrena civitate pax tollitur ex hoc, quod cives singuli, quæ sua sunt, quærunt. Alioquin per officiorum, & statuum distinctionem tam mentis, quam civitatis terrenæ pax conservatur, in quantum per hæc plures sunt, qui communicant actibus publicis. Unde & Apostolus dicit I. ad Cor. 12. *Deus temperavit nos, ut non sit schisma in corpore, sed pro invicem solicita sint membra.*

Sciendum V. Quod diversitas officiorum, graduum, & statuum in Ecclesia non ita ordinatur ad hæc tria, scilicet perfectionem, actionem, & decorem, quod singula singulis propria sint, puta, perfectio statui, actio officio, & decor gradui: quoniam in quolibet horum omnia inveniuntur. In statibus enim non solum inveni-

tur

tur perfectio, sed etiam decor, seu ordo. Et similiter in officiis eadem tria inveniuntur, & similiter in gradibus, ut de se patet; sed perfectio appropriatur statui, ut ratio diversitatis secundum statum. Actio vero appropriatur officio, ut ratio diversitatis secundum officium. Decor vero ordinis appropriatur gradui, ut ratio diversitatis secundum gradum; sicut ex dicendis in cap. sequen. manifestum fiet.

CAPUT III.

Utrum officia distinguantur per actus. 2. 2. quæst. 183. ar. 3.

DEinde considerandum est, an officia distinguantur per actus. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut dictum est, diversitas in membris Ecclesiæ ad tria ordinatur, scilicet ad perfectionem, actionem, & decorem. Et secundum hoc triplex distinctio diversitatis fidelium accipi potest. Una quidem per respectum ad perfectionem: & secundum hoc accipitur differentia statuum, prout quidam sunt aliis perfectiores. Alia vero distinctio accipitur per respectum ad actionem: & hæc est distinctio officiorum. Dicuntur enim in diversis officia esse, qui sunt ad diversas actiones deputati. Unde Isidor. in lib. 9. Ethymol. c. 19. dicit, quod *officium ab efficiendo est dictum, quasi efficium, propter decorem sermonis, una mutata littera.* Alia autem per respectum ad ordinem pulchritudinis Ecclesiasticæ: & secundum hoc accipitur differentia graduum, prout scilicet etiam in eodem statu, vel officio, unus est alio superior. Unde & in Psal. 47. dicitur secundum aliam litteram. *Deus in gradibus ejus cognoscetur.*

Sciendum II. Quod materialis diversitas humanorum actuum est infinita, & secundum hanc non distinguuntur officia, sed secundum formalem diversitatem, quæ accipitur secundum diversas species actuum, secundum quam actus hominis non sunt infiniti: vita etiam activa, & contemplativa distinguuntur secundum diversos actus, sed in quantum conveniunt homini secundum se ipsum, eo quod vita dicitur absolute. Sed efficientia, a qua sumitur nomen officii, ut dictum est, importat actionem tendentem in aliud, ut dicitur, 9. Metaphys. tex. 16. Et ideo officia distinguuntur secundum actus, qui referuntur ad alios: sicut dicitur Doctor habere officium, vel Judex; & sic de aliis. Et ideo Isidor. dicit: *Officium est, ut quisque illa agat, quæ nulli officiant* (id est noceant) *sed prosint omnibus.*

Sciendum III. Quod diversitas statuum, officiorum, & graduum secundum diversa sumitur, ut dictum est. Contingit autem, quod ista tria in eodem concurrant, puta, cum aliquis deputatur ad aliquem actum altiorem, simul ex hoc habet, & officium, & gradum, & ulterius quendam perfectionis statum propter actus sublimitatem, sicut patet de Episcopo. Ordines autem Ecclesiastici specialiter distinguuntur secundum diversa officia. Dicit enim Isidor. lib. 9. Ethym. c. 19. *Officiorum plurima genera sunt, sed præcipuum illud est, quod in sacris, divinisque rebus habetur.*

CAPUT IV.

Utrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes, & perfectos. 2. 2. quæst. 183. ar. 4.

DEinde considerandum est, utrum differentia statuum attendatur secundum incipientes, proficientes, & perfectos. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, status libertatem respicit, vel servitutem. Invenitur autem in rebus spiritualibus duplex servitus, & duplex libertas. Una quidem est servitus peccati. Altera vero est servitus justitiæ. Similiter etiam est duplex libertas, una quidem a peccato: alia vero a justitia; ut patet per Apostolum, qui dicit ad Rom. 6. *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: nunc vero liberati a peccato, servi estis facti Deo.* Est autem servitus peccati, vel justitia, cum aliquis vel ex habitu peccati ad malum inclinatur, vel ex habitu justitiæ inclinatur ad bonum. Similiter etiam libertas a peccato est, cum aliquis ab inclinatione peccati non superatur: libertas autem a justitia est, cum aliquis propter amorem justitiæ non retardatur a malo.

Sciendum II. Quod, quia homo secundum

dum naturalem rationem ad justitiam inclinatur, peccatum autem est contra naturalem rationem, consequens est, quod libertas a peccato fit vera libertas, quæ conjungitur servituti justitiæ, quia per utrumque tendit homo in id, quod est conveniens sibi. Et similiter vera servitus est servitus peccati, cui conjungitur libertas a justitia: quia scilicet per hoc homo impeditur ab eo, quod est proprium sibi. Hoc autem, quod homo efficiatur servus justitiæ, vel peccati, contingit per humanum studium, sicut Apostolus dicit ibidem. *Cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi ejus estis, cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam.*

Sciendum III. Quod in omni humano studio est accipere principium, medium, & terminum. Et ideo consequens est, quod status spiritualis servitutis, & libertatis secundum tria distinguantur, scilicet secundum principium, ad quod pertinet status incipientium, & medium, ad quod pertinet status proficientium, & terminum, ad quem pertinet status perfectorum. Et hoc est, quod Gregor. dicit in Moral. & refertur De pœnit. d. 2. cap. Cum sancta. *Tres sunt modi conversorum, inchoatio, medietas, atque perfectio.* Et super Ezech. hom. 15. dicit. *Alia sunt virtutis exordia, alius profectus, alius perfectio.* Eadem autem est divisio graduum charitatis, & statuum pertinentium ad spiritualem libertatem: quia libertas a peccato fit per charitatem, *quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* ut dicitur ad Rom. 5. & inde est, quod dicitur 2. ad Cor. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

Sciendum IV. Quod incipientes, proficientes, & perfecti, secundum quod per hoc status diversi distinguuntur, dicuntur homines non secundum quodcumque studium, sed secundum studium eorum, quæ pertinent ad spiritualem libertatem, vel servitutem, ut dictum est. Nihil autem prohibet, in idem concurrere gradum, & statum, sicut supra dictum est. Nam & in rebus mundanis illi, qui sunt liberi, non solum sunt alterius status, quam servi, sed etiam sunt altioris gradus. Qua de re vide ea, quæ dicta sunt in part. 2. tract. de Charitate cap. 4.

TRACTATUS QUARTUS.

De his quæ pertinent ad statum perfectionis in communi.

Deinde considerandum est de his, quæ pertinent ad statum perfectionis, ad quem alii status ordinantur. Nam consideratio officiorum, quantum quidem ad alios actus, pertinet ad legis positores: quantum autem ad sacra ministeria, pertinet ad considerationem ordinum, de quibus in prima parte tractat. decimoquarto dictum est. Circa statum autem perfectorum quadruplex consideratio occurrit. Primo quidem de statu perfectionis in communi, & consequenter de Voto, seu Juramento ad ejus immobilitatem requisito. Secundo de his, quæ pertinent ad perfectionem Episcoporum. Tertio de his, quæ pertinent ad perfectionem religiosorum. Quarto de his, quæ pertinent ad perfectionem Clericorum. Circa primum igitur in præsenti tractatu octo examinanda sunt breviter. Quare sit

CAPUT PRIMUM.

Utrum perfectio Christianæ vitæ attendatur specialiter secundum charitatem. S. Th. 2. 2. quæst. 184. art. 1.

Apostolus ad Coloss. 3. dicit. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis;* quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est, quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis: quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, ut dicitur 1. Joan. 4. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ. Unde quando dicitur Jac. 1. quod *Patientia opus perfectum habet*. Est sensus, in ordine ad charitatem, in quantum scilicet ex abundantia cha-

charitatis provenit, quod aliquis patienter toleret adversa, secundum illud ad Rom.8. *Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia? &c.* Perfectio igitur christianæ vitæ specialiter, id est substantialiter secundum charitatem attenditur: accidentaliter vero secundum alias virtutes, in quantum ordinem dicunt ad charitatem, cum qua connectuntur, quasi radice; pro cujus intelligentia

Sciendum I. Quod dupliciter potest dici aliquis perfectus. Uno modo simpliciter, quæ quidem perfectio attenditur secundum id, quod pertinet ad ipsam rei naturam; puta, si dicatur animal perfectum, quando nihil ei deficit ex dispositione membrorum, & aliis hujusmodi, quæ requiruntur ad vitam animalis. Alio modo dicitur aliquid perfectum secundum quid, quæ quidem perfectio attenditur secundum aliquid exterius adjacens, puta, in albedine, vel nigredine, vel aliquo hujusmodi. Vita autem christiana specialiter in charitate consistit, per quam anima Deo conjungitur. Unde dicitur 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio christianæ vitæ, sed secundum alias virtutes secundum quid. Et quia id, quod est simpliciter, est principalissimum, & maximum respectu aliorum: inde est, quod perfectio charitatis est principalissima respectu perfectionis, quæ attenditur secundum alias virtutes.

Sciendum III. Quod perfectio humanorum sensuum, de qua dicit Apostolus 1. ad Corinth. 14. *Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti;* præcipue in hoc videtur consistere, ut in unitatem veritatis conveniant, secundum illud 1. ad Corinth. 1. *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Hoc autem fit per charitatem, quæ consensum in hominibus operatur; & ideo etiam perfectio sensuum radicaliter in perfectione charitatis consistit.

CAPUT II.

Utrum aliquis in hac vita possit esse perfectus. 2.2. q. 184. a. 2.

Dominus nos inducit ad perfectionem dicens Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Lex autem divina non inducit ad impossibile: ergo videtur, quod aliquis in hac vita possit esse perfectus. Ad cujus intelligentiam

Sciendum I. Quod, sicut dictum est, perfectio vitæ christianæ in charitate consistit. Importat autem perfectio quandam universalitatem: quia, ut dicitur in 3. Physic. tex. 64. perfectum est, cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari. Una quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantum diligitur, quantum diligibilis est: & talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter, & essentialiter invenitur. Alia autem est perfectio, quæ attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum: & talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria.

Sciendum II. Quod tertia perfectio est, quæ neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc, quod semper actu feratur in Deum, sed quantum ad hoc, quod excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum, sicut Aug. dicit in lib. 83. qq. q. 36. *Venenum charitatis est cupiditas; perfectio nulla cupiditas:* & talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Uno modo, in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale, & sine tali perfectione charitas esse non potest, unde est de necessitate salutis. Alio modo, in quantum ab affectu hominis excluditur non solum id, quod est charitati contrarium: sed etiam omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione cha-

charitas esse potest, puta in incipientibus, & proficientibus.

Sciendum III. Quod illi, qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere Jacob. 3. *In multis offendimus omnes*; sed solum secundum peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ; & quantum ad hoc etiam habent aliquid imperfectum per comparationem ad perfectionem patriæ. Unde in Ps. 138. dicit David: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Et Apostolus dicit 1. ad Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*. Status ergo præsentis vitæ non patitur, ut homo semper actu feratur in Deum: & similiter non patitur, quod actu feratur in omnes proximos singillatim; sed sufficit, quod feratur communiter in omnes in universali, & in singulos habitualiter, & secundum animi præparationem.

Sciendum IV. Quod circa dilectionem proximi potest duplex perfectio attendi, sicut & circa dilectionem Dei. Una quidem, sine qua charitas esse non potest: ut scilicet homo nihil habeat in affectu, quod sit contrarium dilectioni proximi. Alia autem, sine qua charitas inveniri potest. Quæ quidem attenditur tripliciter. Primo quidem secundum extensionem dilectionis, ut scilicet aliquis non solum diligat amicos, & notos, sed etiam extraneos, & ulterius inimicos. Hoc enim, ut dicit Aug. in Enchyr. c. 73. est perfectorum filiorum Dei. Secundo, secundum intensionem, quæ ostenditur ex his, quæ homo propter proximum contemnit, ut scilicet homo contemnat non solum exteriora bona propter proximum, sed etiam afflictiones corporales, & ulterius mortem, secundum illud Joan. 15. *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Tertio quantum ad effectum dilectionis, ut scilicet homo pro proximis impendat non solum temporalia beneficia, sed etiam spiritualia, & ulterius seipsum, secundum illud Apost. 2. ad Cor. 12. *Ego autem libentissime impendam, ut superimpendar ipse pro animabus vestris*.

CAPUT III.

Utrum perfectio consistat in præceptis, an in consiliis. 2. 2. quæst. 184. a. 3.

PErfectio vitæ christianæ, sicut dictum est, attenditur secundum hoc, quod Deum ex toto corde diligamus, & proximum sicut nos ipsos. Dicitur autem Matth. 22. *In his duobus præceptis universa lex pendet, & prophetæ*. Ergo videtur, quod perfectio consistat in observantia præceptorum. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod perfectio dicitur in aliquo consistere dupliciter. Uno modo per se, & essentialirer. Alio modo secundario, & accidentaliter. Per se quidem, & essentialiter consistit perfectio christianæ vitæ in charitate, principaliter quidem secundum dilectionem Dei, secundario autem secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis Deut. 6. & Levit. 19. Non autem dilectio Dei, & proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ita, quod id, quod est plus, sub consilio remaneat, ut patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat, ut, cum dicitur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Totum enim, & perfectum idem sunt, secundum Philos. in 3. Phys. tex. 64. Et, cum dicitur. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Unusquisque enim se ipsum maxime diligit. Et hoc ideo est, quia *finis præcepti charitas est*, ut Apost. dicit 1. ad Tim. 1. In fine enim non adhibetur aliqua mensura, ut Philos. dicit in 1. Politic. cap. 6. sicut medicus non adhibet mensuram, quantum sanet, sed quanta medicina, vel dieta utatur ad sanandum: & sic patet, quod perfectio essentialiter consistit in præceptis.

Sciendum II. Quod secundario, & instrumentaliter perfectio consistit in consiliis, quæ omnia, sicut & præcepta, ordinantur ad charitatem, sed aliter, & aliter. Nam præcepta alia præceptis charitatis ordinantur ad removendum ea, quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest: consilia autem ordinantur ad removendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati

tati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum sæcularium, & alia hujusmodi. Unde August. dicit in Enchyrid. cap. 121. *Quæcumque mandat Deus, ex quibus unum est: Non mæchaberis: & quæcumque non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est. Bonum est homini mulierem non tangere: tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum & in hoc sæculo, & in futuro.* Et inde est, quod in collationibus Patrum, collat. 1. cap. 7. dicit Abbas Moyses. *Jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplina illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.*

Sciendum III. Quod, sicut Augustin. dicit in lib. de perfectione justitiæ. *Perfectio charitatis homini in hac vita præcipitur: quia non recte curritur, si, quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Cum autem id, quod cadit sub præcepto, diversimode possit impleri, non efficitur transgressor præcepti aliquis ex hoc, quod non optimo modo implet, sed sufficit, quod quocumque modo impleat illud. Perfectio autem divinæ dilectionis universaliter quidem cadit sub præcepto, ita, quod etiam perfectio patriæ non excluditur ab illo præcepto, ut dicit August. cit. loc. Sed transgressionem præcepti evadit, qui quocumque modo perfectionem divinæ dilectionis attingit. Est autem infimus dilectionis gradus, ut nihil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur, a quo gradu perfectionis, qui deficit, nullo modo implet præceptum. Est autem alius gradus perfectæ dilectionis, qui non potest impleri in via, ut supra dictum est, a quo qui deficit, manifestum est, quod non est transgressor præcepti. Et similiter non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.

Sciendum IV. Quod in illis verbis Domini Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me;* aliquid ponitur quasi via ad perfectionem, hoc scilicet, quod dicitur: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Aliud autem subditur, in quo perfectio consistit, scilicet, quod dicit: *& sequere me.* Unde Hieron. dicit super Matthæum. *Quia non sufficit tantum relinquere: Petrus adjungit, quod perfectum est, id est secuti sumus te.* Ambros. autem super illud Luc. 5. sequere me, dicit: *Sequi jubet non corporis gressu, sed mentis affectu;* quod fit per charitatem. Et ideo ex ipso modo loquendi apparet, quod consilia sunt quædam instrumenta perveniendi ad perfectionem, dum dicitur: *si vis perfectus esse, vade, vende &c.* quasi dicat: Hoc faciendo ad hunc finem pervenies.

CAPUT IV.

Utrum quicumque est perfectus, sit in statu perfectionis. 2. 2. quæst. 184. art. 4.

Aliqui sunt in statu perfectionis, qui omnino charitate, & gratia carent, sicuti mali Episcopi, aut mali Religiosi. Ergo videtur, quod e contrario aliqui habent perfectionem vitæ, qui tamen non habent perfectionis statum. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, status proprie pertinet ad conditionem libertatis, vel servitutis. Spiritualis autem libertas, vel servitus potest in homine attendi dupliciter. Uno modo secundum id, quod interius agitur. Alio modo secundum id, quod agitur exterius. Et, quia, ut dicitur 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ patent, sed Deus intuetur cor;* inde est, quod secundum interiorem hominis dispositionem accipitur conditio spiritualis status in homine per comparationem ad judicium divinum. Secundum autem ea, quæ exterius aguntur, accipitur spiritualis status in homine per comparationem ad Ecclesiam. Et sic nunc de statibus loquimur, prout scilicet ex diversitate statuum quædam Ecclesiæ pulchritudo consurgit.

Sciendum II. Quod, quantum ad homines, ad hoc, quod aliquis adipiscatur statum libertatis, vel servitutis, requiritur primo quidem obligatio aliqua, vel absolutio. Non enim ex hoc, quod aliquis servit

servit alicui, efficitur servus, quia etiam liberi serviunt, secundum illud ad Galat. 5. *Per charitatem spiritus servite invicem*. Neque etiam ex hoc, quod aliquis desinit servire, efficitur liber, sicut patet de servis fugitivis: sed ille proprie dicitur servus, qui obligatur ad serviendum: & ille est liber, qui a servitute absolvitur. Secundo requiritur, quod obligatio prædicta cum aliqua solemnitate fiat; sicut & cæteris, quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem, quædam solemnitas adhibetur.

Sciendum III. Quod sic ergo in statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc, quod habet actum dilectionis perfectæ: sed ex hoc, quod obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea, quæ sunt perfectionis. Contingit etiam, quod aliqui se obligat ad id, quod non servant, & aliqui implent, ad quod se non obligaverunt, ut patet Matth. 21. de duobus filiis, quorum unus patri dicenti: *operare in vinea, respondit: nolo; & postea abiit*. Alter autem, *respondens ait: eo, & non ivit*. Et ideo nihil prohibet, aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis, & aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti.

CAPUT V.

Utrum Religiosi, & Prælati sint in statu perfectionis. 2.2. quæst. 184. art. 5.

Dionys. 5. c. Ecclef. hier. attribuit perfectionem Episcopis tanquam perfectioribus. Et in 6. c. ejusdem lib. attribuit perfectionem religiosis, quos vocat monachos, vel therapeutas, idest Deo famulantes, tanquam perfectis. Ad cujus rei evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut dictum est, ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea, quæ sunt perfectionis, cum aliqua solemnitate. Utrumque autem horum competit religiosis, & Episcopis. Religiosi enim se voto astringunt ad hoc, quod a rebus sæcularibus se abstineant, quibus licite uti poterant, ad hoc, quod liberius Deo vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ. Unde Dionys. dicit 6. c. Ecclef. hier. de religiosis loquens. *Alii quidem therapeutas, id est famulos Dei ex puro servitio, & famulatu. Alii vero Monachos ipsos nominant ex indivisibili, & singulari vita uniente ipsos ex indivisibilium sanctis convolutionibus* (id est contemplationibus) *ad deiformem unitatem, & amabilem Deo perfectionem*. Horum etiam obligatio fit cum quadam solemnitate professionis, & benedictionis. Unde & ibid. subdit Dionys. *Propter quod perfectam ipsius donans gratiam sancta legislatio quadam ipsos dignata est sanctificativa invocatione*.

Sciendum II. Quod similiter etiam Episcopi obligant se ad ea, quæ sunt perfectionis, pastorale assumentes officium, ad quod pertinet, ut *animam suam ponat pastor pro ovibus suis*; sicut dicitur Joan. 10. Unde Apost. dicit 1. ad Tim. ult. *Confessus bonam confessionem coram multis testibus*, id est in sua ordinatione, ut Glos. interl. ibid. dicit. Adhibetur etiam quædam solemnitas consecrationis simul cum professione prædicta, secundum illud 2. ad Tit. 1. *Resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*. Quod Glos. interl. exponit de gratia Episcopali. Et Dionys. dicit 5. c. Ecclef. hier. quod *summus Sacerdos* (id est Episcopus) *in sua ordinatione habet eloquiorum super caput sanctissimam superpositionem: ut significetur, quod ipse est participativus integræ totius hierarchicæ virtutis, & quod ipse non solum sit illuminativus omnium, quod pertinet ad sacras locutiones, & actiones, sed quod etiam hoc aliis tradat*.

Sciendum III. Quod inchoatio, & augmentum non quæritur propter se, sed propter perfectionem; & ideo ad solum perfectionis statum aliqui homines cum quadam obligatione, & solemnitate assumuntur: non autem ad statum incipientium, & proficientium. Homines autem statum perfectionis assumunt, non quasi profitentes, seipsos perfectos esse, sed profitentes, se ad perfectionem tendere. Unde & Apost. dicit ad Philip. 3. *Non, quod jam comprehenderim, aut jam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam*. Et postea subdit: *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*. Unde non committit aliquis mendacium, vel simulationem ex hoc, quod non est perfectus, qui statum per-

perfectionis assumit: sed ex eo, quod ab intentione perfectionis animum revocat. Denique notandum, quod martyrium in actu perfectissimo charitatis consistit. Actus autem perfectionis non sufficit ad statum faciendum apud homines, ut ex dictis patet, sed solum coram Deo.

CAPUT VI.

Utrum omnes Prælati Ecclesiastici sint in statu perfectionis. 2. 2. qu.184. art.6.

Dionys. dicit in 5. c. Eccles. hier. *Pontificum quidem ordo consummativus est, & perfectivus. Sacerdotum autem illuminativus, & lucidativus. Ministrantium vero purgativus, & discretivus*. Ex quo patet, quod perfectio solis Episcopis attribuitur. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod in Presbyteris, & Diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari, scilicet ordo, & cura. Ordo autem ipse ordinatur ad quendam actum in divinis officiis. Unde supra dictum est, quod distinctio ordinum sub distinctione officiorum continetur. Unde per hoc, quod aliqui suscipiunt sacrum ordinem, accipiunt potestatem quosdam sacros actus perficiendi, non autem obligantur ex hoc ipso ad ea, quæ sunt perfectionis, nisi quatenus apud occidentalem Ecclesiam in susceptione sacri ordinis emittitur continentiæ votum, quod est unum eorum, quæ ad perfectionem pertinent, ut infra dicetur. Unde patet, quod ex hoc, quod aliquis accipit sacrum ordinem, non ponitur simpliciter in statu perfectionis: quamvis interior perfectio ad hoc requiratur, quod aliquis digne hujusmodi actus exerceat.

Sciendum II. Quod similiter etiam nec ex parte curæ, quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis. Non enim obligantur ex hoc ipso vinculo perpetui voti ad hoc, quod curam animarum retineant: sed possunt eam deserere, vel transeundo ad religionem, etiam absque licentia Episcopi, ut habetur in Decretis 19. quæst. 2. cap. duæ sunt. Et etiam cum licentia Episcopi potest aliquis archidiaconus archidiaconatum, vel parochiam dimittere, & simplicem præbendam accipere sine cura: quod nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis. *Nemo enim manum mittens ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei;* ut dicitur Luc.9. Episcopi autem, quia sunt in statu perfectionis, non possunt Episcopalem curam deserere, nisi ex certis causis, & auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, ut infra dicetur. Unde manifestum est, quod non omnes Prælati sunt in statu perfectionis, sed soli Episcopi.

Sciendum III. Quod Plebani, & Archidiaconi non habent principaliter curam ovium, sicut habent Episcopi, sed administrationem quandam, secundum quod eis ab Episcopo committitur. Unde super illud I. ad Cor. 12. *Alii opitulationes, alii gubernationes;* dicit Gloss. interl. *Opitulationes, id est eos, qui majoribus ferunt opes, ut Titus Apostolo: vel Archidiaconi Episcopis: gubernationes, scilicet minorum personarum prælationes, ut Presbyteri sunt, qui plebi documento sunt*. Dicere autem, Presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæretica numerat August. in lib. de hæresibus, ubi dicit, quod Arriani dicebant, Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Quare etiam ad eos non pertinet principaliter pastorale officium, nec obligatio ponendi animam pro ovibus: sed in quantum participant de cura. Unde magis habent quoddam officium ad perfectionem pertinens, quam obtineant perfectionis statum.

CAPUT VII.

Utrum status Religiosorum sit perfectior, quam status Prælatorum. 2. 2. quæst.184. art.7.

Deinde considerandum est de comparatione status Religiosorum ad statum Episcoporum. Circa quod.

Sciendum I. Quod, sicut August. dicit 12. super Gen. ad litter. cap.16. *Semper agens præstantius est patiente*. In genere autem perfectionis secundum Dionys. 6. c. Eccl. hier. Episcopi se habent, ut perfectores, Religiosi autem, ut perfecti; quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem. Unde manifestum

est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in religiosis. Unde potest aliquis a statu religionis transire ad statum Episcopalem. Dicitur enim in Decretis, 18. q. 1. cap. Statutum. *Sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit*. Nulli autem licet a majori statu ad minorem transire, hoc enim esset retro respicere.

Sciendum II. Quod hoc ipsum, quod Episcopi intendunt his, quæ pertinent ad proximorum dilectionem, provenit ex abundantia dilectionis divinæ. Unde Dominus primo a Petro quæsivit, an eum plus aliis diligeret, & postea ei sui gregis curam commisit. Et Greg. dicit in pastorali part. 1. c. 5. *Si dilectionis testimonium est cura pastoralis, quisque virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare*. Hoc autem est majoris dilectionis signum; ut homo propter amicum etiam alii serviat, quam si soli amico velit servire.

Sciendum III. Quod, sicut Greg. dicit in pastorali, 2. part. c. 1. *Sit præsul actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione suspensus*: quia ad Episcopos pertinet non solum propter se ipsos, sed propter instructionem aliorum contemplari. Unde Gregor. dicit super Ezech. hom. 5. quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur Psal. 44. *Memoriam suavitatis tuæ eructabunt*. Vita ergo activa in Episcopis procedit ex abundantia contemplationis, sicut etiam dilectio proximi in ipsis ex abundantia dilectionis Dei procedit, quantum est ex natura curæ pastoralis, ratione cujus tenentur animam suam pro ovibus ponere sibi commissis.

Sciendum IV. Quod abrenunciatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum quod est in actu, & sic in ea non consistit essentialis perfectio, sed est quoddam perfectionis instrumentum, sicut supra dictum est: & ideo nihil statum perfectionis prohibet esse sine abrenunciatione propriarum facultatum, sicut etiam dicendum est de aliis exterioribus observantiis. Alio modo potest considerari secundum præparationem, ut scilicet homo sit paratus, si fuerit opus, omnia dimittere, vel distribuere: & hoc pertinet directe ad perfectionem. Unde Aug. dicit in lib. 2. de quæst. Evang. c. 11. *Ostendit Dominus filios sapientiæ intelligere, non in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam*. Unde & Apostolus dicit: *Scio & abundare, & penuriam pati*. Ad hoc autem maxime tenentur Episcopi, quod omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus sui gregis largiendo, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo.

CAPUT VIII.

Utrum Presbyteri, Curati, & Archidiaconi, sint majoris perfectionis, quam Religiosi. 2. 2. q. 184. a. 8.

Denique considerandum est de comparatione presbyterorum, & aliorum habentium curam animarum cum religiosis, quantum ad perfectionem. Circa quod

Sciendum I. Quod comparatio supereminentiæ non habet locum inter aliquos ex ea parte, in qua conveniunt, sed ex ea parte, in qua differunt. In presbyteris autem, Curatis, & Archidiaconis, tria est considerare, scilicet statum, ordinem, & officium. Ad statum pertinet, quod sæculares sint: ad ordinem, quod sint sacerdotes, vel diaconi: ad officium, quod curam animarum habeant sibi commissam. Si ergo ex alia parte ponamus statum religiosum, ordine diaconum, vel sacerdotem, officio curam animarum habentem, sicut plerique monachi, & canonici regulares habent, in primo quidem excellit, in aliis autem par erit. Si autem differat secundus a primo statu, & officio, conveniat autem ordine, sicut sunt religiosi, sacerdotes, & diaconi curam animarum non habentes, manifestum est, quod secundus primo erit quidem statu excellentior, officio autem minor, ordine vero æqualis.

Sciendum II. Quod considerandum est, quæ præeminentia potior sit, utrum status, vel officii, circa quod duo attendenda videntur, scilicet bonitas, & difficultas. Si ergo fiat comparatio secundum bonitatem, sic præfertur status religionis officio presbyteri, curati, vel archidiaconi,

quia

quia religioſus totam vitam ſuam obligat ad perfectionis ſtudium. Presbyter autem curatus, vel archidiaconus non obligat totam vitam ſuam ad curam animarum, ſicut Epiſcopus: nec etiam ei competit principalem curam ſubditorum habere, ſicut Epiſcopo, ſed quædam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur, ut ex dictis patet. Et ideo comparatio ſtatus religionis ad eorum officium eſt, ſicut univerſalis ad particulare, & ſicut holocauſti ad ſacrificium, quod eſt minus holocauſto, ut patet per Gregor. hom. 20. ſuper Ezech. Unde & 19. quæſt. 1. dicitur. *Clericis, qui monachorum propoſitum appetunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopis in monaſteriis oportet largiri ingreſſus.*

Sciendum III. Quod prædicta comparatio ſtatus ad officium intelligenda eſt ſecundum genus operis. Nam ſecundum charitatem operantis contingit quandoque, quod opus ex genere ſuo minus exiſtens magis ſit meritorium, ſcilicet, ſi ex majori charitate fiat. Si vero attendatur difficultas bene converſandi in religione, & in officio habentis curam animarum propter exteriora pericula: quamvis converſatio religionis ſit difficilior quantum ad ipſum genus operis propter arctitudinem obſervantiæ regularis; tamen difficilius eſt bene converſari cum cura animarum propter exteriora pericula. Periculoſior ergo eſt ſtatus habentis curam animarum, quam monachi. In majori autem periculo innocentem ſe ſervare eſt majoris virtutis indicium. Sed hoc etiam ad magnitudinem virtutis pertinet, quod aliquis vitet pericula religionem intrando. Unde Chryſoſt. in lib. 6. de Sacerd. dicit, *Si quis mihi proponeret optionem, ubi mallem placere, in officio ſacerdotali, an in ſolitudine monachorum, ſine comparatione eligerem illud, quod prius dixi.* Ubi nota, quod non dicit, quod mallet eſſe in officio ſacerdotali, quam in ſolitudine monachorum, ſed, quod mallet placere in hoc, quam in illo: quia hoc eſt majoris virtutis argumentum; licet illud ſit majoris cautionis tutamentum.

Sciendum IV. Quod, ſi religioſus etiam ordine careat, ſicut patet de converſis religionum, ſic manifeſtum eſt excellere præeminentiam ordinis quantum ad dignitatem: quia per ſacrum ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſervitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur major ſanctitas interior, quam requirat etiam religionis ſtatus: quia, ſicut Dion. dicit 6. c. Eccleſ. Hier. *Monaſticus ordo habet ſequi ſacerdotales ordines, & ad eorum imitationem ad divina aſcendere.* Unde gravius peccat, cæteris paribus, clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, ſi aliquid contrarium ſanctitati agat, quam aliquis religioſus, qui non habet ordinem ſacrum: quamvis laicus religioſus teneatur ad obſervantias regulares, ad quas illi, qui ſunt in ſacris ordinibus, non tenentur.

Sciendum V. Quod difficultas, quæ eſt ex arduitate operis, addit ad perfectionem virtutis. Difficultas autem, quæ provenit ex exterioribus impedimentis, quandoque quidem diminuit perfectionem virtutis, puta, cum aliquis non tantum virtutem amat, ut impedimenta virtutis declinare velit, ſecundum illud Apoſt. 1. ad Cor. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Quandoque vero eſt ſignum perfectionis virtutis; puta, cum alicui ex inopinato, vel ex neceſſaria cauſa impedimenta virtutis occurrunt, propter quæ tamen a virtute non declinat. In ſtatu autem religionis eſt major difficultas ex arduitate operum: ſed in his, qui in ſæculo vivunt qualitercumque, eſt major difficultas ex impedimentis virtutis, quæ religioſi per omnia provide vitaverunt. Unde habes, quantæ prudentiæ, & virtutis ſit vitare talia pericula, religioſum ſtatum eligendo.

Sciendum VI. Quod illi, qui a ſtatu religionis aſſumuntur ad curam animarum, cum prius eſſent in ſacris conſtituti, aſſequuntur aliquid, quod prius non habebant, ſcilicet officium curæ: non autem deponunt, quod prius habebant, ſcilicet religionis ſtatum, ut dicitur 16. q. 1. de monachis. Sed presbyteri curati, vel archidiaconi, quando religionem ingrediuntur, curam deponunt, ut adipiſcantur perfectiorem ſtatum: Unde ex hoc ipſo excellentia ex parte religionis oſtenditur.

TRACTATUS QUINTUS.

De Voto ad statum perfectionis constituendum requisito.

CONsequenter considerandum est de voto, & juramento, quod ad firmitatem, seu immobilitatem status perfectionis requiritur, sicut supra dictum est. Circa votum autem in præsenti tria consideranda sunt. Primo de his, quæ pertinent ad ejus naturam. Secundo de his, quæ pertinent ad ejus solemnitatem. Tertio de his, quæ pertinent ad ejus relaxationem. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Utrum votum consistat in solo proposito voluntatis. S.Thom. 2.2.q. 88. a. 1.

ECclef. 5. Dicitur. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*. Ergo vovere est promittere, & votum est promissio. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod votum quamdam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum. Obligat autem homo se homini ad aliquid per modum promissionis, qui est rationis actus, ad quem pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo, quid sibi ab aliis fiat, ita promittendo ordinat, quid ipse pro alio facere debeat: sed promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri, nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa: Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem, quia, ut dicitur 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ parent: sed Deus intuetur cor*. Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad sui ipsius excitationem, sicut circa orationem dictum est in 2. part. vel etiam ad alios contestandum, ut non solum desistant a fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reverentiam hominum. Promissio autem procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Unde

Sciendum II. Quod ad votum tria requiruntur. Primo quidem deliberatio. Secundo propositum voluntatis. Tertio promissio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur vero quandoque & alia duo ad quamdam voti confirmationem, scilicet pronunciatio oris, secundum illud Psal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*. Et iterum testimonium aliorum. Unde Magister dicit in 38. dist. 4. lib. sent. *Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ sunt Dei, fieri debet*. Quamvis testificatio possit ad interiorem testificationem proprie referri. Votum tamen a voluntate accipit nomen, quasi a primo movente, eo, quod volnntas hominis movet rationem ad promittendum aliquid, circa ea, quæ voluntati ejus subduntur.

Sciendum III. Quod quidam antiqui Doctores, quos refert Albert. Mag. super 4. sent. dist. 38. a. 1. dicebant, quod *votum est conceptio boni propositi cum animi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendum, se Deo obligat*. Sed, ut notat D. Tho. ad 1. Conceptio boni propositi non confirmatur ex animi deliberatione, nisi promissione deliberationem consequente, qua quis se Deo obligat ad aliquid faciendum, vel dimittendum. In promissione ergo perficitur ratio voti, præsupposito tamen proposito, & deliberatione voluntatis. Sine promissione autem, qua quis intendit se Deo obligare, nec deliberatio voluntatis, nec conceptio boni propositi ullam obligationem parit, unde voti rationem non habent. Et ideo ratio voti essentialiter in promissione Deo facta consistit, spontanea tamen, & deliberata faciendi aliquid, vel dimittendi, quod ad Deum pertinet, seu quod Deo placet.

Sciendum IV. Quod ad votum requiritur plena, & perfecta deliberatio, & libertas, cum sit promissio spontanea: ex quo aliqui inferunt, quod vota metu extorta ipso jure naturali irrita sunt, sicuti notant Salmant. Ad hanc autem deliberationem non requiritur diuturnitas temporis, aut diuturna consideratio, & matura

tura diſcuſſio, ſed ſufficit adventitia intellectus ad gravem obligationem, qua ſe per votum aſtringit, quod in inſtanti fieri poteſt, ut notat Cajet. Cæterum, quia hujuſmodi vota repentina, & ſine matura deliberatione facta, ſtulte fiunt, & per conſequens Deo diſplicent, juſtam cauſam habent, ut diſpenſari, aut commutari poſſint, ut patet ex cap. Veniens, de voto, & voti oblig. ſicut notat Abbas. Vota ergo cum plena advertentia, ſed ſine maturo conſilio facta, valida ſunt, & acceptantur a Deo, quantum ad obligationem præſtandi rem promiſſam, ſed non acceptantur ad meritum gloriæ, quia ſtulte, & cum peccato, ſaltem veniali, fiunt quantum ad modum. Qua de re vide Salmant. in tract. 18. cap. 1.

Sciendum v. Quod ad validitatem voti requiritur propoſitum, ſeu intentio promittendi, & ſe obligandi per votum: propoſitum autem adimplendi promiſſum non requiritur ad hoc, ut votum valide, ſed ſolum, ut licite fiat. Unde colligitur primo, quod, ſi quis neſciens votum ſecum ferre obligationem, illud emitteret, non eſſet validum, cum promiſſio ex errore circa ſubſtantiam facta non obliget, ut dictum eſt in tr. de contractib. cap. 2. procedit enim ex ignorantia antecedenti, quæ cauſat involuntarium ſimpliciter. Secundo, qui ſciens votum importare ex natura ſua gravem obligationem vovet animo non ſe obligandi, non valide vovet, quia apponit conditionem contrariam ſubſtantiæ voti, & verbo ludit, ut docent Suar. Bonac. Salm. contra Sotum. Tertio, qui ſincere vovet nil cogitans de obligatione, valide vovet, & remanet obligatus, quia intendit vovere juxta conſuetum modum, & implicite vult obligationem, ut ex communi notant Salmant. Quarto, qui vovet ſine animo promittendi, nec ſe obligandi, non vere vovet, ſed ſolum propoſitum emittit. Promiſſio enim quando fit ore, & non corde, apud Deum non eſt votum, ut dicit D. Thom. in 4. d. 38. qu. 1. a. 1. q. 1. ad 2. Si vero intendat promittere, & ſe obligare, ſed cum intentione non adimplendi, remanet obligatus, ſed graviter peccat: quia adimpletio eſt quid conſequens ad obligationem.

Sciendum VI. Quod ad valorem voti non ſufficit ſimplex propoſitum promittendi, & ſe obligandi, imo & exequendi: ſed requiritur actualis promiſſio, ut fert communis ſententia: quia tale ſimplex propoſitum ſolum ex parte objecti, non vero ex parte actus obligationem reſpicit, & promiſſionem & affectum exprimit ad executionem; ſed ipſius lineam non attingit, cum ſit intra lineam intentionis. Unde D. Thom. in præſenti ad 3. nec etiam culpam venialem agnoſcit in eo, qui a bono propoſito melioris vitæ abſque ulla cauſa retrocedit, niſi aliqua circumſtantia ſpecialis adjungatur. Natura enim propoſiti ſimplicis de ſe mutabilis eſt, nec aliquid facit, niſi promiſſione adjuncta, a qua jam incipit executio, utpote quæ eſt actus ordinativus, ſeu imperii, per quem promittens jam mittit manum ad aratrum per obligationem, licet nondum aret per adimpletionem: unde ei non licet amplius retro reſpicere abſque gravi culpa. Quamvis Laym. culpam levem agnoſcat in reſilientia a ſimplici propoſito boni.

CAPUT II.

Utrum votum ſemper debeat fieri de meliori bono. 2. 2. qu. 88. ar. 2.

Deinde conſiderandum eſt, quid cadat ſub voto tanquam ejus propria materia. Circa quod

Sciendum I. Quod, ſicut dictum eſt votum eſt promiſſio Deo facta. Promiſſio autem eſt alicujus, quod quis pro aliquo voluntarie facit. Non enim eſſet promiſſio, ſed comminatio, ſi quis diceret, ſe contra aliquem facturum. Similiter vana eſſet promiſſio, ſi aliquis alicui promitteret id, quod ei non eſſet acceptum. Et ideo, cum omne peccatum ſit contra Deum, nec aliquod opus ſit Deo acceptum, niſi ſit virtuoſum, conſequens eſt, quod de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, ſed ſolum de aliquo actu virtutis. Sed, quia votum promiſſionem voluntariam importat, neceſſitas autem voluntatem excludit; id, quod eſt abſolute neceſſarium eſſe, vel non eſſe, nullo modo ſub voto cadit. Stultum enim eſſet, ſi quis voveret, ſe eſſe moriturum, vel ſe non eſſe volaturum. Illud vero,

quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta, quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto, in quantum voluntarie fit, non autem, in quantum est necessitatis. Illud autem, quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omnino est voluntarium; & ideo hoc propriissime cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse majus bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis: ideo proprie loquendo, votum dicitur esse de meliori bono. Unde

Sciendum II. Quod quædam sunt, quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis, & talia bona possunt absolute cadere sub voto. Quædam vero in omnem eventum sunt mala, sicut ea, quæ secundum se sunt peccata: & hæc nullo modo possunt cadere sub voto, esset enim peccatum blasphemiæ, promittere Deo aliquod peccatum etiam leve, quasi illi posset placere peccatum. Quædam vero sunt quidem in se considerata bona, & secundum hoc possunt cadere sub voto, possunt tamen habere malum eventum, in quo non sunt observanda. Ea vero, quæ cadunt sub præcepto, & ideo sunt de necessitate salutis, possunt cadere sub voto, in quantum voluntarie fiunt: & sic fuit votum Jacobi, quod esset ei Dominus in Deum, quamvis etiam possit intelligi, quod Jacob vovit, se habere Dominum in Deum per specialem cultum, ad quem non tenebatur, sicut per decimarum oblationem, & alia hujusmodi, quæ subduntur Gen. 28.

Sciendum III. Quod maceratio proprii corporis, puta, per vigilias, & jejunia, non est Deo accepta, nisi, in quantum est opus virtutis, quod quidem est, in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, & natura non nimis gravetur. Et sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere: propter quod & Apost. Rom. 12. postquam dixerat. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem:* (addidit) *Rationabile obsequium vestrum*. Sed, quia in his, quæ ad se ipsum pertinent, de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentius secundum arbitrium superioris sunt vel servanda, vel prætermittenda, ita tamen, quod, si ex observatione talis voti magnum, & manifestum gravamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non debet homo tale votum servare. Vota vero, quæ sunt de rebus vanis, & inutilibus, sunt magis deridenda, quam servanda. Semper ergo votum debet esse melioris boni, quod scilicet & bonum sit omnibus attentis circumstantiis, & sit aliquo modo supererogationis, & ad quod vovens non tenebatur saltem eo titulo, quo per votum tenetur, secundum quod dicitur Deuter. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris*. Nihil enim prohibet, aliquem per novam obligationem in bono alias debito firmari ex electione voluntatis.

Sciendum IV. Quod eorum, quæ aliquo modo nostræ subsunt voluntati, septem sunt genera. Quædam necessaria simpliciter, ut mori. Quædam necessaria ad finem æternæ salutis, ut præcepta. Quædam expedientia ad æternam salutem, ut consilia. Quædam bona, nec tamen de præcepto, nec de consilio, ut nubere. Quædam indifferentia, ut transire extra muros villæ, uti veste alba, & alia hujusmodi. Quædam impedientia viam æternæ salutis, ut peccata venialia. Quædam contraria æternæ saluti, ut peccata mortalia. Horum autem septem generum, quatuor extra quæstionem sunt, quoniam manifeste constat de illis, de primo quidem, nam necessaria absolute, constat, non posse esse materiam voti, sicut nec impossibilia absolute: nullus enim, nisi stultus potest vovere, se moriturum, aut non esse volaturum. Tertium genus, scilicet consiliorum, constat esse materiam voti propriissimam, sunt enim bona meliora. Sextum vero, & septimum, scilicet impedientium, & contrariorum æternæ saluti, non posse esse materiam voti, patet, quia non esset promissio, sed comminatio, si quis se aliquid displicens Deo facturum voveret. Tria autem genera, scilicet, secundum, quartum, & quintum quæstionem habent, & similiter tertium genus quoad sua opposita, scilicet non facere opera, quæ sunt de consilio, ut non mutuare, non fide jubere, & hujusmodi. Denique, cum bona quoque supererogationis malum habent annexum, sub dubio cadunt,

dunt, ut vovere religionem propter avaritiam, & similia. Ad quorum decisionem

Sciendum v. Quod sine dubio necessaria ad salutem possunt esse materia voti proprie dicti, & ratio in littera redditur, quia sunt voluntaria. Effectus vero voti in hujusmodi necessariis ad salutem, est facere idem alio modo Deo debitum a se ipso vovente, ita, ut non fornicari, ex. g. quod erat debitum solum, ut erat castitatis, modo est etiam debitum, quia est religionis. Manifestatur autem hoc sic. Vovens non fornicari, si post fornicatur, non solum peccat peccato luxuriæ, sed etiam irreligiositatis, agens contra votum. Ergo est ibi vera species voti. Non enim circumstantia mutaret speciem, nisi esset ibi specialis ratio illius speciei. Ubi autem salvatur essentialis ratio alicujus, ibi est proprie illud, ut patet discurrendo. Quia ergo in hujusmodi transgressionibus invenitur essentialis ratio speciei, ad quam trahit circumstantia contra votum, manifestum fit, quod ibi proprie fuit votum. D. Thom. autem in 4. dist. 38. votum de necessariis ad salutem non proprie, sed communiter votum esse dicit, quia ibi considerat votum ex parte materiæ, unde accipit ly proprie contrapositive ad commune ex parte materiæ, non autem ex parte essentiæ ipsius voti. Et vocat votum communiter, quia obligat ad ea, ad quæ communiter homines tenentur. Votum vero proprie, quod obligat ad ea, ad quæ alius non teneretur.

Sciendum vi. Circa opposita consiliorum, certum esse, quod etsi non displiceat Deo, te non sequi consilium suum, displicet tamen ei, quod tu promittas ei, te consilium suum non servaturum: quoniam hoc esset facere, quod promissio sibi facta esset vinculum contra consilium suum; ac per hoc Deus ipse ex una parte daret consilium, & ex alia parte prohiberet sequi consilium suum. Non est ergo Deo acceptabilis promissio contra consilia sua; ac per hoc non est votum: sed in hoc habet locum illud: In turpi voto muta decretum. Immo sic voventes peccant, abutendo promissione ad Deum. Tria autem mala in hujusmodi votis inveniri contingit. Primum ex parte rei promissæ, quæ quandoque, scilicet in articulo necessitatis, potest esse in præcepto. Et ex hac parte; si quis tam pertinaci animo voveret non mutuare, non dare eleemosynam, & hujusmodi, ut etiam intendat, in articulo necessitatis hæc non facere, sine dubio peccat mortaliter. Secundum ex parte inclusæ attributionis Deo, quia scilicet hic clauditur, quod Deo sit gratum vinculum contra sua consilia. Et, si quis hoc cognosceret, animadverteret, & non curaret, blasphemia esset. Tertium ex parte abusivæ promissionis, quia scilicet fit Deo promissio sibi displicens, juxta illud, *Displicet ei stulta promissio*. Et in hoc formaliter consistit peccatum istud. Et, si quidem ex intentione aliquis eligeret formaliter displicere Deo, cum hoc de genere sit mortale, contrarium directe charitati, sine dubio peccaret mortaliter. Sed, cum materialiter eligitur illud, quod displicet Deo, non oportet esse mortale, ut patet, cum quis deliberate dicit verbum otiosum. Propter quod nonnisi venialiter peccant sic ignoranter voventes, & non intendentes contra præcepta Dei vovere, ut communiter accidere videtur, sicut notant Hostien. & Cajet.

Sciendum vii. Quod tripliciter potest intelligi, quod homo voveat bonum supererogationis propter malum finem. Primo, ut malus finis sit finis illius boni, quod promittitur, ut, si quis voveret, dare eleemosynam propter inanem gloriam: & sic votum non valet, sed diabolica est promissio, quia materia ejus non est aliquod bonum, sed formaliter malum. Secundo, ut malus finis non se teneat ex parte operis, seu boni, quod promittitur, sed ex parte applicationis operantis ad vovendum, ut cum quis profiteretur aliquam religionem, ut luxuriose viveret: & tale votum est vere votum, & validum, quamvis talis sic vovendo peccet mortaliter: quia malus finis non est finis voti, sed voventis. Tertio, ut malus finis sit finis ipsius voti, ita, quod ipsum votum ordinetur ad malum finem ut medium: sicut, si quis promitteret Deo offerre illi mille aureos, si dabit illi victoriam in bello injusto, victoria in bello injusto esset finis voti. Et tunc distinguendum est. Nam, si votum ordinetur ad injustam victoriam a Deo obtinendam, non est votum, sed blasphemia, cum injustitia belli, & victoriæ

a Deo

a Deo esse non possit; & finis pravus se tenet ex parte boni promissi, sicut in primo casu. Si vero votum ordinetur ad id, quod est bonum in victoria, & a Deo esse potest, non autem ad injustitiam, tenet votum: sicut etiam, si quis voveret, se daturum mille pro pœnitentia, si adulterium perpetraverit, quia non ordinat votum ad adulterium, sed potius in pœnam, ut adulterio removeatur.

Sciendum VIII. Quod circa indifferentia ad bonum, vel malum moraliter, distinguendum est. Nam indifferentia dupliciter assumi possunt in materiam voti. Uno modo, salva eorum indifferentia, & hoc modo votum nihil valet. Alio modo prout translata de indifferentium ordine ad ordinem bonorum, seu expedientium ad bonum, & sic votum valet. Sicut, si quis voveat non ingredi aliquam domum, aut villam, in qua nullum est periculum peccati, votum est de re inutili, adeoque vanum: si autem ibi sit periculum peccati, ad quod evitandum sit votum, tenet votum, usque dum durat periculum in tali domo, aut loco. Denique circa bona, quæ non sunt præcepta, nec consulta, ut nubere, dicendum est, quod votum nubendi dupliciter fieri potest. Primo absolute, & sic non valet: quia est de declinando a statu continentiæ ad statum matrimonii, quod licet sit licitum, est tamen minus Deo gratum. Secundo potest fieri tale votum pro fornicatione vitanda, juxta illud Apost. 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri*. Et sic validum est votum, præsupposito, quod quis continere se non valeat, attenta sui infirmitate: quia in tali casu votum est de meliori bono. Qua de re Cajet. in Comment. ar. præsent.

CAPUT III.

Utrum omne votum obliget ad sui observationem. 2. 2. quæst. 8. a. 3.

Eccles. 5. dicitur: *Quodcumque voveris, redde. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod ad fidelitatem hominis pertinet, ut solvat id, quod promisit. Unde secundum Aug. in lib. de mendac. c. 20. fides dicitur ex hoc, quod fiunt dicta. Maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti: & ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quædam infidelitatis species. Unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda, quia *displicet Deo infidelis promissio*. Eccles. 5. Unde

Sciendum II. Quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur, & hæc est obligatio juris naturalis: sed ad hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione civili, pertinente ad justitiam, quædam alia requiruntur, ut dictum est in tract. de contractib. Deus autem, etsi bonis nostris non egeat, ei tamen maxime obligamur, ut dictum est, & tanquam summo Domino, & tanquam summo benefactori, & ita votum ei factum est maxime obligatorium obligatione honestatis, seu morali, & in conscientia, ratione scilicet virtutis superioris, idest latriæ, ut infra dicetur, quæ obligatio gravissima est, & juris naturalis; & fortior, quam obligatio justitiæ commutativæ. Quapropter

Sciendum III. Quod fractio voti ex natura sua, seu ex genere, est peccatum mortale, & est contra primum Decalogi præceptum, quod est de cultu exhibendo uni Deo, ut docent D. Thom. Cajet. Salmant. quamvis Suar. Navar. aliique dicant pertinere ad secundum præceptum. Omnes vero fractiones voti, etsi materialiter differant, formaliter tamen sunt ejusdem speciei, in quantum per ipsas promissio Deo facta non adimpletur, adeoque omnes opponuntur fidelitati Deo debitæ in adimplendis promissis, & pertinent ad eandem speciem sacrilegii in determinata materia promissionis violatæ. Quare, si votum non cadat supra materiam alio titulo debitam, sat erit explicare in confessione, se toties fregisse votum in materia gravi. Non enim est in potestate voventis ponere actum promissum per votum in materia necessaria illius virtutis, de qua est res promissa, ut probabilius docent Cajet. Suar. Salmantic. aliique, contra Valent. Sanch. Bonac.

Sciendum IV. Quod licet fractio voti ex gene-

genere suo sit grave peccatum, tamen admittit parvitatem materiæ ex parte rei promissæ per votum, sicut & in omnibus promissionibus contingit, ut omnes concedunt. Parvitas autem materiæ, vel gravitas in voto, quod lex particularis est, desumenda est pari modo, ac in lege communi, ex honestate scilicet, & natura materiæ, ex fine, & attentis omnibus circumstantiis, parum, vel multum conducentibus ad cultum Dei. Sicut autem lex non potest gravem obligationem imponere in materia, quæ omnibus inspectis est levis, ut dictum est in prima part. tr. 4. Ita nec votum, quantumvis vovens hoc intenderet, quia materia levis non est capax gravis obligationis, ut omnes concedunt. E contra, sicut legislator potest in materia gravi imponere solam obligationem levem, vel solam pœnam, quia lex ab ejus voluntate dependet: ita vovens potest velle se obligare per votum solum sub veniali, vel ad solam pœnam. Licet enim obligatio voti oriatur a jure naturali, & divino, oritur tamen, præsupposita voluntaria determinatione voventis, & juxta illam, & non amplius, ut docent Suar. Sanch. Salmantic. aliique contra Sotum, Prado, Montesin. Unde sequitur, quod etiamsi materia totalis voti sit parva, ut recitare unum *Credo*, omissio ejus non erit grave peccatum, ut docent Suar. Sanch. Salmant. Joann. a S. Thom. aliique contra Cajet. Tolet. Cord.

Sciendum V. Quod, si illud, quod quis vovit, ex quacumque alia causa impossibile reddatur, debet hoc facere, quod in se est, ut saltem habeat promptam voluntatem faciendi, quod potest. Unde ille, qui vovit monasterium aliquod intrare, debet dare operam, quantum potest, ut ibi recipiatur. Et, si quidem intentio ejus fuit se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem, tenetur, si non potest ibi recipi, aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum propter specialem complacentiam hujus religionis, vel loci, non tenetur aliam religionem intrare, si eum illi recipere nolunt. Si vero incidit in impossibilitatem implendi votum ex propria culpa, tenetur insuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere, sicut mulier, quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet servare, quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo, quod amisit peccando, pœnitere.

Sciendum VI. Quod obligatio voti ex propria voluntate, & intentione causatur. Unde dicitur Deuter. 22. *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis: & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Et ideo, si in intentione, & voluntate voventis est obligare se ad statim solvendum, tenetur statim solvere. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur solvere, sed nec debet tardare, ultra quam intendit se obligare. Dicitur enim ibidem: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: &, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Nimia ergo dilatio adimpletionis voti absque urgenti causa erit peccatum mortale: nimia autem judicanda est, attenta natura materiæ promissæ, quæ si ex dilatione non minuitur, ut est peregrinatio, vel eleemosyna, major dilatio requiritur ad gravem culpam: si autem ex dilatione minuitur, ut est religionis ingressus, vel perpetuum servitium in Xenodochio, minor dilatio sufficit ad mortale, quod attentis circumstantiis est regulandum juxta prudentis arbitrium, ut notat noster Pitelli part. 1. tract. 4. cap. 4. §. 2.

Sciendum VII. Quod quando non constat de intentione voventis, tunc judicandum est de voto secundum naturam ejus: si vero votum sit ambiguum, vel indeterminatum, tunc, si est ambiguum ex verbis, obligat juxta sensum verborum communiter receptum; unde, qui vovit castitatem, intelligitur de omnimoda abstinentia a venereis, & non de sola conjugali. Similiter, qui vovit religionem, nec constat, an intenderit claustralem, vel militarem, ex vi voti teneretur ad claustralem, quia ita accipitur sensus verborum ex communi acceptione; & sic discurre de aliis. Si vero votum est ambiguum ex circumstantiis, seu indeterminatum, obligat juxta intentionem voventis præsumptam; res enim dubiæ ex præsumptione prudenti inter-

interpretandæ sunt: Unde, si vovisti religionis ingressum, & aptus sis ad statum clericalem, debet prudenter præsumi, quod ad religionem in statu clericali te voluisti obligare, & non in statu laicali. Vovisti calicem, interpretari debet de apto ad sacrificium, & sic de cæteris.

Sciendum VIII. Quod obligatio voti sive realis, sive personalis solum afficit personam voventem, illamque obligat in vi voti, non vero hæredes, aut successores in communitate, qui solum obligari possunt ad rem per votum aliorum promissam, vel ex contractu, vel ex lege, vel ex consuetudine: votum enim ex sola voluntate voventis dependet. Vota autem personalia non possunt per alios adimpleri, quia sunt de actibus ab ipso vovente exercendis, seu de actibus intransitivis; puta, jejunare, peregrinari, & hujusmodi; unde, si vovens impotens sit illa observare, non tenetur alium substituere, & per consequens eorum obligatio non transit ad hæredes; nisi testator sub illa conditione adimplendi actum promissum hæreditatem relinqueret. Vota vero realia possunt per procuratorem adimpleri, seu solvi, & per consequens, sicut alia debita transeunt ad hæredes, utpote afficientia res defuncti: a qua obligatione nequit eos absolvere testator, sicut nec a solutione aliorum debitorum. Quia tamen sunt debita ex gratuita voluntate procedentia, debent solvi post alia debita ex justitia, sed ante legata piæ: nec in legitima possunt hæredes gravari ex talibus votis, sicut nec ex legatis: quia esset, velle ex alieno Deo holocaustum offerre. Quomodo autem obliget votum pœnale, constat ex dictis in tract. de legib. ubi de obligatione legis pœnalis.

CAPUT IV.

Utrum expediat aliquid vovere.
2.2. quæst. 88. art. 4.

IN Psalm. 75. dicitur: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro;* quod vero a Deo per prophetam consulitur, expedit ad salutem animæ. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, votum est promissio Deo facta de meliori bono. Alia autem ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittitur aliquid propter ejus utilitatem, cui utile est, & quod ei aliquid exhibeamus, & quod eum de futura exhibitione prius certificemus; sed promissionem Deo facimus, non propter ejus utilitatem, sed propter nostram. Unde Aug. dicit in Epist. 45. *Benignus exactor est, & non egenus, ut qui non crescat ex redditis; sed in se crescere faciat redditores*. Et, sicut id, quod damus Deo, non est ei utile, sed nobis, quia *quod ei redditur, reddenti additur*, ut Aug. ibidem dicit: ita etiam promissio, qua Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, qui a nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram, in quantum vovendo, voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere; & ideo expediens est vovere.

Sciendum II. Quod, sicut non posse peccare non diminuit libertatem: ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bonum non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & in beatis: & talis est necessitas voti, similitudinem quandam habens cum confirmatione beatorum. Unde Aug. dicit in eadem Epist. *Fœlix necessitas est, quæ in meliora compellit*. Libertas ergo hominis consistit solum in servire Deo, cui servire regnare est, & minutio libertatis in servire appetitui nostro: & ideo libertas ad peccandum est imperfectio libertatis, quia per eam homo est capax servitutis; unde quo magis homo elongatur a potestate peccandi, sive per habitus virtutum, sive per aliud, per quod magis in bono confirmatur, ut accidit in voto, tanto magis elongatur a servitute, & consequenter perficitur ejus libertas.

Sciendum III. Quod quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens, puta, quod aliquis per pontem ruinosum transeat fluvium: sed, si periculum immineat ex hoc, quod homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens. Sicut expediens est ascendere equum, quamvis periculum immineat cadendi de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Unde dicitur Eccles. 11. *Qui observat ventum, non seminat; & qui con-*

conſiderat nubes, nunquam metet. Periculum autem voventi non imminet ex ipſo voto, ſed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, tranſgrediens votum. Unde Aug. dicit in cit. Epiſt. *Non te voviſſe pœniteat, immo gaude jam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet*.

Sciendum IV. Quod Chriſto ſecundum ſe non competebat vovere, tum, quia Deus erat: tum etiam, quia in quantum homo, habebat firmatam voluntatem in bono, quaſi comprehenſor exiſtens, quamvis per quandam ſimilitudinem ex perſona ejus dicatur in Pſalm. 65. ſecundum gloſ. Aug. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum*. Loquitur autem de corpore ſuo, quod eſt Eccleſia. Apoſtoli autem intelliguntur voviſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum, relictis omnibus, ſunt ſecuti. Paulus etiam de ſe inquit Act. 24. *Poſt annos plures eleemoſynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota: in quibus invenerunt me purificatum in templo*.

CAPUT V.

Utrum votum ſit actus latriæ, ſeu religionis.
2. 2. quæſt. 88. a. 5.

ISaiæ 19. dicitur: *Colent eum in hoſtiis, & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent*. Sed colere Deum eſt proprie religionis, ſive latriæ. Ergo votum eſt actus latriæ, ſive religionis. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, ſicut dictum eſt in 2. part. omne opus virtutis ad religionem, ſeu latriam pertinet per modum imperii, ſecundum quod ad divinum cultum, & ad divinam reverentiam ordinatur, quod eſt proprius finis latriæ. Ordinare autem alios actus in ſuum finem pertinet ad virtutem imperantem, non ad virtutes imperatas. Et ideo ipſa ordinatio actuum cujuſcumque virtutis in ſervitium Dei, eſt proprius actus latriæ. Manifeſtum eſt autem ex ſupradictis, quod votum eſt quædam promiſſio Deo facta: & quod promiſſio nihil eſt aliud, quam ordinatio quædam ejus, quod promittitur, in eum, cui promittitur: unde votum eſt ordinatio quædam eorum, quæ quis vovet, in divinum cultum, & obſequium. Et ſic patet, quod vovere proprie eſt actus latriæ, ſeu religionis.

Sciendum II. Quod illud, quod cadit ſub voto, quandoque quidem eſt actus alterius virtutis: ſicut jejunare, & continentiam ſervare. Quandoque vero eſt actus religionis, ſicut ſacrificium offerre, vel orare: utrorumque autem promiſſio Deo facta ad religionem pertinet, ratione jam dicta. Unde patet, quod votorum quoddam pertinet ad religionem ratione ſolius promiſſionis Deo factæ, quæ eſt eſſentia voti: quoddam etiam ratione rei promiſſæ, quæ eſt voti materia. Omnia igitur vota formaliter ſunt ejuſdem ſpeciei athomæ, ad virtutem religionis pertinentia in determinato actu ſpecifico promiſſionis, & ſolum inter ſe materialiter differunt, in quantum actus promiſſionis Deo factæ cadere poteſt ſupra actus aliarum virtutum, & etiam ſupra alios actus ipſius religionis.

Sciendum III. Quod ille, qui promittit, in quantum ſe obligat ad dandum, jam quodammodo dat: ſicut dicitur fieri aliquid, cum ſit cauſa ejus, quia effectus virtute continetur in cauſa. Et inde eſt, quod non ſolum danti, ſed etiam promittenti gratiæ aguntur. Et ideo per votum jam aliquid actu offertur in cultum, & cœremoniam ejus, quod ad religionem eſſentialiter pertinet, ſecundum Tullium in lib. 2. de invent. prope fin. Ubi advertendum eſt, quod promiſſio poteſt dupliciter accipi. Primo in ordine ad rem promiſſam, & ſic bene dicitur, quod non eſt dare, ſcilicet, niſi in cauſa. Alio modo ſumitur, ut eſt in ſe quidam virtutis actus, quo mens noſtra ſe ſubjicit Deo, dum promittit illi aliquid. Et ſic, qui promittit Deo, dat Deo non rem promiſſam, ſed mentem ſecundum illum actura: ſicut etiam dictum eſt in ſecunda parte, quod oratio eſt oblatio mentis, & ſic vovens cultum Deo affert etiam in actu.

Sciendum IV. Quod votum ſoli Deo fit, ſed promiſſio etiam poteſt fieri homini: & ipſa promiſſio boni, quæ fit homini, poteſt cadere ſub voto, in quantum eſt quoddam opus virtuoſum. Et per hunc modum intelligendum eſt votum, quo quis vovet aliquid Sanctis, vel Prælatis, ut ipſa promiſſio facta Sanctis, vel Prælatis cadat ſub

voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo, se impleturum, quod Sanctis, vel Prælatis promittit. Potest etiam dici, quod, sicut juramentum, quando fit assumendo nomen alicujus Sancti, fit in quantum in eo relucet specialiter veritas divina, ita quando promittitur aliquid Sanctis, habet rationem voti talis promissio, in quantum principaliter dirigitur ad Deum, cujus auctoritas, & bonitas in eis specialiter relucet: & hoc pacto etiam oratio, quæ est actus latriæ, ad Sanctos dirigitur, tanquam medios, seu intercessores apud Deum. Qua de re Cajet. in comment. art. præsent.

CAPUT VI.

Utrum sit magis laudabile, & meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto. 2. 2. quæst. 88. art. 6.

Super illud Psal. 75. Vovete, & reddite, dicit Glossa. *Vovere voluntati consulitur*. Consilium autem non est, nisi de meliori bono: melius est ergo facere aliquod opus cum voto, quam sine voto, & magis meritorium, & hoc triplici ratione. Unde ad hujus evidentiam

Sciendum I. Quod vovere, sicut dictum est, est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius, & magis meritorium, unde actus inferioris virtutis est melior, & magis meritorius ex hoc, quod imperatur a superiori virtute, cujus actus fit per imperium: sicut actus fidei, vel spei melior est si imperetur a charitate. Et ideo actus aliarum virtutum moralium, puta, jejunare, quod est actus abstinentiæ, & continere, quod est actus castitatis, sunt meliora, & magis meritoria, si fiant ex voto, quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Unde Aug. dicit in lib. de virginit. cap. 8. *Neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed, quia Deo dedicata est, honoratur, quam fovet, & servat continentia pietatis.*

Sciendum II. Quod ille, qui vovet aliquid, & facit, plus se Deo subjicit, quam ille, qui solum facit. Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere: sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit Anselmus in lib. de similitud. cap. 84. & inde est, quod etiam promittentibus gratiæ aguntur, ut supra dictum est. Ubi notandum, quod necessitas illa voti non est necessitas coactionis, quæ involuntarium causat, & devotionem excludit; sed per immobilitatem fit voluntatis, quæ voluntatem in bono confirmat, & devotionem auget, & per consequens actum reddit meliorem, & majoris meriti apud Deum. *Hilarem enim datorem diligit Deus*; ut dicitur 2. Corinth. 9. Hinc oritur tertia ratio. Pro qua.

Sciendum III. Quod per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum pertinet ad perfectionem virtutis, ut patet per Philos. in 2. Ethic. cap. 4. Sicut etiam peccare mente obstinata aggravat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum. Ille autem, qui facit aliquid sine voto, habet immobilem voluntatem respectu illius operis singularis, quod facit tunc, quando facit: non tamen manet voluntas ejus omnino firmata in futurum, sicut voventis, qui suam voluntatem obligavit ad aliquid faciendum, & antequam faceret illud singulare opus, & forrasse ad pluries faciendum.

Sciendum IV. Quod necessitas coactionis, in quantum est contraria voluntati, tristitiam causat, secundum Philos. 5. Met. tex. 6. Necessitas autem voti in his, qui sunt bene dispositi, in quantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudium. Unde August. dicit in Epist. 45. ad Armentarium, & Paulinam. *Non te vovisse pœniteat, immo gaude jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset*. Si tamen ipsum opus, secundum se consideratum, triste, & involuntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas implendi, adhuc est magis meritorium, quam si esset sine voto: quia impletio voti est actus religionis, quæ est potior virtus, quam abstinentia, cujus actus est jejunare: & in tali casu non ex tristitia, aut ex necessitate coactionis implet votum, sed prout destinavit in corde

suo.

suo, ut dicit Apost. 2. Cor. 9. id est ex libera electione voluntatis, qua se obligavit, & qua spontanea obligatione præsupposita, eligit implere rem promissam, licet secundum se tristem, & voluntati contrariam. Sed nunc oritur dubium, num quem pœnitet vovisse, peccet. Ad cujus evidentiam

Sciendum v. Quod, si quis male dispositus tristaretur de bono promisso per votum, non solum, in quantum ipsum opus secundum se est triste, sed etiam, quia ipsum votum displicet ita, ut pœniteat, se subjecisse voto, paratus tamen adimplere votum, non peccaret nec etiam venialiter, si ex rationabili causa pœniteret. Ratio est, quia talis pœnitentia non cadit supra votum absolute sumptum, quod est materia indebita pœnitentiæ, & peccatum accidiæ inducens in eo, qui de voto tristaretur; cujus signum est, quod habet voluntatem implendi votum: sed habet pro objecto emissionem voti jam facti, de qua pœnitet. Sicut ergo poterat absque peccato veniali non emittere votum, ita etiam velle non emisisse tale votum; Omissio enim voti, sive præterita sit, sive futura, sive præsens, idem objectum est, quod non est de genere malorum. Advertendum tamen est, quod in votis diuturnitatem temporis importantibus, puta in statu religioso, hæc tristitia plena est magni periculi non adimplendi bona promissa per votum, quia fervorem, & devotionem minuit, inducit animi relaxationem, adeoque culpa veniali non vacat, cum periculo paulatim incidendi in gravia peccata, ut bene notat Cajet. in communi præf. art.

CAPUT VII.

Per quid votum solemnizetur.
2. 2. quæst. 88. art. 7.

Consequenter ad ea, quæ pertinent ad naturam voti, considerandum est de his quæ pertinent ad ejus solemnitatem. Per duo autem votum solemnizatur, ut certum est, & definitum a Bonifac. VIII. in cap. Quod votum; scilicet per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam: quia hæc solum duo vota impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum, ut in eodem cap. dicitur. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod unicuique rei solemnitas adhibetur secundum illius rei conditionem, sicut alia est solemnitas novæ militiæ, scilicet in quoddam apparatu equorum, & armorum, & concursu militum: & alia solemnitas nuptiarum, quæ consistit in apparatu sponsi, & sponsæ, & conventu propinquorum. Votum autem est promissio Deo facta. Unde solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est secundum aliquam spiritualem benedictionem, vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu post sacri ordinis susceptionem, ut dicit Dion. 2. c. Eccles. hier. & hoc rationabiliter. Unde

Sciendum II. Quod solemnitates non consueverunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim solemnitas nuptialis adhibetur nisi in celebratione matrimonii, quando uterque conjugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis divino ministerio applicatur. Et in professione certæ regulæ, quando per abrenunciationem sæculi, & propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit. Unde in cit. cap. Quod votum, dicitur. *Illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis.*

Sciendum III. Quod aliud est votum esse publicum, & aliud esse solemne. Vota enim ex hoc, quod fiunt in publico, possunt habere quandam solemnitatem humanam, non autem solemnitatem spiritualem, & divinam, per quam inducant hunc effectum, scilicet dirimere matrimonium post contractum: sicut habent vota præmissa, etiamsi coram paucis fiant. Hujusmodi autem solemnitas spiritualis pertinet non solum ad homines, sed ad Deum, in quantum habet aliquam spiritualem consecrationem, seu benedictionem, cujus Deus est au-

auctor, etsi homo sit minister. Et ideo votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex, & gravius peccat, qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quod votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne, intelligendum est quantum ad hoc, quod utriusque transgressor peccat mortaliter peccato ejusdem speciei.

Sciendum IV. Quod, sicut patet ex dictis, in votis solemnibus, quæ de facto habet Ecclesia, tria inveniuntur, scilicet, votum, mancipatio ad cultum divinum totaliter, seu famulatum, & consecratio, sive benedictio. Ex his tribus, consecratio, seu benedictio pertinet ad solemnitatem cœremonialem, sine qua votum solemne inveniri potest, puta in professione tacita. Alia vero duo conjunctim sumpta requiruntur tanquam substractum ad solemnitatem legitimam, seu lege Ecclesiastica sancitam in votis. Si enim fiat professio per emissionem trium votorum in religione non approbata ab Ecclesia, vel sine emancipatione perpetua ad Dei famulatum, talia vota non erunt solemnia legitime, quia exhibitio sui ad Dei famulatum non acceptatur ab Ecclesia quantum ad dirimendum matrimonium post contractum. Tota ergo vis solemnitatis legitimæ ab auctoritate dependet Ecclesiæ, statuentis, quod vota cum exhibitione totali ad Dei famulatum facta impediant matrimonium contrahendum, & dirimant post contractum, quod fit in susceptione sacri Ordinis, & per professionem in religione approbata, ut dicit Bonifacius Papa in cit. cap. Quod votum.

C A P U T VIII.

Utrum illi, qui sunt alterius potestati subjecti, impediantur a vovendo.
2.2. quæst.88. art.8.9.

DEinde considerandum est de relaxatione voti, & primo, de ea, quæ fit per irritationem voti, seu annullationem. Secundo de ea, quæ fit per dispensationem, aut commutationem ipsius voti. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod duplex est potestas in subditos. Una jurisdictionis, quæ competit Prælatis Ecclesiæ supra Christi fideles. Alia dominii, quam habet dominus erga servos, pater in filios, vir erga uxorem, Prælati regulares in Religiosos, & Summus Pontifex in dispensatione rerum Ecclesiasticarum. Potestas jurisdictionis non se extendit ad impediendum, seu irritandum vota subditorum, cum sit potestas vicaria, seu pastoralis, & solius dispensatoris fidelis, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi cibum in tempore; & ideo tota ordinatur in utilitatem subditorum, ad pascendum gregem, ad dispensandum ei cibum juxta mensuram, seu juxta voluntatem Domini, & non ad libitum suum, & juxta exigentiam uniuscujusque de familia, & unico verbo ordinatur in ædificationem, & non in destructionem. Potestas vero dominativa, utpote respiciens subditos, tamquam rem propriam, est potestas principalis, & dispotica ad libitum de rebus suis; & ideo potest absque ulla causa impedire, seu irritare vota subditorum in eo, in quo ei subjiciuntur. Dictum est enim, quod votum est promissio Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius; sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate. Quicumque autem est subjectus alicui, quantum ad id, in quo est subjectus, non est suæ potestatis facere, quod vult, sed dependet a voluntate alterius. Et ideo non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui superioris.

Sciendum II. Quod sub promissione Deo facta non cadit, nisi quod est virtuosum, ut supra dictum est. Est autem contra virtutem, ut id, quod est alterius, homo offerat Deo, ut supra dictum est, Deus enim odit rapinam in holocausto. Et ideo non potest omnino salvari ratio voti, cum quis in potestate alterius constitutus vovet id, quod est in potestate alterius, nisi sub conditione, si ille, ad cujus potestatem pertinet, non contradicat. Licet autem votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi, non sit firmum sine consensu eorum, quibus subjiciuntur, non tamen peccant vovendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis

ſi ſuis ſuperioribus placuerit, vel non renitantur. Ubi notandum, quod hujuſmodi votum conditionatum, licet non ſit firmum abſolute, eſt tamen firmum ſub conditione conſenſus ſuperioris in inhibitis, vel non contradictionis in non inhibitis. Unde colliges, quod ſic vovens obligatur ſub mortali ex vi talis voti ad petendam licentiam ſuperioris in inhibitis generaliter, vel ſpecialiter; in non inhibitis vero obligatur ad præſtandam rem promiſſam per votum, uſquequo ſuperior non contradicat, vel in generali, vel in ſpeciali, quia votum validum eſt, ſi conditio extat, ut dicit S. Tho. a. 9. ad 2. Dixi, quod tenetur petere licentiam in rebus inhibitis: non autem tenetur manifeſtare votum factum ſuperiori ex vi facti voti. Qua de re vide Cajet. in præſenti, ar. Ad cujus evidentiam

Sciendum III. Quod ſuperior dupliciter poteſt impedire, ſeu irritare vota ſubditorum. Uno modo directe, & proprie, ſolvendo ſcilicet vinculum voti, ejuſque obligationem extinguendo; & hoc fieri non poteſt, niſi illi innoteſcat, ſaltem in genere votum ſubditi. Alio modo indirecte, & improprie, ſcilicet, impediendo ſolam executionem voti, remanente ejus vinculo, & obligatione, ſuſpenſa tamen, & impedita: & ad hoc neceſſaria non eſt in ſuperiore notitia voti ipſius ſubditi. Unde ſequitur, quod, ſi ſubditus non manifeſtat votum ſuo ſuperiori, ſed ſolum petit licentiam ad actum promiſſum; per hoc, quod illi a ſuperiore licentia negatur, obligatio voti, per ſe loquendo, non extinguitur, ſed ſolum ſuſpenditur quoad executionem. An vero in tali caſu teneatur ſubditus ex vi voti facti iterato petere licentiam ab eodem, vel a majore ſuperiore, vel ab eorum ſucceſſore, attendenda eſt intentio voventis. Si enim vovens intendit ſe obligare per votum ad unica vice petendam licentiam, negata licentia, ad nihil amplius obligatus remanet ex vi voti facti. Sed quando de intentione voventis expreſſa non conſtat, attendenda eſt natura promiſſæ materiæ, quæ ſi in uno, vel paucis actibus conſiſtit, puta uno, vel tribus jejuniis, tunc præſumi debet, quod vovens voluerit ſe obligare ſolum ad petendam unica vice licentiam: Si autem materia voti importet actus ſucceſſivos, & per longum tempus, tunc præſupponitur prudenter, quod voluerit ſe obligare ad reiterandas petitiones uſque dum poſſit prudenter ſperare, quod licentiam a ſuperiore obtinere poſſit.

Sciendum IV. Quod ſubditus, qui vovit de conſenſu ſuperioris, excuſatur a peccato non ſervando votum, ſi ſuperior poſtea revocet licentiam, vel inhibeat exhibitionem rei promiſſæ per votum. Ratio eſt, quia res ſibi conceſſa ad promittendum, licet facta fuerit ſua, ut materia promiſſionis, & per conſequens votum abſolutum, & firmum remanſerit: non tamen facta fuit ſua in actu, ſed ſolum in potentia, ut materia exhibitionis, remanente dominio rei apud Superiorem antequam actu ſit exhibita; eſt enim veluti depoſita a ſuperiore in poteſtate ſubditi ad illum uſum ſolum, ut Deo exhibeatur a ſubdito, & propterea, ſi ſuperior, antequam ab eo transferatur dominium per actualem exhibitionem Deo factam, rem illam retrahat ad ſe revocando licentiam, ſubditus, cujus non erat adhuc actu res illa ſecundum exhibitionem, non tenetur ad exhibendum, quod ſuum non eſt. Superior vero peccat mortaliter revocando, vel inhibendo: quia licet apud ipſum remanſerit dominium rei Deo exhibendæ, tamen remanſit obligatus ad exhibendam rem illam Deo ratione voti ſui ſubditi, quo res illa obligata eſt Deo de conſenſu ipſius ſuperioris. Et ideo tamquam violator, & deluſor vinculi ad Deum, mortaliter peccat. Unde Num. 30. dicitur de viro, qui poſt conſenſum revocavit licentiam, quod *portabit iniquitatem ſuam*. Uxori autem non jubetur, ut invito marito exequatur votum, inſinuans per hoc, ut Auguſt. exponit, uxorem eſſe excuſatam ab obſervatione voti.

Sciendum V. Quod vota ſubditorum, ſive temporalia ſint, ſive perpetua, ſemel quod irritantur proprie, & directe, per ſolutionem ſcilicet vinculi, & extinctionem abſolutam obligationis, numquam amplius reviviſcunt, ut expreſſe patet extra, de converſ. conjug. cap. Quidam, cap. placet, ubi habetur, quod vir pro-

fessus, irritante uxore ejus votum, illâ mortua, non tenetur ad religionem: nam, quod semel extinctum est, numquam revivifcit, leg. cum ex causa. Cod. de remis. pignor. Supposito tamen, quod potestas dominativa in superiore non fuerit vera, sed solum putata, irritatio non subsistit: nam, licet in actibus jurisdictionis titulus coloratus, & error communis reddant actus validos, non tamen in actibus Dominii, ut docent Sanch. Pal. Trull. & alii. Probabile tamen censent Salmant. etiam actus dominii reddi validos, sicut etiam tenet Pradus. Similiter vota emissa a subdito eo tempore, quo erat subditus, non possunt irritari a Superiore, transacto tempore subjectionis, quia cessat potestas dominativa, ratione cujus poterat irritare. Unde nec prælatus regularis potest irritare vota religiosi expulsi in perpetuum a religione, nec vir vota uxoris, facto divortio, nec pater vota filiorum puberum post emancipationem. Probabile tamen est, posse patrem irritare vota facta a filiis dum erant impuberes, etiam si emancipati jam sint, dummodo non fuerint ratificata post pubertatem, ut docent Cajet. Sayr. Bonac. Salmant. Vota vero, quæ fiunt tempore subjectionis adimplenda pro tempore, quando finietur subjectio, possunt directe irritari a superiore tempore subjectionis, quia adhuc durat potestas dominativa in voventem. E contra vota facta ante tempus subjectionis, non possunt directe irritari tempore subjectionis, sed solum indirecte: quia non fuerunt vota conditionata, sed absoluta, cum vovens esset sui juris.

Sciendum VI. Quod, ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis, quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam, puta, quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat: non autem est suæ potestatis, quantum ad dispositionem domesticam. Unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum sine consensu patris. Similiter dicendum est, non licere uxori ulla vota Deo offerre sine licentia sui mariti, ut dicitur in cap. fin. 33. q. 5. quia vir est caput uxoris, quæ proinde viro in omnibus debet esse subjecta, quantum ad conversationem domesticam, & familiæ gubernationem. Servus autem, quia est in potestate domini, etiam quantum ad personales operationes, non potest se voto obligare ad religionem, per quam ab obsequio Domini abstraheretur: omnia ergo vota servorum directe irritari possunt a Domino, excepto voto castitatis. Unde D. Tho. dicit in 4. d. 88. q. 1. a. 1. q. ult. ad 3. *Sicut servus, ita nec religiosus aliquod votum emittere potest absque consensu sui superioris*. Et in præsenti ar. ad 3. dicit: *Nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu viri*.

Sciendum VII. Quod, sicut supra dictum est, duplex est votum, scilicet simplex, & solemne. Et quia solemnitas voti in quadam spirituali benedictione, & consecratione consistit, ut dictum est, quæ fit per ministerium ecclesiæ, ideo solemnizatio voti sub dispensatione ecclesiæ cadit. Votum autem simplex efficaciam habet ex deliberatione animi, qua quis se obligare intendit. Quod autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere. Uno quidem modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis, & in amentibus, qui se voto non possunt obligare ad aliquid, dum sunt in furia, vel in amentia. Alio modo, quia ille, qui vovet, est alterius potestati subjectus, ut supra dictum est. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, quia & patiuntur rationis defectum, ut in pluribus, & sunt naturaliter sub cura parentum: & ideo eorum vota ex duplici causa robur non habent. Contingit tamen propter naturæ dispositionem, quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus, licet paucis, accelerari rationis usum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc eximuntur a cura parentum, quæ subjacet legi humanæ respicienti ad id, quod frequentius accidit. Est ergo dicendum, quod si puer, vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest se voto obligare. Si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare, sed votum

ejus

ejus potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus. Quantumcumque tamen sit doli capax, ante annos pubertatis non potest obligari voto solemni religionis propter ecclesiæ statutum, quod respicit id, quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt jam se voto religionis obligare, vel simplici, vel solemni, absque voluntate parentum.

CAPUT LX.

Utrum possit in voto dispensari.
2.2. quæst. 88. a. 10. & 11.

DEinde considerandum est de dispensatione voti. Circa quod

Sciendum I. Quod dispensatio voti intelligenda est ad modum dispensationis, quæ fit in observantia alicujus legis: quia lex ponitur respiciendo ad id, quod est ut in pluribus bonum. Sed, quia contingit hujusmodi in aliquo casu non esse bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse servandam: & hoc proprie est dispensare in lege. Nam dispensatio videtur importare quamdam commensuratam distributionem, vel applicationem communis alicujus ad ea, quæ sub ipso continentur: per quem modum dicitur aliquis dispensare cibum familiæ. Similiter autem ille, qui vovet, quodammodo sibi statuit legem; obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & ut in pluribus bonum. Potest autem contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum: quod est contra rationem ejus quod cadit sub voto: & ideo necesse est, quod determinetur in tali casu votum non esse servandum. Et, si quidem absolute determinetur aliquod votum non esse servandum, dicitur esse dispensatio voti. Si autem pro hoc, quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Unde minus est votum commutare, quam in voto dispensare. Utrumque autem in potestate ecclesiæ consistit. Ad cujus evidentiam

Sciendum II. Quod, sicut supra dictum est, votum est promissio Deo facta de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus autem in ecclesia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur prælati auctoritas, qui in persona Dei determinat, quid sit Deo acceptum, secundum illud 2. Cor. 2. *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Et signanter dicit, propter vos: quia omnis dispensatio petita a prælato debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat: & ad utilitatem ecclesiæ, quæ est ejus corpus. Ad dispensandum ergo, vel commutandum vota requiritur jurisdictio spiritualis in foro externo, vel ordinaria, vel delegata: quæ tamen contentiosa non est, sed voluntaria. Unde prælati, qui possunt cum subditis dispensare in votis, possunt alteri facultatem committere, ut in eisdem secum dispensent: immo possunt ipsi secum dispensare; ut ex communi notant Salmantic.

Sciendum III. Quod omnia alia vota sunt quorumdam particularium operum: sed per religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat. Particulare autem in universali includitur, & ideo Decretalis dicit, quod reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis observantiam commutat. Nec tamen religionem ingrediens tenetur implere vota, vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujusmodi, quæ existens in sæculo fecit: quia religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam singulares observantiæ religioni non competunt, & religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non oporteat. Qua ratione colligunt Doctores, quod non requiritur auctoritas prælati ad commutandum votum in rem evidenter meliorem, quamvis disparatam (exceptis votis reservatis) quia minus includitur in majori, & est evidens, esse Deo magis gratum. Ita probabilius docent Salmant. Sanch. Suar. Laym. & est nunc sententia communis, contra Innoc. Abb. Sylv. & antiquos Canonistas, quorum tamen sententia satis probabilis est.

Sciendum IV. Quod nullo modo potest fieri commutatio voti in evidenter æqua-

le absque auctoritate prælati, ut constat ex dictis, & probabilius docent Cajet. Sanch. Suar. Sayr. & alii, contra Rodr. Sa, Bonac. Less. Si vero materia certo æqualis dubitetur, quod sit melior, tunc posse in illam fieri commutationem propria auctoritate, docent Sanch. Suar. Pal. Hinc probabilius est, commutationem in æquale propria auctoritate factam esse invalidam, & per consequens peccare mortaliter, qui rem promissam per votum non adimplet: quia commutatio fuit facta sine consensu creditoris. Ita Suar. Pal. Salmant. Prad. contra Sanch. Lean. Dian. qui dicunt esse solum veniale. Hoc certum est, quod, facta commutatione propria auctoritate, si postea materia subrogata non possit adimpleri, aut evadat inutilis, tenetur vovens ad materiam priorem reddendam: non vero quando commutatio fuit facta auctoritate prælati. Facta autem commutatione voti per legitimam potestatem, liberum erit voventi redire ad priorem materiam, quia commutatio fuit facta in favorem ipsius, sub tacita conditione, nisi velit adimplere materiam promissam. Ita Sanc. Laym. Salmant.

Sciendum v. Quod quidam dixerunt, quod prælati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas prælati superioris, sicut in cap. ant. dictum est, quod in votis subditorum, puta servi, filii, intelligitur conditio, si placuerit patri, vel Domino, vel si non renitantur: & sic subditus absque omni remorsu conscientiæ posset votum prætermittere, quandocumque sibi a prælato diceretur. Sed prædicta positio falso innititur: quia cum potestas prælati spiritualis, qui non est dominus, sed dispensator, in ædificationem sit data, & non in destructionem, ut patet 2. ad Cor. 10. Sicut prælatus non potest imperare ea, quæ secundum se Deo displicent, scilicet peccata: ita non potest prohibere ea, quæ secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera; & ideo absolute potest homo vovere ea. Ad prælatum tamen pertinet dijudicare, quid sit magis virtuosum, & Deo magis acceptum. Et ideo in manifestis dispensatio prælati non excusaret a culpa; puta, si prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla apparenti causa obstante. Si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubium verteretur, posset stare judicio prælati dispensantis, non tamen judicio proprio; quia ipse non gerit vicem Dei, nisi forte in casu, in quo id, quod vovit, esset manifeste illicitum, & non posset opportune ad superiorem recurrere. Ita D. Tho. hic ar. 12. ad 2.

Sciendum vi. Quod, si dubium est de existentia justæ causæ, non potest valide dispensatio concedi: Obligatio enim voti in tali casu est in possessione. Si vero, existente justa causa, dubium sit de ejus sufficientia, poterit dispensatio concedi; ita tamen, ut in tali casu aliqua commutatio admisceatur: quod & praxis Pontificum demonstrat in concedendis dispensationibus, ut colligitur ex cap. 2. cap. magnæ, de voto. Quod, si postulans dispensationem, & illam concedens bona fide procedant, putantes causam legitimam adesse, cum tamen revera nulla adesset vera causa dispensandi, vel omnino insufficiens, licet aliqui dicant in tali casu esse invalidam dispensationem, ut Basil. Salas, Pal. tamen probabilius est, quod sit valida, ut docent S. Thom. cit. Less. Sanch. Salmant. quia impossibile est, aliam esse intentionem superioris tum humani, cum divini circa suas leges, quam ut humano modo, & prudenti dispensator procedat, ut sit fidelis, alias nunquam acta per prælatos remanerent firma, & conscientiæ semper scrupulis angerentur. Hic notandum, quod habentes potestatem delegatam ad dispensandum in votis, a fortiori habent facultatem ad illa commutanda, non autem e contra: quia commutatio includitur in dispensatione tanquam minus in majori ejusdem rationis, seu tanquam pars in toto, ut probabilius docent Barb. Suar. Laym. Sot. Salmant. aliique contra Navar. Valent. & Sanch. qui dicunt, potestatem commutandi esse omnino diversam a potestate dispensandi, adeoque non esse inclusam in illa.

Sciendum vii. Quod major causa requiritur ad dispensationem, per quam tollitur absolute vinculum voti, quam ad commutationem, per quam, remanente

vin-

vinculo voti, mutatur ejus materia. Ex duplici autem capite causa adesse potest. Uno modo ex parte materiæ ipsius voti, scilicet, si sit impeditiva melioris boni, tunc enim dispensatio in honorem Dei cedit, & Ecclesiæ utilitatem. Qua ratione ad sedandum bellum concedi potest puellæ habenti votum castitatis, ut nubat habenti magnam difficultatem in executione voti, maxime si non fuit prævisa; aut si vovens vexetur magnis scrupulis in executione voti, poterit dispensatio concedi, ad consulendum saluti animæ ejus: & aliæ similes causæ sufficiunt ad vota dispensanda. Alio modo ex parte ipsius voti, scilicet ratione imperfectionis voluntarii, quo votum emissum fuit, puta, quia metu fuit extortum, vel ex errore circa causam impulsivam, vel quia sine maturo consilio præcipitanter fuit factum, vel sine plena, & perfecta discretione, ut evenit in votis impuberum, causa sufficiens erit ad dispensandum talia vota, ut notant Cajet. Salmant.

Sciendum VIII. Quod ad commutationem voti minor causa est sufficiens, & non requiritur causa obstans majori bono, sed sufficit majoritas boni, in quod votum commutatur, ut patet extra, de voto, cap. Quod super his, ubi mulierum, & inutilium ad pugnam vota pro subsidio terræ sanctæ, redimenda dicuntur: quia melius est subvenire terræ sanctæ de pecuniis, quas consumerent in itinere. In cap. quoque 1. ibid. omnes causæ personales resolvendæ dicuntur in hoc, quod recompensatio sit melior, & Deo acceptior arbitrio præsidentis, quando causa commutandi solum se tenet ex parte rei, in quam fit commutatio. Quando vero aliqua necessitas impotentiæ, vel incommoditatis, vel scandali vitandi, impellit ad commutandum, tunc sufficit commutare in æquale gratum Deo. Quin etiam de rigore juris, si sola causa miserendi, seu condescendendi petitioni voventis, prælatus in æquale bonum votum commutet vice Dei, non infideliter aget. Secus tamen esset, quando pro sola voluntate prælati hoc fieret, non causa gratitudinis, aut miserationis vice Dei. Commutatio autem in minus fieri non potest, nisi admisceatur dispensatio. Æqualitas vero materiæ non est metienda mathematice, sed moraliter, & attenta proportione ad finem, ob quem votum fuit factum, ut notant Cajet. Sanch. Salmant. Laym.

C A P U T X.

Quæ vota, & qualiter sint Papæ reservata. 2. 2. quæst. 88. ar. 12. ad 3.

Denique considerandum est, quænam vota, & qualiter a Prælatis Papa inferioribus dispensari, aut commutari non possint. Circa quod

Sciendum I. Quod, quia Summus Pontifex gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis. Aliis autem inferioribus prælatis jure ordinario, & regularibus ex privilegio committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines, ad quem recurrant: Sicuti sunt vota peregrinationum, jejuniorum, & aliorum hujusmodi. Vota vero majora reservantur summo Pontifici, nimirum, Votum simplex castitatis, votum religionis, & votum triplicis peregrinationis terræ sanctæ, ad visitanda limina D. Petri, & S. Jacobi Apostoli in Galitia; sicut constat ex cap. ex multa, cap. super his, de voto. Extra, & si dominici, 2. de pœnit. & remiss. Cæterum, cum reservatio semper odiosa censeatur, ideo stricte est interpretanda. Quare, cum dicta quinque vota reservata dicuntur, intelligendum est, quando sunt certa, absoluta, & perfecta: Si vero sunt dubia, conditionata, aut imperfecta, non sunt reservata, ut docent communiter Doctores apud Salmantic. ad quorum intelligentiam

Sciendum II. Quod quando conceditur in Jubilæis facultas absoluta dispensandi, & commutandi omnia vota, non intelligitur de reservatis, nisi exprimantur: quia in generali concessione non comprehenduntur, ut patet ex reg. 8. de reg. juris in 6. In casu autem urgentis necessitatis, in quo non est facilis recursus ad Summum Pontificem, & est in mora periculum gravis damni spiritualis, aut temporalis, poterit Ordinarius dispensare in his votis so-

lum quantum necessitas obligat, & non amplius, quia sic convenit suavi regimini Ecclesiæ, ut docent Suar. Barb. Laym. In tali autem casu necessitatis non possunt regulares vota prædicta relaxare, quia non desinunt esse reservata, ut docent Prad. Barb. Sanch. Rodr. Quamvis oppositum non sit improbabile, cum in tali casu facultas dispensandi jure ordinario restituatur Episcopis, adeoque desinunt esse reservata, ut docent Villal. Ant. a Sp. Sanct. & alii apud Salmant.

Sciendum III. Quod, si vovens intendat solum se obligare sub veniali, tale votum non est reservatum, quia non est integrum, seu perfectum; sic Sanch. Pal. Si votum fuit factum ex metu, etiam levi, non est reservatum, quia non est ex perfecta libertate factum. Lean. Bassæus. Similiter in dubio, an aliquod ex dictis votis ratione materiæ, vel defectu libertatis, aut ex alio capite sit reservatum, vel fuerit emissum, judicandum est non esse reservatum, quia materia est odiosa, adeoque restringenda. Sic Sanch. Suar. Laym. Item nullum ex his votis est reservatum, quando ratione materiæ non est integrum, & perfectum, ut est votum castitatis conjugalis, vel ad tempus, aut non se polluendi, vel non petendi debitum, votum faciendi votum castitatis, aut religionis, vel assumendi Ordines sacros; quia hæc non sunt vota castitatis, aut religionis facta, sed facienda. Suar. Sayr. Nec sunt reservata vota peregrinationis Romanæ, aut Compostellanæ, quando sunt facta ad alium finem, præterquam ad visitandum D. Jacobum, aut limina D. Petri, ut est expressum in jure, & notant Sanch. Pal. Salmant.

Sciendum IV. Quod circumstantiæ prædictorum votorum non sunt reservatæ, ut est pedester peregrinandi, aut votum arctioris religionis, vel perseverandi in religione. Ita Sanch. Pal. Basil. Nec est reservatum votum disjunctivum de materia reservata, & non reservata, puta votum ingrediendi religionem, vel inserviendi hospitali; quia votum non est de materia certa. Suar. Laym. Lean. Denique hæc vota, quando sunt conditionata, aut pœnalia, non sunt reservata, conditione pendente, quia adhuc non sunt perfecta, & absoluta, ut est certum apud omnes. Imo etiam conditione purificata, quia semper in sua radice remanent imperfecta, ut probabilius docent Sanch. Tol. Prad. Salm. contra Sot. Azor. Probabilius etiam est, quod, facta commutatione a Summo Pontifice in aliam materiam, vota non remaneant amplius reservata, quia erant reservata ratione materiæ. Ita Laym. Sanch. Salm. contra Azor. Lean. Denique probabilius est, etiam juramenta continentiæ, religionis, & triplicis peregrinationis esse reservata, quia vel non distinguuntur a voto, ut docet Cajet. vel quoad omnia ut votum reputantur, & votum includunt, ut docent Sot. Lean. Rodrig. Salmant. contra Navar. Led.

TRACTATUS
SEXTUS.

De Juramento statum perfectionis confirmante.

Consequenter ad votum considerandum est de Juramento, quod est voto affine, & ad firmandum statum perfectionis similiter concurrente. Circa quod tria consideranda sunt. Primo de pertinentibus ad ejus naturam. Secundo de pertinentibus ad obligationem, quam inducit. Tertio de pertinentibus ad ejus violationem. Sit ergo

CAPUT PRIMUM.

Utrum jurare sit testem Deum invocare. S. Thom. 2. 2. qu. 89. ar. 1.

August. dicit serm. 18. de verb. Apost. *Quid est jurare per Deum, nisi testis est Deus?* Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut Apost. dicit ad Hebr. 6. *Juramentum ad confirmationem ordinatur*. Confirmatio autem in scibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera: sed particularia facta contingentia hominum non possunt per rationem necessa-

cessariam confirmari. Et ideo ea, quæ de his dicuntur, solent confirmari per testes. Sed humanum testimonium non est sufficiens ad hujusmodi confirmandum propter duo. Primo quidem propter defectum veritatis humanæ: quia plurimi in mendacium labuntur, secundum illud Psalm. 16. *Os eorum locutum est mendacium*. Secundo propter defectum cognitionis: quia homines non possunt cognoscere, neque futura, neque cordium occulta, vel etiam absentia, de quibus tamen homines loquuntur, & expedit rebus humanis, ut certitudo aliqua de his habeatur. Et ideo necessarium fuit recurrere ad divinum testimonium: quia Deus neque mentiri potest, neque eum aliquid latet. Assumere autem Deum in testem dicitur jurare: quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur. Unde

Sciendum II. Quod juramentum per se ordinatur, tanquam in finem effectum ad certificandos homines de veritate, quæ per rationem probari non potest, adeoque ad sui probationem indiget testimonio, & præcipue divino, quod est infallibile: unde juramentum non inducitur ad ea, quæ sunt necessaria, & per rationem investiganda. Derisibilis enim videretur, si quis in disputatione alicujus scientiæ, vellet propositum per juramentum probare. Solum ergo rationabiliter inducitur juramentum ad certificandum homines de aliquo facto contingenti, vel futuro, quod eis promittitur: vel occulto præsente, vel præterito, aut absente. Deus autem a nobis certificari non indiget de aliqua veritate: quia omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus; unde, si juramentum soli Deo fiat, solum inducitur ad firmandum propositum de bono ex deliberatione concepto, & ad se obligandum ad ejus executionem ex motivo latriæ, seu religionis, in quo natura voti, seu promissionis Deo factæ consistit, sicut constat ex dictis in tractat. ant. & ideo juramentum soli Deo factum exuit quasi naturam juramenti, & induit naturam, seu rationem voti, ut ex communi docent Cajet. & Salmant. vel saltem voti rationem includit, & confirmat, ut notant Salmant.

Sciendum III. Quod aliud est testimonio Dei uti jam dato, quod fit, cum aliquis auctoritatem sacræ scripturæ inducit: & aliud est, testimonium Dei implorare, ut exhibendum, quod fit in juramento. Ad juramentum igitur non pertinet testimonium divinum, quando illud inducitur narrative, seu historice, allegando scilicet textum aliquem divinæ scripturæ ad probationem alicujus veritatis: aut quando testimonium divinum inducitur enunciative, enunciando scilicet, quod Deus fuit, aut est testis ejus, quod fecit, vel intendit facere, puta si dicat, Deus videt, quod dico veritatem, aut similia, tunc enim non fit juramentum. Tunc ergo solum fit juramentum, quando Deus expresse, vel tacite invocatur ut testis, seu ejus testimonium imploratur ad confirmandam veritatem locutionis, sive sit promissio futuri eventus, qui a volnntate dependet, sive sit enunciatio rei præteritæ, aut præsentis, vel absentis occultæ: sicut cum dicitur, testem invoco Deum, per Deum, testis sit mihi Deus, & similia: aut cum tangitur evangelium, vel crux, vel aliud sacrum in confirmationem veritatis.

Sciendum IV. Quod hujusmodi locutiones; Deus scit, coram Deo loquor, & aliæ hujusmodi, propter sui ambiguitatem, possunt dupliciter intelligi, scilicet invocative, vel enunciative. Sumuntur namque invocative communiter, quando inducuntur ad confirmandum, quod dicitur: & tunc habent rationem juramenti. Sumuntur autem communiter pure enunciative, quando per modum narrationis hæc dicuntur. Et hoc frequenter accidit his, qui nolunt jurare ad confirmandum dicta sua, sed remittere ad divinum judicium, & futuram vitam, ubi omnia erunt palam. Et, quoniam verba ex intentione, & animo proferentis pensantur, attentis circumstantiis, in quibus proferuntur: ideo, cessante dolo, & præjudicio cujuscumque, si aliquis non intendens jurare, sed solum exprimere, quod ipse habet conscientiam rectam in hoc, & Deum præ oculis, non mentiendo, dicat: Deus videt, quod dico veritatem, & similia, non est juramentum, quia non est invocatio Dei in testem, sed simplex enunciatio, quod Deus hoc scit, quod Deus hoc videt, quod ego loquor coram Deo, & hujusmodi. Et pro-

pterea notanter dicitur, quod jurare est invocare Deum in testem: & non dicitur, quod est narrare, Deum esse testem. In judicio autem, & in præjudicialibus, oportet ad communem sensum attendere, seu intellectum audientium respicere, ne erretur.

Sciendum v. Quod locutiones, quæ ex sua prima institutione determinatæ sunt ad significandum invocationem Dei in testem, ut sunt istæ, per Deum, per salutem meam, occidar nisi hoc faciam, & hujusmodi, si proferantur absque intentione invocandi Deum in testem, sive ad confirmandam apud homines veritatem locutionis; sed solum ad exprimendam iracundiam, vel audaciam inter loquendo (quod ex circumstantiis communiter colligitur ab auditoribus, a quibus jam non accipiuntur, ut juratoria), desinunt esse juratoria. Nam voces, utpote signa ad placitum, sicuti ex communi intelligentia, seu sensu hominum habent significationem: ita ex communi sensu, & acceptione hominum illam deperdunt. Verba tandem, quæ nullum sensum juratorium habere possunt, ut sunt hujusmodi, in conscientia mea, in fide boni viri, & similia; solum ex ignorantia proferentis, aut audientis, accipi possunt ut juratoria: nam per illa nec tacite, nec expresse invocatur Deus, ut testis.

CAPUT II.

De divisione Juramenti. 2. 2. q. 89. ar. 1.

DEinde considerandum est de divisione juramenti, tam ex parte rei ad quam confirmandam testimonium divinum inducitur; quam ex parte testimonii divini, quod invocatur. Circa quod

Sciendum I. Quod divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita: & hoc dicitur juramentum assertorium. Quandoque autem inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquod futurum: & hoc dicitur juramentum promissorium, in quo juramentum comminatorium subintelligitur. Dicitur enim promissorium, cum bonum promittitur; Comminatorium vero, cum promittitur malum pœnale alteri infligendum. Ex parte vero divini testimonii, quod invocatur, Juramentum dividitur in Contestatorium, & Execratorium. Testimonium enim alicujus invocatur ad hoc, quod testis invocatus veritatem manifestet circa ea, quæ dicuntur. Deus autem manifestat, an verum sit, quod dicitur, dupliciter. Uno modo simpliciter revelando veritatem, vel per internam inspirationem, vel etiam per facti denudationem, dum scilicet producit in publicum ea, quæ erant occulta. Alio modo per pœnam mentientis: & tunc simul est judex, & testis, dum puniendo mendacem manifestat mendacium. Et ideo duplex est modus jurandi. Unus quidem per simplicem Dei contestationem, sicut cum aliquis dicit, testem invoco Deum. Alius modus jurandi est per execrationem, dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat, nisi sit verum, quod dicitur: sicut cum aliquis dicit, sic me Deus puniat, per salutem patris mei, occidar si hoc, quod dico, non est verum, vel quid simile.

Sciendum II. Quod controversia est inter Doctores, utrum prædictæ duæ divisiones juramenti sint formales, seu in membra essentialiter diversa; an potius sint materiales, & in membra accidentaliter tantum diversa. Ad cujus dubii decisionem considerandum est, quod differentiæ alicujus dicuntur, proprie loquendo, solum illæ, quæ sunt differentiæ per se. Nam differentiæ per accidens accidentia sunt respectu illius, cui sunt per accidens, quamvis sint per se differentiæ alterius: sicut, si distinguamus animal per album, & nigrum, sunt differentiæ per accidens animalis. In proposito ergo, cum jurare sit Deum in testem invocare, sive producere, omnes allatæ differentiæ materialiter, & per accidens se habent ad Dei testimonium. Quod enim Deus testetur supra præsentia, aut præterita, vel futura, ad materiam solum testimonii spectat. Similiter, quod Deus testetur simplici manifestatione, vel manifestatione punitiva, non spectat ad naturam testimonii, sed ad ejus effectum, seu potius ad medium, quod assumitur ad effectum manifestationis inducendum. Unde nulla apparet specifica distinctio in juramento.

Sciendum III. Quod licet juramenta non distinguantur specie, nihil tamen prohibet, quod

quod utendo aliis ſpeciebus moralium vitiorum, aut virtutum, in multas diffunduntur ſpecies eo modo, quo una ſpecies imperat alteri, ordinando illam in finem ſuum: ſicut, cum quis adulterattur, ut occidat, homicidium imperat adulterio; hoc enim modo juramentum imperat maledictioni, dum fit per execrationem. Nam quando quis jurat, Deus me occidat, ſi non eſt ſic, ut dico, aut, ſi non fecero; ſic jurans maledictionem ſui quoad vitam aſſumit ad finem juramenti, qui eſt teſtificatio divina: & juxta ſpecificam multitudinem maledictionum, aſſumuntur multæ ſpecies ad eundem finem. Unde patet, quod juramentum per execrationem, etſi non diſtinguatur ſpecie ſecundum naturam juramenti a Conteſtatorio; diſtinguitur tamen per accidens in multas ſpecies, ſecundum naturam aſſumpti mali in pœnam.

Sciendum IV. Quod juramentum factum aſſumendo benedictionem pro maledictione teſtimonii, puta dicendo: faciam hoc, vel ita eſt, ſic me Deus adjuvet, & hujuſmodi; licet ex vi verborum non ſit per execrationem, ſed per conteſtationem Dei in effectu boni, ſcilicet adjutorii divini, ſalutis vitæ, & hujuſmodi: (ſolum enim illud juramentum, quod mali eventum aſſumit in manifeſtationem divini teſtimonii, per execrationem eſt ſecundum verba:) ſed quantum ad ſenſum execratorium eſt, quia teſtis ad utramque partem debet eſſe; Unde ſemper ſubintelligitur execratio, ſcilicet, ſi non eſt ſic, ut dico, Deus non me adjuvet. Qua de re vide Cajet. in præſent. art. I.

C A P U T III.

Utrum ſit licitum jurare. 2. 2. qu. 89. a. 2.

Deuter. 6. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis.* Ergo licitum eſt jurare. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod nihil prohibet, aliquid eſſe ſecundum ſe bonum, quod tamen cedit in malum ejus, qui non utitur eo convenienter. Sicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum, & tamen, qui indigne ſumit, judicium ſibi manducat, & bibit, ut dicitur I. ad Cor. II. Sic ergo in propoſito dicendum eſt, quod juramentum ſecundum ſe eſt licitum, & honeſtum, quod patet ex origine, & ex fine. Ex origine quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, & proviſionem. Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad juſtificandum homines, & ad finiendum controverſias, ut dicitur ad Heb. 6. Sed juramentum cedit in malum alicui ex eo, quod male utitur eo, ideſt ſine neceſſitate, & cautela debita: Videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi cauſa teſtem inducit: quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum perjurii, quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundum illud Jac. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Unde & Eccleſ. 25. dicitur: *Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa.*

Sciendum II. Quod ad bonum uſum juramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leviter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcrete juret: & quantum ad hoc requiritur judicium ſcilicet diſcretionis ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id, quod per juramentum confirmatur, ut ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquod illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum eſt: & juſtitia, per quam confirmat, quod licitum eſt. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax; juſtitia autem juramentum iniquum. Et ideo convenienter ponuntur tres comites juramenti, videlicet, Juſtitia, Judicium, & Veritas, ſecundum illud Jer. 4. *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in juſtitia;* quod exponens Hieron. & habetur 22. q. 2. cap. Animadvertendum, dicit: *Animadvertendum eſt, quod juſjurandum hos habet comites, ſcilicet, veritatem, judicium, & juſtitiam.* Quamvis autem hæc tria in quolibet opere humano requirantur: Nihil enim debet fieri contra juſtitiam, aut veritatem, aut ſine judicio diſcretionis; tamen magis requiruntur ad juramentum, quam ad alios humanos actus; quia in juramento eſt magnum periculum, tum propter Dei magnitudi-

tudinem, cujus testimonium invocatur: tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cujus verba juramento confirmantur. Qua de re D. Thom. hic art. 3.

Sciendum III. Quod, sicut ex dictis patet, ille, qui jurat, invocat divinum testimonium ad confirmandum ea, quæ dicit. Nihil autem confirmatur, nisi per aliquid, quod certius est, & potius: & ideo in hoc ipso, quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis: & sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Unde & Apost. dicit ad Hebr. 6. *Homines per majores se jurant*. Et Hieron. super Matth. 5. dicit: *Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat*. Philos. etiam dicit in I. Metaph. c. 2. referens opinionem Thaletis, quod *Juramentum est honorabilissimum*. Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad religionem, sive latriam. Unde manifestum est, quod juramentum est actus religionis, sive latriæ; & ideo Deuter. 6. ubi sermo est de servitute latriæ, dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*. Sic autem debemus aliquid in Dei reverentiam facere, ut ex hoc utilitas proximis proveniat, ut fit in juramento: quia etiam Deus operatur ad suam gloriam, & nostram utilitatem.

Sciendum IV. Quod id, quod non quæritur, nisi ad subveniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea, quæ sunt per se appetenda, sed inter ea, quæ sunt necessaria: sicut patet de medicina, quæ quæritur ad subveniendum infirmitati. Juramentum autem quæritur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit. Et ideo juramentum non est habendum inter ea, quæ sunt per se appetenda, sed inter ea, quæ sunt huic vitæ necessaria, quibus indebite utitur, quicumque eis utitur ultra terminos necessitatis. Unde August. dicit in lib. I. de serm. Dom. in monte cap. 30. *Qui intelligit non in bonis* (id est per se appetendis) *sed in necessariis jurationem habendam; refrænet se, quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitas cogat*. Juramentum igitur utile quidem est ad confirmationem, ad quam ordinat, seu potius, ob quam utitur Dei reverentia; tamen quanto est magis venerandum, tanto est magis periculosum, nisi debite inducatur: sicut medicina est utilis ad sanandum, & tamen quanto magis est virtuosior, tanto majus nocumentum inducit, si non debite sumatur. Unde dicitur Eccles. 23. *Vir multum jurans replebitur iniquitate*. Qua de re D. Thom. hic art. 5.

Sciendum V. Quod in juramento duo sunt consideranda. Unum quidem ex parte Dei, cujus testimonium inducitur; & quantum ad hoc debetur juramento maxima reverentia. Et propter hoc a juramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad jurandum: quia nondum habent perfectum usum rationis, quo possint cum reverentia debita juramentum præstare. Et iterum perjuri, qui ad juramentum non admittuntur, quia ex retroactis præsumitur, quod debitam reverentiam juramento non exhibebunt. Aliud autem est considerandum ex parte hominis, cujus dictum juramento confirmatur. Non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi, quia de eo dubitatur. Hoc autem derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicit: & ideo personis magnæ dignitatis non convenit jurare. Propter quod dicitur 2. quæst. 4. cap. si quis Presbyter. *Sacerdotes ex levi causa jurare non debent*, & ibid. dicitur. *Presbyter vice juramenti per sanctam consecrationem interrogetur*. Tamen pro aliqua necessitate, vel magna utilitate licitum est eis jurare, & præcipue pro spiritualibus negotiis, pro quibus etiam juramenta competit præstare in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum: non autem tunc sunt juramenta præstanda pro rebus temporalibus, nisi forte ex magna necessitate. Qua de re S. Thom. hic art. 10.

CAPUT IV.

Utrum liceat per creaturas jurare.
2. 2. quæst. 89. art. 6.

Sicut legitur Gen. 42. Joseph juravit per salutem Pharaonis. Ex consuetudine etiam juratur per Evangelium, & per Reliquias, & per Sanctos. Ad cujus rei evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, duplex est juramentum. Unum quidem,

dem, quod fit per simplicem contestationem, in quantum, scilicet, testimonium Dei invocatur, & hoc juramentum innititur divinæ veritati, sicut & fides. Fides autem est per se quidem, & principaliter de Deo, qui est ipsa veritas: secundario autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet. Et similiter juramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cujus testimonium invocatur: secundario autem assumuntur ad juramentum aliquæ creaturæ, non secundum se, sed, in quantum in eis divina veritas manifestatur. Sicut juramus per Evangelium, id est, per Deum, cujus veritas in Evangelio manifestatur, & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & observaverunt. Alius autem modus jurandi est per execrationem, & in hoc juramento inducitur creatura aliqua, ut in qua divinum judicium exerceatur. Et sic solet homo jurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit. Sicut & Apost. juravit 2. ad Cor. 1. dicens. *Ego testem Deum invoco in animam meam*. Quod autem Joseph per salutem Pharaonis juravit, utroque modo intelligi potest, vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligaverit Deo: vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem divinæ justitiæ, ad cujus executionem principes terræ constituuntur.

Sciendum II. Quod juramentum secundum se consideratum, tanto fortius est, & magis cogit, seu obligat, quanto majus est id, per quod juratur, ut August. dicit ad Publicolam Epist. 154. & secundum hoc majus est jurare per Deum, quam per Evangelia: Unde Chrysost. dicit hom. 44. in Matth. in opere imperf. *Si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere, qui jurat per Deum: sed qui jurat per Evangelia, majus aliquid fecisse videtur, quibus dicendum est; Stulti, scripturæ propter Deum factæ sunt, non Deus propter scripturas*. Sed potest esse e converso propter modum jurandi, utpote si juramentum, quod fit per Evangelia, fiat cum quadam deliberatione, & solemnitate: juramentum autem, quod fit per Deum, fiat leviter, & absque deliberatione, & solemnitate. Et ideo 22. qu. 5. dicitur. *Nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam super sancta Evangelia jurare præsumat*. Qua de re S. Thom. art. 10.

Sciendum III. Quod Dominus Matth. 5. prohibuit jurare per creaturas, ita quod eis exhibeatur reverentia divina. Unde Hieron. dicit ibid. *Considera, quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per cœlum, & terram, & cætera. Judæi enim per Angelos, & cætera hujusmodi jurantes creaturas venerabantur Dei honore*. Et eadem ratione punitur secundum Canones 21. q. 1. Clericus per creaturam jurans, quod ad blasphemiam infidelitatis pertinet: quare dicitur cap. *Clericum per creaturam jurantem acerrime objurgandum, si persisterit in vitio, excommunicandum placuit*. Et in sequenti cap. dicitur. *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur*. Et secundum hoc dicitur Exod. 23. *Per nomen externorum Deorum non jurabitis*. Eo, quod cultus latriæ exhibetur ei, cujus testimonium jurando invocatur. Non autem exhibetur cultus latriæ creaturis, quæ in juramento assumuntur modis prædictis.

Sciendum IV. Quod sicut notat D. Th. hic art. 2. ad primum, licet prædicta expositio Hieron. conveniens sit, tamen non sufficit, quia Jacob. 5. dicitur. *Ante omnia fratres mei nolite jurare neque per cœlum &c.* & additur: *neque aliud quodcumque juramentum*. Et ideo dicendum est, quod, sicut August. dicit in lib. de mendacio, cap. 15. *Apostolus in Epistolis suis jurans ostendit quomodo accipiendum esset, quod dictum est Matth. 5. Dico vobis non jurare omnino, ne, scilicet, jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad consuetudinem, & a consuetudine in perjurium decidatur: & ideo non invenitur jurasse, nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem*. Et in lib. 1. de serm. Dom. in monte, cap. 30. dicit. *Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades, quæ utique infirmitas malum est. Itaque non dixit: Quod amplius est, malum est, sed a malo est. Tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, ut alteri persuadeas, quod utiliter persuades; sed a malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris*.

CA-

CAPUT V.

Utrum juramentum habeat vim obligandi. 2. 2. quæst. 89. art. 7.

Consequenter ad ea, quæ pertinent ad naturam Juramenti, considerandum est de his, quæ pertinent ad ejus obligationem. Circa quod

Sciendum I. Quod obligatio refertur ad aliquid, quod est faciendum, vel dimittendum. Unde non videtur respicere juramentum assertorium, quod est de præsenti, vel de præterito, neque etiam juramentum de his, quæ sunt per alias causas facienda: sicut, si quis juramento assereret, quod cras pluvia esset futura, sed solum in his, quæ sunt fienda per illum, qui jurat. Sicut autem juramentum assertorium, quod est de præterito, vel præsenti, debet habere veritatem: ita etiam juramentum de his, quæ sunt fienda a nobis in futurum. Et ideo utrumque juramentum habet quandam obligationem; diversimode tamen: quia in juramento, quod est de præterito, vel præsenti, obligatio est non respectu rei, quæ jam fuit, vel est; sed respectu ipsius actus jurandi, ut scilicet juret id, quod jam verum est, vel fuit. Sed in juramento, quod præstatur de his, quæ sunt fienda a nobis, obligatio cadit e contra super rem, quam aliquis juramento firmavit. Tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id, quod juravit, alioquin deest veritas juramento.

Sciendum II. Quod, si est talis res, quæ in ejus potestate non fuit, deest juramento discretionis judicium: nisi forte, quod erat ei possibile, quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, puta cum aliquis jurat, se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahatur; tunc enim videtur excusatus esse a faciendo, quod juravit, licet teneatur facere, quod in se est, sicut etiam in tract. ant. circa obligationem voti diximus. Si vero sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum: tunc juramento deest justitia; & ideo juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum, secundum enim August. utrumque eorum vergit in deteriorem exitum, ut habetur 22. q. 4. c. Si aliquid, c. inter cætera. Sic ergo dicendum est, quod quicumque jurat, aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc, quod veritas impleatur, si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium, & justitia. Unde

Sciendum III. Quod aliud est de simplici verbo, aliud de juramento, in quo divinum testimonium imploratur; sufficit enim ad veritatem verbi, quod aliquis dicat id, quod proponit se facturum, quia hoc jam verum est in sua causa, scilicet in proposito facientis; sed juramentum adhiberi non debet, nisi in re, de qua aliquis firmiter certus est: & ideo, si juramentum adhibeatur, propter reverentiam divini testimonii, quod invocatur, obligatur homo, ut faciat verum esse id, quod juravit, secundum suam possibilitatem, nisi in deteriorem exitum vergat, ut dictum est. In juramento ergo promissorio duplex veritas requiritur. Una de præsenti, quæ consistit in conformitate enunciationis cum conceptu, seu proposito mentis, quod per verbum significatur, sicuti de facto est. Altera de futuro, quæ cadit supra rem, quæ enunciatur fienda a nobis, supra quam cadit obligatio juramenti, ut jurans faciat verum esse, quod jurando promisit.

Sciendum IV. Quod juramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. Uno modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum, vel quia est secundum se malum (sicut, cum aliquis jurat, se perpetraturum adulterium): sive quia est majoris boni impeditivum, (puta, cum aliquis jurat, se non intraturum religionem, vel quod non fiet Clericus, aut quod non accipiet Prælationem in casu, in quo expedit eam accipere, vel si quid aliud est hujusmodi). Hujusmodi enim juramentum ab initio est illicitum, differenter tamen: quia, si quis juret se facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando. Si quis autem jurat, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit objicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat juramentum servando, sed multo melius facit, si non

non servet. Alio modo vergit in deteriorem partem, seu exitum propter aliquid, quod de novo emerserat, quod fuit impræmeditatum; & tunc juramentum non debet servari. Unde Ambros. dicit in 1. de Offic. cap. 12. *Est contra officium nonnunquam promissa solvere, sicut Herodes, qui necem Joannis præstavit, ne promissum negaret.*

Sciendum v. Quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio, quod solvit, vel prælato denunciare, non obstante, quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria; sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes, ut docet S. Thom. in hoc art. ad 3. & habetur in Decret. l. 2. tit. 2. c. 1. & 15. Quamvis Cajet. dicat, hujusmodi juramenta coacta ex vi dictæ Decretalis non esse ipso facto irrita, sed solum irritanda. Et noster Piselli dicat, esse quidem ipso facto irrita pro foro externo, ut omnes concedunt: pro foro vero interno non sunt de facto irrita, sed irritanda.

Sciendum VI. Quod, quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat (puta, quia sermo est æquivocus, seu locutio amphibologica) si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit in lib. 1. de summo bono, c. 31. *Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Et, quod hoc intelligatur de doloso juramento, patet per id, quod subditur: *Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Qua de re vide quatuor proposit. damnat. ab Innoc. XI. videlicet 25. 26. 27. 28. & quæ dixi in part. 2. de mendacio. Si autem jurans dolum non adhibeat, sed sincere juret, obligatur secundum intentionem jurantis, sicut etiam de voto dictum est in tract. ant. Unde Gregor. dicit 27. Moral. c. 8. *Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant. Divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Cujus ratio est, quia quidquid ultra intentionem sincere jurantis ab auditoribus intelligitur, procedit ex errore invincibili jurantis circa promissionem, quam facit, & per consequens causat involuntarium simpliciter, cum sit error dans causam promissioni; sicut patet ex can. humana 22. qu. 5.

CAPUT VI.

Qualiter obligent aliqua juramenta. 2. 2. quæst. 89. ar. 7.

FRequenter fiunt aliqua juramenta, de quibus considerandum est, qualiter obligent coram Deo, secundum regulas traditas in cap. ant. Unde

Sciendum I. Quod honore se invicem prævenientes, solent aliquando jurare, se præcessuros in exitu domus, vel aliquo hujusmodi. Considerandum igitur est, quod in hujusmodi actibus, in quibus de nullius agitur præjudicio, sed potius de honoris exhibitione, ac signis, duo inveniuntur. Primo pia intentio jurantis, quia scilicet sic jurando non intendit omnino sic facere, sed cum grano salis, scilicet, quantum in se est. Sicut Petrus, cum dixit Christo, *Non lavabis mihi pedes in æternum*, intendebat, quantum in se erat, & hanc intentionem manifestat, quod statim ad voluntatem alterius facit oppositum, & sic nec jurando, nec faciendo oppositum, deest juramento veritas. Secundo actus qualitas, quia scilicet jurat in hujusmodi quis sæpe de actu, qui est in potestate alterius, puta, non venies mecum, non transibis hoc ostium, & hujusmodi. Hæc enim, licet pie interpretanda sint, scilicet, quantum est ex parte jurantis, in veritate tamen indiscreta sunt juramenta. Et proptetea

rea sic jurans communiter peccat venialiter propter indiscretionem. Faciendo tamen oppositum perjurus non est, quia facit contra intentionem implicitam, sinceram, & communiter cognitam in hujusmodi. Ita Cajet.

Sciendum II. Quod irati solent frequenter jurare, se velle filios, aut servos punire: vel alterum superiori accusare. Et in hoc simili modo, ac in casu præcedenti, duo consideranda sunt. Primo intentio jurantis, quæ ut licita sit, seu honesta, respicere debet proximi correptionem per punitionem, aut accusationem, & ad hoc tantum obligat juramentum: unde, si alter emendetur, vel ex punitione, aut accusatione majus malum prudenter timeatur, vel ex intercessione amicorum, & venia facilius emendatio speretur juramentum non obligat. Si autem jurans non intendat bonum proximi. Sed malum ejus, vel absolute ut malum, quod est contra charitatem; vel ut satisfactivum offensæ non secundum justitiam, quod pertinet ad injustam vindictam; tunc juramentum cadit supra rem illicitam, adeoque sic jurans peccat jurando, sed non debet juramentum implere. Secundo actus qualitas, quia in his jurat quis, ut in pluribus, indiscrete, scilicet præcipitanter, & absque necessitate, & propterea sic jurans communiter peccat venialiter, etiam si rectam intentionem habeat ex parte finis, & ex juramento obligetur juxta mensuram finis honesti, qui intenditur, scilicet emendatio delinquentis. Juramenta autem de rebus inutilibus non obligant, sicut nec vota, sed quia vana sunt, carent discretione; & ideo communiter sunt peccata venialia, per se loquendo.

Sciendum III. Quod Juramentum posterius potest esse contrarium priori juramento dupliciter. Primo ex parte materiæ: quia scilicet materia, quæ promittitur per juramentum posterius, incompatibilis est cum adimpletione, seu executione materiæ promissæ per prius juramentum: & in tali casu posterius juramentum est invalidum, cadit enim supra materiam illicitam, utpote quæ adimpleri non potest absque violatione prioris juramenti. Sicut juramentum, quod fit puellæ de ducendo illam in uxorem, si fiat ab habente juramentum castitatis, aut votum, est invalidum, & sic jurans peccat mortaliter. Secundo ex parte ipsius juramenti, ut, si quis juraret, se nunquam juraturum, nisi in scriptis, & postea sine hac circumstantia advertenter juraret: in tali casu secundum juramentum est validum, si sit de re utili, & honesta; ex parte tamen actus illicite fit, quia deficit illi circumstantia, ad quam se obligavit sub gravi ex vi prioris juramenti, aut voti. Ita Suar. Navar. Sanch. Bonac. Salmant.

Sciendum IV. Quod juramentum absolute præstitum de servandis statutis Reipublicæ, Collegii, Universitatis, Confraternitatis, vel alio nomine nuncupatis communitatibus; intelligitur primo solum de statutis editis, non vero de imposterum edendis, nisi hoc exprimatur in juramento, ut notant Suar. Sanch. Prad. Secundo Obligat hoc juramentum secundum statuti naturam, vel sub pœna, vel ad culpam, vel solum sub consilio, ut notant Trull. Bonac. Pal. Tertio, si statuta aliqua ratione non obligant, vel quia reddita sunt inutilia, aut moraliter impossibilia, vel quia non sunt communiter recepta, aut in desuetudinem abierunt, nec etiam juramentum obligat: quia fit de statuto observando, quatenus statutum est, seu quatenus obligat, ut notant Lean. Navar. Suar. Quarto non obligat, quando statutum a majori parte communitatis non observatur, ut patet a simili de lege, & notant Azor. Sa, Sanch. Quinto, si datur juramentum de non revocando statuto, non potest licite revocari, nisi deficiente causa finali, vel obtenta dispensatione. Imo etiamsi non fiat juramentum de non revocando statuto, si juramentum de illo observando afficiat communitatem, non potest ab ipsa revocari absque dispensatione, quia per juramentum statutum observandi, abstulerunt a se potestatem contrarium faciendi, sicuti notant Covar. Sylv. Sanch. Salmant.

Sciendum V. Quod scribæ, procuratores, & alii ministri publici, qui jurant servare taxam a lege præscriptam, ex vi juramenti obligantur nec petere, nec accipere amplius stipendium eo, quod a lege est taxatum, supposito quod sit sufficiens, & justum. Si autem judicio prudentum sit insufficiens, & improportionatum operi, & obse-

obsequio, quod præstant, non tenentur illud servare: quia juramentum sub hac conditione intelligitur factum, si lex sit justa, & obligatoria, & consuetudine recepta. In hoc tamen inspiciendum est ad id, quod ut in pluribus accidit secundum judicium peritorum, & non secundum propriam passionem, ut docent Sanch. Pal. Prad. Fag. Trull. Quantum vero attinet ad juramentum, quod præstant publici ministri de prospiciendo bono publico, probabilius est non obligari ex vi juramenti, nisi ad prospiciendum bono politico in quantum ad id ordinatur eorum munus pro bono regimine reipublicæ, ejusque damnis cavendis, ut docent Sanch. Salmant. Juramentum autem servandi secretum eorum, quæ in propositionibus, & conventibus tractantur, obligat juxta naturam secreti, attenta qualitate materiæ, ut notant Sanch. Navar. Fag. Salmant.

Sciendum VI. Quod Medici jussu Sancti Pii V. edito anno 1566. incipiente: *Supra gregem Domini*, jurare tenentur, cum facultatem accipiunt, se ultra tertium diem non visitaturos infirmum, nisi certificentur de infirmi confessione per Confessarii rescriptum, nisi Confessarius judicet ex justa causa, longius tempus concedendum infirmo. Quod præceptum ubi non est contraria consuetudine abrogatum, obligat sub mortali, ut certum est, quamvis Doctores non concordent, de quibus infirmitatibus debeat intelligi. Quidam enim dicunt debere intelligi de illis morbis, qui vitæ periculum afferunt. Alii asserunt debere intelligi de quocumque morbo. Alii denique dicunt debere intelligi de infirmitatibus gravibus, quamvis nondum periculosis; alias tale præceptum nihil superadderet obligationi, quam jam medici habebant, ex jure divino, & præcepto charitatis, ut docent Cajet. Suar. Bonac. Pal. Salmant. quod & probabilius videtur. Ubi vero tale præceptum consuetudine contraria est abrogatum, tenentur Medici ex præcepto charitatis monere infirmos periculoso morbo laborantes, ut Sacramenta recipiant, & rebus suis prospiciant, ut notant Navar. Sanch. Salmant.

Sciendum VII. Quod juramentum, aut votum non ludendi soli Deo factum, si sit de non ludendo ludo periculoso, aut immoderato, certum est obligare. Si autem sit factum de nunquam ludendo ullo modo, etiamsi ludo licito, & honesto, & recreationis causa, aliqui dicunt non valere, quia est contra bonos mores, seu virtutem. Sic Rodr. Nav. Dicast. Bassæus. Alii vero melius dicunt, esse validum, si fiat ob finem altiorem se mortificandi, & vacandi Deo, eo pari modo, quo est validum votum non nubendi: si vero absque tali fine altiori fiat, erit invalidum, quia vanum, & contra virtutem eutropeliæ. Sic Prad. Cand. Bonac. Sanch. Salmant. Ex fine vero, quo quis movetur ad emittendum tale votum, aut juramentum de non ludendo (quando aliud expresse non constet de intentione jurantis) colligi potest an comprehendat etiam ludum licitum, vel solum illicitum, & periculosum: & ex eodem fine metienda est gravitas, vel levitas materiæ in violatione talis juramenti; sicut notant Sanch. Lez. Cand. Qua de re vide Salmant.

CAPUT VII.

Utrum major sit obligatio Juramenti, quam Voti. 2. 2. quæst. 89. a. 8.

DEinde considerandum est de comparatione obligationis juramenti cum obligatione voti. Circa quod

Sciendum I. Quod utraque obligatio, scilicet voti, & juramenti, causatur ex aliquo divino, aliter tamen, & aliter. Nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus, ut scilicet ei promissum solvamus. Obligatio autem juramenti causatur ex reverentia, quam debemus ei; ex qua tenemur, quod verificemus id, quod per nomen ejus promittimus. Omnis autem infidelitas irreverentiam continet; sed non convertitur. Videtur enim infidelitas subjecti ad Dominum esse maxima irreverentia. Et ideo votum ex ratione sua magis est obligatorium, quam juramentum. Unde

Sciendum II. Quod votum est promissio, non quæcumque, sed Deo facta, cui infidelem esse gravissima irreverentia est. Juramentum autem ordinatur ad confirmandam promissionem, qua aliquis interdum homini obligatur, cui infidelem esse non est tantæ gravitatis: contra Deum vero

solam

solam irreverentiam directe inducit, quando non adimpletur. Quando autem juramentum voto adhibetur, ejus transgressio importat quidem infidelitatem contra Deum, sed de materiali, scilicet ratione voti, seu promissionis factæ Deo, supra quam cadit juramentum: non de formali, scilicet ratione ipsius juramenti.

Sciendum III. Quod juramentum non adhibetur voto, quasi aliquid firmius; sed ut per duas res immobiles major firmitas habeatur. Quod autem major sit firmitas voti, quam juramenti, non provenit ex sola deliberatione animi, quæ requiritur ad naturam voti ex parte voventis, ut dictum est in tract. ant. c. I. Sed votum habet majorem firmitatis causam ex parte Dei, cui votum offertur. Hæc est igitur differentia inter votum, & juramentum quantum ad firmitatem, quod votum tam ex parte actus, quam ex parte materiæ promissæ Deo, ad religionem pertinet: Juramentum vero est quidem actus religionis, sed relinquit materiam, quam confirmat, in sua natura, & non ordinat illam ad religionem, quantum est ex vi juramenti; unde non habet tantam firmitatem, quantam habet votum.

Sciendum IV. Quod licet fidelitas, & reverentia diversarum virtutum sint inter homines, cum fidelitas ad virtutem veritatis, reverentia vero ad virtutem observantiæ pertineat, sicut dictum est in part. 2. tract. 15. In ordine tamen ad Deum fidelitas, & reverentia ejusdem virtutis sunt, scilicet religionis, seu latriæ; decet enim, ut quæ in inferioribus dispersa sunt, in superioribus uniantur. Imo etiam inter homines infidelitas contra proprium dominum maxima irreverentia est, & contra virtutem Duliæ, quæ est pars Observantiæ, quæ, utpote virtus superior, in se eminenter includit fidelitatem, ut patet ex dictis in secunda parte.

CAPUT VIII.

Quomodo cessare possit obligatio Juramenti. 2. 2. quæst. 87. a. 9.

Votum est majoris obligationis, quam juramentum, ut supra dictum est: sed obligatio voti pluribus modis cessare potest, ut patet ex dictis in trad. ant. ergo multo magis obligatio juramenti pluribus modis cessare potest. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod necessitas dispensationis tam in lege, quam in voto, est propter hoc, quod id, quod in se, vel universaliter consideratum est utile, & honestum; secundum aliquem particularem eventum, potest esse inhonestum, & nocivum; quod non potest cadere nec sub lege, nec sub voto. Quod autem aliquid sit inhonestum, vel nocivum, repugnat his, quæ attendi debent in juramento: nam si sit inhonestum, repugnat justitiæ, si sit nocivum repugnat judicio. Et ideo pari ratione etiam in juramento dispensari potest. Considerandum ergo est, quod dispensatio, quæ fit in juramento, sicut etiam in voto, non se extendit ad hoc, quod aliquid contra juramentum fiat. Hoc enim est impossibile, cum observatio juramenti, sicut & voti, cadat sub præcepto divino, quod est indispensabile: sed ad hoc se extendit dispensatio juramenti, ut id, quod sub juramento cadebat, sub juramento non cadat, quasi non existens debita materia juramenti, sicut & de voto dictum est in tract. ant.

Sciendum II. Quod dispensatio juramenti tota se tenet ex parte materiæ, ut dictum est. Materia autem juramenti assertorii, quod est de præterito, vel præsenti, in quamdam necessitatem jam transit, & immutabilis facta est; & ideo dispensatio non refertur ad materiam, sed refertur ad ipsum actum juramenti. Unde talis dispensatio directe esset contra præceptum divinum: & ideo dispensatio cadere non potest in juramento assertorio. Sed materia juramenti promissorii est aliquod futurum, quod variari potest: ita, scilicet, quod in aliquo casu, seu eventu potest esse illicitum, vel nocivum, & per consequens non esse debita materia juramenti; & ideo dispensari potest in juramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiam juramenti, & non contrariatur præcepto divino de juramenti observatione, quæ debet esse solum de materia debita, non autem de materia indebita juramento.

Sciendum III. Quod homo potest alteri promittere sub juramento dupliciter. Uno

Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius (puta, ſi ſub juramento promitteret, ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum) & a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt. Intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum (puta, ſi aliquis promittat alicui, ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum) & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo: niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit, ſcilicet, ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliqnid aliud tale. In illis ergo juramentis, in quibus nullum jus eſt acquiſitum tertio, locum habet diſpenſatio, aut irritatio reſpective, attenta ſcilicet poteſtate juriſdictionis, aut dominativa, ſicut de voto dictum eſt in tract. ant. In illis vero juramentis, in quibus jus tertio acquiſitum eſt, tantum locum habet relaxatio, per hoc ſcilicet, quod ille, cui promiſſum eſt, abſolvat a debito.

Sciendum IV. Quod quandoque illud, quod cadit ſub juramento promiſſorio, eſt manifeſte repugnans juſtitiæ, vel quia eſt peccatum, ſicut cum aliquis jurat, ſe facturum homicidium: vel quia eſt majoris boni impeditivum, ſicut cum aliquis jurat, ſe non intraturum religionem. Et tale juramentum non indiget diſpenſatione, ſed per ſe ipſum ceſſat, ſeu potius vim obligandi non poteſt exercere, cum ſit circa materiam indebitam; cum hac tamen differentia, quod in primo caſu tenetur aliquis juramentum non ſervare: in ſecundo autem caſu licitum eſt ſervare, & non ſervare, ratione materiæ, quæ non cadit ſub præcepto. Quandoque vero aliquid ſub juramento promittitur, de quo dubium eſt, utrum ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum, aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu: & in hoc locum habet diſpenſatio, aut commutatio, quæ ad poteſtatem juriſdictionis pertinet, vel ordinariam, quam habent omnes Epiſcopi, vel delegatam, ſicut illam habent regulares in foro conſcientiæ ex privilegio, ſicut de votis dictum eſt in tr. ant.

Sciendum V. Quod quandoque ſub juramento promittitur aliquid, quod eſt manifeſte licitum, & utile: & in tali juramento non videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio, niſi aliquod melius occurrat, ad communem utilitatem faciendum, quod maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam univerſalis Eccleſiæ. Habet etiam locum abſoluta relaxatio, quæ pertinet ad poteſtatem dominativam, quod etiam ad Papam pertinet generaliter in omnibus, quæ ad diſpenſationem rerum eccleſiaſticarum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. Sicut & ad quemcumque pertinet irritare juramentum, quod a ſibi ſubditis factum eſt, circa ea, quæ ejus poteſtati ſubduntur: ſicut pater poteſt irritare juramentum puellæ, & vir uxoris, ut dicitur Num. 30. ut ſupra de voto dictum eſt.

Sciendum VI. Quod, ſicut conſtat ex dictis, Juramentum, & Votum in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt. Conveniunt in hoc, quod diſpenſatio, commutatio, irritatio, relaxatio, aut per ſe ceſſatio ſit ratione materiæ mutabilis. Differunt vero in duobus, quantum ad præſens propoſitum attinet, ſcilicet in qualitate materiæ, & in perſona, cui fit. Nam voti propria materia eſt bonum ſupererogationis, & ſoli Deo votum fit. Juramenti autem propria materia eſt non ſolum bonum ſupererogationis, ſed etiam bonum de neceſſitate ſalutis, ut reddere debitum, & univerſaliter quodcumque licitum; ita tamen, ut non ponatur obex Spiritui Sancto inſpiranti id, quod eſt melius bonum: & fit juramentum non ſolum Deo, ſed etiam homini. Hinc provenit duplex differentia. Prima eſt, quod in votis diſpenſandis, ſeu commutandis, attenditur, quid magis Deo acceptum ſit: in Juramentis autem oportet reſpicere ad præjudicium hominis, cui factum eſt, & in cujus favorem factum eſt. Et hinc ſequitur altera differentia, ſcilicet, quod homo non poteſt votum relaxare, quia non fit homini: ſed juramentum poteſt homo homini relaxare, quia fit homini propter ipſum hominem, & in ejus favorem. Quapropter

Sciendum VII. Quod prælatus ecclesiasticus non habet tantam potestatem super juramenta, sicut supra vota: quia non est in ejus potestate auferre jus tertii, sicut est in ejus potestate commutare in aliquid gratius Deo; est enim Dei vicarius, cui fit votum, sed non est vicarius illius hominis, in cujus favorem factum fuit juramentum: nec ita est super eum, ut possit illum rebus suis privare ad libitum. Et hoc provenit non ex defectu potestatis Ecclesiasticæ, aut propter excellentiam juramenti, sed ex natura contractus juramento firmati. Quocirca, cessante præjudicio hominis, ita juramenta subjiciuntur Ecclesiasticæ potestati, sicut & vota. Et cum juramentum sit minus obligatorium, quam votum, ut dictum est in cap. ant. consequens est, ut omnia juramenta subsint prælatis Papæ inferioribus, quæ si essent vota, illis subessent: quia cui concessum est majus, concessum est posse in minus. Et similiter probabilius videtur esse Papæ reservata omnia illa juramenta, quæ, si essent vota, essent Papæ reservata, qualia sunt juramenta castitatis, religionis, & triplicis peregrinationis. Et ex hac radice Ecclesia dispensat in juramentis coactis, quia scilicet cessat præjudicium hominis, & audacia malorum coercetur illa dispensando, ut bene notat Cajet. in præsenti art.

CAPUT IX.

Qualiter sanctitas Juramenti violetur.
2. 2. quæst. 89. a. 3.

Denique considerandum est de violatione Juramenti: qualiter scilicet sanctitas ejus violetur, & quando talis violatio gravem culpam inducat, vel non. Circa quod

Sciendum I. Quod sanctitas debita juramento violatur per defectum illarum conditionum, seu qualitatum, quæ sunt comites juramenti, scilicet per defectum judicii, seu discretionis, aut justitiæ, aut veritatis in jurando. Quando enim ei deficit judicium, juramentum est incautum: quando ei deficit justitia, evadit iniquum: quando vero illi deficit veritas, dicitur mendax, & est proprie perjurium, de quo dictum est in parte 2. tr. 14. Si ergo juramento deficiat tantum judicium discretionis, scilicet, quia fit ubi, quando, & quomodo non oportet, poterit esse grave peccatum, non ratione sui, sed per accidens, ratione scilicet periculi, in quo quis se exponit, falsum, aut illicitum aliquod juramento confirmandi: unde, præciso hoc periculo, erit peccatum veniale. Si vero juramento deficiat justitia, erit grave, vel leve peccatum, secundum qualitatem rei illicitæ, quam confirmat, seu supra quam cadit juramentum: Non enim talis defectus directe opponitur testimonio divino, sicut mendacium, adeoque admittit parvitatem materiæ. Si autem juramento deficiat veritas de præsenti, sive hoc sit in juramento assertorio, sive in juramento promissorio, erit semper peccatum mortale perjurii, nisi ignorantia excuset (puta, quia præter intentionem falsum juratur.) Tunc enim ex intentione adducitur Deus ut testis falsitatis, in quo ratio formalis perjurii consistit, ut dictum est in 2. part. cum de perjurio ageretur: nec in hoc datur parvitas materiæ, ut est certum apud omnes, cum in quacumque materia minima summæ veritati gravis injuria irrogetur. Unde damnata fuit ab Innoc. XI. hæc prop. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Sciendum II. Quod circa veritatem de futuro in juramento promissorio, aliqui dicunt, non dari parvitatem materiæ, si materia levis sit totalis materia respectu juramenti: quia illam non adimplendo facit Deum testem mendacii, qui jurando promisit illam levem materiam, puta obolum se daturum in eleemosynam; & similiter accidit in voto: secus vero est, si materia levis sit solum partialis respectu rei promissæ cum juramento, puta, si quis juravit se soluturum centum aureos, & postea in solvendo retineat quinque, vel decem obolos: quia in tali casu Deus non fit testis mendacii. Ita Cajet. in præsen. q. a. 7. & alii apud Salmant. Sed probabilior sententia docet, dari parvitatem materiæ in juramento promissorio, sive materia levis sit totalis, sive partialis; sicut etiam de voto dictum est in

tract.

tract. ant. & docent Suar. Sanch. Joan. a S. Tho. Salm. aliique plures. Rationem autem assignat D. Thom. 2. 2. q. 110. ar. 3. ad quintum. *Dicendum, quod ille, qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si vero non faciat, quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutat*. Ergo hujusmodi non peccat directe contra veritatem juramenti, sed contra fidelitatem, quæ sive sit in ordine ad hominem, sive erga Deum, semper admittit parvitatem materiæ.

Sciendum III. Quod jurare sine animo jurandi, aut non se obligandi ad observandum promissum, peccatum est, etiamsi cum causa fiat: unde damnata fuit ab Innoc. XI. hæc prop. 25. *Cum causa, licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*. Imo, si subtilius inspexerimus, apparebit, hoc esse mendacium perniciosum ex natura sua, adeoque peccatum grave perjurii. Quod sit mendacium, constat, quia sic jurans aliud habet in ore, aliud in mente, seu verba menti sunt contraria. Veritas namque, quæ est comes juramenti, si desit in materia juramenti, hoc est in eo, quod cum juramento confirmatur, est mortale: ergo a fortiori si desit in forma ipsius juramenti, hoc est in ipsa juratione, quia scilicet juratio ipsa est mendacium, magis est mortale. Quod vero hoc mendacium sit perniciosum ex propria natura, ex eo constat, quia contrariatur fini jurationis, scilicet confirmationi veritatis: ideo enim juramus, ut veritatem confirmemus: jurare autem sine animo jurandi, aut non se obligandi, est intendere confirmare, & non confirmare veritatem. Nam, quia jurat actu exteriori, firmat veritatem, in quantum est ex specie actus exterioris: quia vero non jurat mente, non confirmat veritatem. Unde actus iste sic perversus in se ipso, ut sit sibi ipsi contrarius, est perniciosus toti generi humano, utpote, quantum in se est, tollens a juramento exteriori finem, quare fit, scilicet confirmationem veri: & similiter, quantum ex se est, enervans fidem dandam exteriori juramento, & illudens testimonio divino. *Deus autem non irridetur: nam quæ seminaverit homo, hæc est metet*, ut dicit Apost. Unde Eccles. 23. dicitur. *Si frustraverit* (id est deceperit) *fratrem, delictum ipsius supra ipsum erit. Et, si dissimulaverit* (quasi per simulationem jurando) *delinquit dupliciter*: (quia scilicet) *simulata æquitas est duplex iniquitas: & si in vacuum juraverit, non justificabitur*. Aliud autem est de illo, qui vovet sine animo vovendi, quia votum soli Deo fit, qui non attendit sonum verborum, sed intentionem loquentis, ut dicit Gregor.

Sciendum IV. Quod qui jurat, se non facturum aliquod bonum, quod facere non tenetur, puta, se non ingressurum religionem, peccat solum venialiter (nisi forte adeo pertinaciter juraret, ut etiam in articulo necessitatis juraret, se non facturum; nam procul dubio peccaret mortaliter sic jurando, ut in cap. Archidiaconum, dist. 85. de illo dicitur, qui juravit, se numquam fore Episcopum. Hoc enim est contra debitum obedientiæ, & charitatis, quod necessitatis, non supererogationis est.) Et quod non peccet, nisi venialiter, patet ex hoc, quod si quis jurat, committere peccatum veniale, puta dicere verbum otiosum, nonnisi venialiter peccat sic jurando; & tamen constat, quod multo plus obicem ponit Spiritui Sancto, qui jurat peccare venialiter, quam non facere bonum, ad quod non tenetur: quia plus repugnat gratiæ firmitas ad faciendum malum, quam ad non faciendum bonum, quantumcumque magnum, supererogationis, Unde colliges, quod jurans, se facturum aliquod grave peccatum, peccat mortaliter; deficit enim juramento justitia in re gravi: sicuti peccat venialiter, qui jurat, se facturum aliquod peccatum veniale. Confirmare enim se in peccato gravi, grave peccatum obstinationis est, quod est peccatum in Spiritum Sanctum: sicuti confirmare voluntatem in peccato levi, veniale peccatum obstinationis est valde disponens ad mortale.

Sciendum V. Quod in quacumque materia, si verba sunt falsa, tale juramentum est peccatum mortale, quia ibi est mendacium juramento firmatum, ubi est falsæ vocis significatio cum intentione fallendi juramento firmata. Unde 22. q. 2.

cap. in dolo, dicit August. *In dolo jurat, qui aliter facturus est, quam promittit.* Nec excusatur propter implicitam restrictionem in mente conceptam: quia hujusmodi subanditio non excusat, quin sit falsa vocis significatio cum intentione fallendi illum, ut intelligat sibi promitti, quod iste non promittere intendit. Quare damnata fuit ab Innoc. XI. hæc prop. 26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Et quia ubicumque deficit animus jurandi, sive promittendi, aut observandi, aut se obligandi in juramento promissorio, intervenit mendacium, ideo semper est mortale: sicut qui animo non colendi, sed solo actu exteriori coleret idola, peccaret mortaliter, quia actum exterioris cultus applicaret, cui non debet; ita in proposito actum exterioris juramenti, qui est cultus latriæ, applicaret materiæ contrariæ, scilicet mendacio. Est enim hoc Deo irreverentiam exhibere coram hominibus, quibus mendacium manifestum fieri debet in non observando promissum. Vide propos.28. damnatam ab Innoc. XI.

Sciendum VI. Quod, si in juramento non interveniunt verba falsa, sed plures sensus habentia, & in uno vera, & alio falsa, & a jurante intenduntur in sensu, quo sunt vera, etiamsi non sit in judicio, aut materia præjudiciali, adhuc cum peccato mortali sit tale juramentum, quia evacuatur finis juramenti; fit enim cum intentione fallendi, seu ut audiens fallatur, quod est contra finem juramenti, quod ordinatur ad confirmandam veritatem, quam loquens imprimere intendit in mente auditoris. Unde licet in tali casu juramentum non sit perniciosum, nec mendax ex parte materiæ, quia fit sine præjudicio proximi, ut supponitur, & in sensu aliquo vero, intento a loquente, verba proferantur; tamen ex parte formæ, seu ipsius jurationis, juramentum perniciosum est ex natura sua generi humano, & fallax, seu mendax: quia per actum externum jurandi intendit confirmare audientem in illo sensu, in quo per actum internum non intendit illum confirmare, sed illudere. Unde damnata fuit ab Innoc. XI. hæc prop. 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Quare Isidor. dicit lib. 2. de sum. bono cap. 31. *Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Et quod hoc intelligatur de juramento doloso, non autem de mendaci, patet per id, quod subdit: *dupliciter reus fit, qui & nomen Domini in vanum assumit, & proximum dolo capit.*

CAPUT X.

De prava jurandi Consuetudine.

Denique considerandum est de prava jurandi consuetudine, & pari ratione de qualibet alia consuetudine peccandi. Circa quod

Sciendum I. Quod si prava jurandi consuetudo inducat ad frequenter jurandum, sed cum advertentia, & cautela, ut non juretur falsum, non constituit hominem in statu peccati mortalis: quia ex solis peccatis venialibus generatur, & solum proxime inclinat ad venialia peccata. Idem dicendum est, si cum tali consuetudine conjungatur prava consuetudo mentiendi absque juramento: quia non inducit per se periculum proximum pejerandi: quamvis per accidens, seu præter intentionem in aliquo raro casu falsum juretur, uti notant Suarez, & Salmanticenses. Qui vero habet pravam consuetudinem jurandi falsum, vel jurandi sine cautela, an sit verum, vel falsum, quod jurat, est in statu peccati mortalis: & toties peccat mortaliter, quoties advertit ad pravam hanc consuetudinem, quam habet, & periculum proximum pejerandi, quod per se inducit, & illam negligit totis viribus extirpare, uti sentiunt communiter Doctores.

Sciendum II. Quod prædicta consuetudo, seu habitualis dispositio falsum jurandi,

di, evadit involuntaria, quando quis de præteritis peccatis efficaciter dolet, firmiterque proponit emendam, & totis viribus conatur auferre externas occaſiones illum ſolitas inducere ad pejerandum: quia hoc ipſo efficaciter conatur pravam conſuetudinem extirpare. Unde, perſeverante hujuſmodi bona diſpoſitione voluntatis, perjuria, in quæ interim prorumpit præter intentionem, & inadvertenter ex prava conſuetudine jam contracta, ei non imputantur, ſeu non habent rationem culpæ, & peccati formalis, quia nullo modo ſunt voluntaria, nec in ſe, nec in ſua cauſa. Licet enim conſuetudo, quæ fuit voluntarie contracta, remaneat ſecundum quod eſt inclinatio in malum; non tamen remanet negligentia, ratione cujus prava illa conſuetudo habebat rationem culpæ, uti de ignorantia, quæ eſt altera cauſa intrinſeca peccati, docet Sanct. Thomas 1. 2. quæſt. 76. artic. 2. ad 4. Hæc certa ſunt apud omnes.

Sciendum III. Quod controverſia ſolum eſt apud Doctores, an perjuria, quæ abſque ulla advertentia ſæpius proferuntur ex conſuetudine efficaciter non retractata ab habente pravum habitum falſum jurandi, ſint formaliter peccata, & per conſequens diſtincte a ſua cauſa explicanda in Confeſſione Sacramentali. Negant communiter Probabiliſtæ, qui tamen in duas claſſes dividuntur, uti videre eſt apud Salmanticenſes in tractatu de Juramento. Multi ergo ex illis docent, quod hujuſmodi perjuria inadvertenter prolata ſunt ſolum voluntaria in ſua cauſa, & per conſequens ſunt formaliter peccata in ſua cauſa, id eſt, in negligentia ſæpius adhibita in extirpanda conſuetudine pejerandi: in ſe ipſis autem non ſunt formaliter peccata, cum non ſint voluntaria, utpote quæ proferuntur abſque deliberatione rationis, ſed ſunt effectus peccati. Unde neceſſe non eſt illa diſtincte, & explicite confiteri, ſed ſufficit confiteri illorum cauſam, id eſt, negligentiam ſæpius adhibitam in extirpanda prava conſuetudine. Ita Vaſquez, Leand. Covar. &c. Nec habent rationem culpæ ex hoc, quod fierent etiamſi adverterentur, dummodo actu non advertantur. Quia Deus (inquit D. Auguſtinus contra Semipelagianos) non imputat nobis, quod facere-mus, ſi hoc, vel illud occurreret; ſed quod actu facimus.

Sciendum IV. Quod plures alii Probabiliſtæ diſtinguunt, dicentes: Si habens pravam conſuetudinem non retractatam, advertat ſe jurare, etiam ſi non advertat, an falſum juret, neque ad malitiam perjurii, peccat formaliter, quia habet poteſtatem proximam, & debitum advertendi: & per conſequens tenetur diſtincte confiteri omnia perjuria, in quæ ex ſua negligentia culpabiliter prolapſus eſt. Si vero omnino abſtractus, puta quia ebrius, aut nullo modo advertens an juret, ſæpius ex conſuetudine juret falſum, in tali caſu perjuria non ſunt peccata formaliter, cum non ſint voluntaria, nec in ſe, cum non procedant a voluntate deliberata: nec in ſua cauſa proxima, quæ in caſu non eſt conſuetudo, ſed oblivio naturalis, aut motus repentinus paſſionis, quæ adimunt poteſtatem proximam advertendi, & reſiſtendi habitui pravo. Judicium autem actus non fit ex cauſis remotis, ſed proximis. Et ideo habens conſuetudinem pejerandi, non tenetur hujuſmodi perjuria confiteri, ſed ſufficit, quod confiteatur negligentiam toties adhibitam in extirpanda prava conſuetudine pejerandi. Ita Suarez, Valentia, Pradus, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes.

Sciendum V. Quod prædictæ opiniones habent pro fundamento illud principium commune apud Probabiliſtas, ſcilicet, quod ad peccatum formale, ſeu imputabile voluntati, requiritur actualis advertentia ad malitiam actus, aut ſaltem ad actum malum. Quod principium eſſe falſum, imo erroneum, ſatis conſtat ex dictis in prima parte, tractatu primo, & amplius manifeſtum fiet ex infra dicendis. Quare, illis relictis, dicendum eſt ex doctrina, quam tradit D. Thomas 2. 2. quæſt. 154. art. 5. in corp. Quod perjuria prolata abſque ulla actuali advertentia ab habente conſuetudinem pejerandi non retractatam per veram pœnitentiam, ſive hæc inadvertentia proveniat ab oblivione naturali, ſive a motu repentino paſſionis, ſive a quacumque alia cauſa, quæ nata ſit cauſare involuntarium ſimpliciter, poſſunt conſiderari dupliciter. Uno modo ſecundum ſe, & hoc modo non habent rationem peccati. Omne enim pec-

peccatum dependet ex judicio rationis: & ideo, sublato judicio rationis, tollitur ratio peccati. Alio modo possunt considerari per comparationem ad suam causam, quæ est consuetudo, & sic habent rationem culpæ ex sua causa, hoc est, de facto imputantur voluntati, quasi ab ipsa existentia. Ad cujus evidentiam

Sciendum VI. Ex D. Thoma I. 2. qu.6. art.3. in corp. Quod voluntarium dicitur, quod est a voluntate: ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter. Uno modo directe, quod scilicet procedit ab aliquo, in quantum est agens, sicut calefactio a calore. Alio modo indirecte ex hoc ipso, quod non agit, sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum deficit a gubernando. Sed sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur, sicut in causam, in agens, ex eo, quod non agit, sed solum tunc cum potest, & debet agere. Si enim gubernator non posset navim dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio. Quia igitur voluntas volendo, & agendo, id est, retractando per veram pœnitentiam præteritorum delictorum pravam consuetudinem, & conando efficaciter ad illam extirpandam, potest, & debet impedire, ne lingua inadvertenter prorumpat in perjuria: si hoc negligit, etiam absque advertentia rationis, & deliberatione voluntatis, prolata perjuria imputantur ei, quasi ab ipsa existentia, & per consequens est in eis ex sua causa ratio culpæ, seu formale peccati. Quod ut magis innotescat,

Sciendum VII. Ex Doctrina D. Thomæ I. 2. quæst.20. art.I. quod perjuria a consuetudinario prolata absque ulla actuali advertentia, & deliberatione, possunt considerari dupliciter. Uno modo in ordine intentionis, in quantum indirecte sunt intenta in sua causa, & secundum hoc non sunt effectus, sed circumstantiæ objecti dantis speciem peccato negligentiæ, quæ adhibetur in detestanda, & extirpanda prava consuetudine, & tali peccato addunt malitiam sui generis, quæ est diversæ speciei a malitia negligentiæ, & per consequens talis malitia necessario explicanda est in confessione simul cum malitia ipsius negligentiæ. Alio modo possunt considerari in ordine executionis, & sic sunt effectus, seu sequela peccati prædictæ negligentiæ habentis illam duplicem malitiam specie distinctam; & secundum hoc, licet addant ad pœnam, tamen nihil addunt ad rationem culpæ, quæ est in causa: sed potius ab ipsa causa participant rationem culpæ, tanquam consummatio exterior peccati interioris consistentis in prædicta negligentia, & defectu. Et ideo, sicut peccata exteriora directe volita distincte confitenda sunt, & non sufficit confiteri solam voluntatem peccandi, quæ est causa illorum: ita necesse est confiteri distincte perjuria, & alia exteriora peccata, quæ sunt indirecte volita, & non sufficit confiteri causam illorum, id est negligentiam toties adhibitam in non detestanda, & extirpanda prava consuetudine.

Sciendum VIII. Ex Div. Thoma I. 2. quæst. 20. art. 5. & quæst.73. art.8. Quod effectus peccati quando indirecte in sua causa sunt intenti, voluntati imputantur, quasi ab ipsa existentes, & ideo ex sua causa habent in se rationem culpæ, seu peccati formalis; licet secundum se, & nullo habitu respectu ad suam causam, rationem culpæ, seu peccati formalis non habeant. Judicium autem de actibus, an sint voluntarii, datur de illis in singulari, seu prout sunt a parte rei, non autem prout in ratione existunt, & præcisive, seu in abstracto. Socrates enim, secundum quod est homo, non habet, quod sit albus, aut niger; sed de facto, & in singulari, aut albus est, aut niger. Ex quocumque ergo capite actus sint voluntarii, sive ex se, sive ex suis causis, voluntati de facto imputantur, & habent rationem formalem peccati, aut virtutis, meriti, aut demeriti. Nec obstat authoritas Augustini. Sanctus enim Doctor loquitur de futuris conditionatis, quæ utique nobis a Deo non imputantur, cum de facto a voluntate nullo modo procedant: nos autem loquimur de peccatis, quæ de facto a voluntate indirecte procedunt, quæ utique voluntati imputantur a Deo, & hominibus. Ex his autem patet responsio ad fundamentum primæ opinionis supra relatæ.

Sciendum IX. Quod nec etiam ad voluntarium directum requiritur potestas proxima advertendi ad malitiam actus. Ignorans

rans enim malitiam fornicationis, v. gr. quia credit illam non esse peccatum, quomodo potest ad illam advertere? & tamen non excusatur a peccato formali, si fornicetur, etiamsi non fornicaturus si sciret esse peccatum: & hoc, quia Ignorantia, quæ est causa fornicandi, culpa non caret. Ergo a fortiori in voluntario indirecto, licet non detur potestas proxima advertendi nec malitiam, nec actum; tamen voluntas a peccato formali non excusatur eo ipso, quod libere causam mali actus eradicare neglexit, dum potuit, & debuit. Nec inadvertentia actualis, a quacumque causa proveniat, est causa proxima, & per se movens consuetudinarium ad perjuria, aut alia peccata patranda; sed est solum causa per accidens, seu removens actum rationis potentis prohibere peccata, quo sublato, consuetudo per modum naturæ proxime movet habentem pravum habitum ad pejerandum, aut blasphemandum, aut aliud peccatum patrandum, cujus signum est, quod non habens pravum habitum, nec etiam in alienatione mentis peccabit. Unde patet responsio ad fundamentum secundæ opinionis. Concludamus ergo cum illo Eccles. 23. *Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.*

TRACTATUS SEPTIMUS.

De his, quæ pertinent ad statum Episcoporum.

Consequenter considerandum est de statibus perfectionis in speciali. Et primo de his, quæ pertinent ad statum Episcoporum. Secundo de his, quæ pertinent ad statum Religiosorum. Tertio de his, quæ pertinent ad statum Clericorum. Circa vero statum Episcoporum tria consideranda sunt. Primo de his, quæ antecedenter se habent ad hunc statum. Secundo de his, quæ statum hunc comitantur. Tertio de his, quæ statum hunc consequuntur. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Utrum liceat Episcopatum appetere.
S. Thom. 2.2. quæst. 185. art. 1.

August. dicit 19. de Civit. Dei cap. 19. *Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod in Episcopatu tria possunt considerari, quorum unum est principale, & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, secundum illud Joan. ult. *Pasce oves meas.* Aliud autem est altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur, secundum illud Matth. 25. *Fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam.* Tertium autem est, quod consequenter se habet ad ista, scilicet reverentia, & honor, & sufficientia temporalium, secundum illud 1. ad Tim. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur.* Appetere ergo Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum, manifestum est, quod est illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit Matth. 25. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum. Unde Dominus arguit discipulos Matth. 20. primatum quærentes.

Sciendum II. Quod appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile, & virtuosum. Verum, quia, prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliis præesse appetat ad hoc, quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente: sicut Gregor. dicit in pastor. 1. c. 8. quod *Tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia graviora pervenire.* Unde non de facili inveniebatur, qui hoc onus assumeret, præsertim cum aliquis charitatis zelo divinitus ad hoc incitatur, sicut Gregor. dicit in Pastor. 1. c. 7. *Isaias*

prodesse proximis cupiens, laudabiliter officium prædicationis appetit. Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda: ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Unde Chrysost. dicit homil. 35. in Matth. *Opus quidem desiderare bonum, bonum est: primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret*. Quapropter

Sciendum III. Quod, sicut Aug. dicit 19. de Civit. Dei, c. 19. *Apostolus dicens: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen operis est, non honoris; ut intelligat, non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse*. Et parum ante præmittit: *In actione enim non amandus est honor in hac vita, nec potentia: quoniam omnia vana sunt sub sole, sed opus ipsum, quod per eundem honorem, vel potentiam fit*. Greg. autem dicit in Pastor. 1. c. 8. *Illo tempore hoc dixit Apostolus, quo ille, qui plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur*. Et sic nihil aliud erat, quod in Episcopatu appeti posset, nisi bonum opus. Et tamen, ut Gregor. ibid. dicit: *Apostolus laudans desiderium* (scilicet boni operis) *in pavorem vertit protinus, quod laudavit, cum subjungit; Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse, quasi dicat: Laudo, quod quæritis, sed prius discite, quid quæratis*. Unde

Sciendum IV. Quod ad statum Episcopalem præexigitur vitæ perfectio, ut patet per hoc, quod Dominus a Petro quæsivit, si plus cæteris eum diligeret, antequam ei committeret pastorale officium. Et hujus ratio est, quia secundum Dion. c. 6. Eccles. hier. perfectio pertinet ad Episcopum, sicut ad perfectorem: requiritur autem, quod sit perfectus aliquis ad hoc, quod possit alios ad perfectionem adducere. Est autem præsumptuosum, quod aliquis perfectum se reputet. Ille etiam, qui transit ad statum Episcopalem, sublimatur ad hoc, quod aliis provideat, & hanc sublimationem nullus debet sibi assumere, secundum illud ad Hebr. 5. *Neque quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo*. Et Chrysost. dicit hom. 35. in Matth. *Primatum Ecclesiæ concupiscere, neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens vult ultro se subjicere servituti, & periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia, nisi forte, qui non timet Dei judicium, abutens primatu Ecclesiastico seculariter, ut scilicet convertat ipsum in secularem?*

Sciendum V. Quod dispensatio spiritualium non est facienda secundum arbitrium cujuscumque, sed principaliter quidem secundum arbitrium, & dispositionem Dei: secundario autem secundum arbitrium superiorum prælatorum, ex quorum persona dicitur 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Et ideo non intelligitur ille abscondere spiritualia, cui non competit ex officio, nec ei a superiore injungitur, si ab aliorum correctione, aut gubernatione desistat: sed solum tunc intelligitur abscondere, si dispensationem negligat, cum ei ex officio incumbit: vel si officium, cum ei injungitur, pertinaciter recipere renuat. Unde August. dicit 19. de Civit. Dei c. 19. *Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem*. Non autem quærenda, nisi quis ex divina revelatione ad id destinatum se, & electum agnoscat. Unde Greg. dicit in pastor. 1. c. 7. *Isaias, qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit, ne non purgatus adire quisque ministeria audeat*. Quia ergo valde difficile est, purgatum se quemquam posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinabit.

Sciendum VI. Quod sufficientia temporalium, honor, & reverentia consequenter se habent ad altitudinem gradus, & ad Episcopalem operationem, sunt enim media necessaria ad hunc finem, scilicet operationis, & gubernationis: & ideo, qui jam est Episcopus, potest licite hæc velle, imo & exigere, tanquam suo muneri debita ex justitia: & similiter Clericus potest licite appetere, & quærere beneficium congruum suæ sustentationi. Sunt enim beneficia Ecclesiastica instituta ad sustentandos

dos Clericos, unde nulla inordinatio eſt in hoc, quod appetat, aut quærat beneficium propter finem, ad quem eſt inſtitutum. Sed ſtatus Epiſcopalis, aut Clericalis, non eſt inſtitutus propter divitias, aut propter honorem, & reverentiam; & ideo inordinate agit, qui appetit Epiſcopatum aut ſtatum Clericalem propter ſufficientiam temporalium, aut honorem, vel reverentiam: &, ſi quidem ſufficientia temporalium, aut honor ſit ratio movens, ſeu finis motivus appetendi Epiſcopatum, aut Clericatum, erit inordinatio gravis, ſit enim gravis injuria rebus ſpiritualibus ordinando illas ad bona temporalia, ut in finem. Si vero bona temporalia appetantur non ut ratio appetendi ſpirituale, ſed concomitanter ad illud, ſcilicet ut finis terminativus, ſeu impulſivus, non vero, ut finis principalis, ſeu motivus, erit inordinatio levis, cum bona temporalia, utpote ſolum utilia ad finem, non ſint per ſe appetenda ullo modo, ſeu illis non poſſit licite ullo modo convenire ratio finis, ſed ſolum medii, ſicuti bene notat Cajet. in præſenti.

CAPUT II.

Utrum liceat Epiſcopatum injunctum omnino recuſare. 2. 2. quæſt. 185. ar. 2.

Auguſt. dicit ad Eudoſium, Epiſt. 81. *Si quam operam veſtram mater Eccleſia deſideraverit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis: neque otium veſtrum neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis.* Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod in aſſumptione Epiſcopatus duo ſunt conſideranda. Primo quidem, quid deceat hominem appetere ſecundum propriam voluntatem. Secundo, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem convenit homini principaliter inſiſtere propriæ ſaluti: ſed, quod aliorum ſaluti intendat, hoc convenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem habentis, ut ex dictis in cap. ant. patet. Unde, ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur: ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino contra Superioris injunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuſet propter duo. Primo quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati ſe aliquis debet exponere pro loco, & tempore. Unde Aug. dicit 19. de Civit. Dei, c. 19. *Negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis*. Secundo, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis ſuperiorum mandatis ſe ſubjicit. Unde Greg. dicit in Paſt. 1. c. 6. *Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cum ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt.*

Sciendum II. Quod quamvis, ſimpliciter, & abſolute loquendo, vita contemplativa potior ſit, quam activa, & amor Dei, quam dilectio proximi; tamen ex alia parte bonum multitudinis præferendum eſt bono unius. Unde Aug. dicit in verbis præmiſſis: *Neque otium veſtrum neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis*. Præſertim, quia hoc ipſum ad dilectionem Dei pertinet, quod aliquis ovibus Chriſti curam paſtoralem impendat. Unde ſuper illud Joan. ult. *Paſce oves meas;* dicit Auguſt. tract. 113. *Sit amoris officium paſcere dominicum gregem: ſicut fuit timoris indicium negare paſtorem*. Similiter etiam prælati non ſic transferuntur ad vitam activam, ut contemplativam deſerant. Unde Auguſt. dicit 19. de Civit. Dei, c. 10. *Si imponatur ſarcina paſtoralis officii, nec ſic deſerenda eſt delectatio veritatis*, quæ ſcilicet in contemplatione habetur.

Sciendum III. Quod nullus tenetur obedire prælato ad aliquod illicitum, ſicut patet ex his, quæ in 2. part. dicta ſunt de obedientia. Poteſt ergo contingere, quod ille, cui injungitur prælationis officium, in ſe aliquid ſentiat, propter quod non liceat ei prælationem accipere. Hoc autem impedimentum quandoque quidem removeri poteſt per ipſummet, cui paſtoralis cura injungitur (puta, ſi habeat peccandi propoſitum, quod poteſt deſerere:) & propter hoc non excuſatur, quin finaliter teneatur obedire prælato injungenti. Quandoque vero impedimentum, ex quo ſit ei illicitum paſtorale officium, non poteſt ipſe removere, ſed prælatus, qui injungit (puta; ſi ſit irregularis, vel excommunicatus) & tunc debet defectum

ſuum

ſuum prælato injungenti oſtendere, qui, ſi impedimentum removere voluerit, tenetur humiliter obedire. Quandoque vero non poteſt removeri impedimentum, nec per injungentem, nec per eum, cui injungitur, ſicut ſi Archiepiſcopus non poſſit ſuper irregularitate diſpenſare. Unde ſubditus non tenetur ei obedire ad ſuſcipiendum Epiſcopatum, vel etiam ſacros Ordines, ſi ſit irregularis. Quæ doctrina valde notanda eſt a religioſis quando prælatus præcipit aliquid contra regulam, in qua poteſt diſpenſare: tunc enim tenentur obedire, ſecus non.

Sciendum IV. Quod accipere Epiſcopatum non eſt de ſe neceſſarium ad ſalutem, ſed ſit neceſſarium ex ſuperioris præcepto. His autem, quæ ſic ſunt neceſſaria ad ſalutem, poteſt aliquis impedimentum licite apponere, antequam fiat præceptum: alioquin non liceret alicui tranſire ad ſecundas nuptias, ne per hoc impediretur a ſuſceptione Epiſcopatus, vel ſacri Ordinis: non autem hoc liceret in his, quæ per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis. Qui ergo votum emittit de non ſuſcipiendo Epiſcopatum, & de non conſentiendo in ſui electionem, ſi per hoc intendat ſe obligare ad hoc, quod neque per obedientiam ſuperioris prælati coactus accipiat, illicite vovet. Si autem intendit ad hoc ſe obligare, ut quantum eſt de ſe, Epiſcopatum non quærat, nec ſuſcipiat, niſi imminente neceſſitate obedientiæ, licitum eſt votum: quia vovet, ſe facturum id, quod hominem facere decet. Et hoc pacto emittitur votum ſolemne non quærendi, & non acceptandi extra religionem prælationem aliquam, vel dignitatem in noſtro Ordine Clericorum Regularium Minorum; & ideo apponitur in emiſſione hujuſmodi voti a noſtris Clericis illa clauſula, *Nec conſenſurum in mei electionem, niſi coactus auctoritate Summi Pontificis*. Ubi notandum, quod ex vi talis voti religioſus electus ad Epiſcopatum, tenetur, quantum in ſe eſt, non acceptare, quia ad hoc ſe ſponte obligavit per votum: non autem tenetur votum Papæ manifeſtare, quia ad hoc non ſe obligavit per votum; quod votum, utpote conditionatum, non indiget diſpenſatione, ſed ſolum purificatione conditionis, ſcilicet coactione obedientiæ, qua poſita, habens votum obedire tenetur. Perfecti tamen animi erit, & ab omni ambitione alieni ſignum, tale votum manifeſtare ſub ſpe, quod, illo cognito, Pontifex non cogat ad acceptandum.

CAPUT III.

Utrum oporteat eum, qui ad Epiſcopatum aſſumitur, eſſe cæteris meliorem.
2.2. qu. 185. ar. 3.

IN Decret. lib. 2. tit. 6. cap. Cum in cunctis, dicitur: *Sufficit eligere bonum, neque oportet eligere meliorem*. E contrario in Trident. ſeſſ. 24. c. 18. dicitur, *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent*. Circa quæ verba damnata fuit ab Innoc. XI. prop. 47. male exponens ſenſum Concilii. Quomodo autem iſta duo concordent, nec oportet eligere meliorem, & oportet eligere digniorem, examinandum eſt in præſenti. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod circa aſſumptionem alicujus ad Epiſcopatum aliquid conſiderandum eſt ex parte ejus, qui aſſumitur, & aliquid ex parte ejus, qui aſſumit. Ex parte enim ejus, qui aſſumit, vel eligendo, vel providendo, requiritur, quod talem eligat, qui fideliter divina myſteria diſpenſet, quæ quidem diſpenſari debent ad utilitatem Eccleſiæ, ſecundum illud 1. ad Cor. 14. *Ad ædificationem Eccleſiæ quærite, ut abundetis*. Non autem divina myſteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro. Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo providere, non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacifice gubernare. Unde contra quoſdam Hieron. dicit ſuper illud 1. ad Tit. *Et conſtituas per civitates presbyteros*, quod *Quidam non quærunt eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos plus ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, &, ut deteriora taceam*,

qui

qui, ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarum, quæ in talibus eſt grave peccatum. Ex parte autem ejus, qui aſſumitur, non requiritur, quod reputet ſe aliis meliorem, hoc enim eſſet ſuperbum, & præſumptuoſum, ſed ſufficit, quod nihil in ſe inveniat, per quod illicitum ei reddatur aſſumere prælationis officium. Unde

Sciendum II. Quod Dominus in Petro ſciebat ex ſuo munere eſſe idoneitatem, etiam quantum ad alia, gubernandi Eccleſiam: & ideo eum de ampliori dilectione examinavit, ad oſtendendum, quod, ubi alias invenitur homo idoneus ad Eccleſiæ regimen, præcipue attendi debet in ipſo eminentia divinæ dilectionis. Petrus autem interrogatus, an Dominum plus cæteris diligeret, in ſua reſponſione non ſe prætulit cæteris, ſed ſimpliciter reſpondit, quod Chriſtum amaret. Debet tamen ad hoc intendere, qui in dignitate Epiſcopali conſtitutus eſt, ut talem ſe exhibeat, ut cæteris & ſcientia, & ſanctitate præcellat. Unde Symmachus Papa dicit, & habetur 1. q. 1. cap. *Viliſſimus computandus eſt, niſi ſcientia, & ſanctitate præcellat, qui eſt dignitate præſtantior*. Et Gregor. in Paſtor. 2. c. 1. dicit: *Tantum debet actionem populi actio tranſcendere præſulis, quantum diſtare ſolet a grege vita paſtoris*. Non autem ſibi imputandum eſt, ſi ante prælationem excellentior non fuit, ut ex hoc debeat viliſſimus reputari.

Sciendum III. Quod, ſicut dicitur 1. ad Cor. 12. *Diviſiones gratiarum, & miniſtrationum, & opitulationum ſunt*. Unde nihil prohibet, aliquem eſſe magis idoneum ad officium regiminis, qui tamen non excellit in gratia ſanctitatis. Secus autem eſt in regimine naturalis ordinis, in quo id, quod eſt ſuperius ordine naturæ, ex hoc ipſo habet majorem idoneitatem ad hoc, quod inferiora diſponat. Attendenda eſt igitur idoneitas, tanquam cauſa principalis in diſpenſatione miniſteriorum, ut ſcilicet eligendus ſit magis idoneus ad officium regiminis. Quod, ſi etiam aliæ qualitates, puta, potentia, conſanguinitas, & alia hujuſmodi coadjuvent idoneitatem, ſcilicet ad pacifice, & magis fideliter gubernandam Eccleſiam, non erit vitium acceptationis perſonarum illas etiam attendere. Si autem non coadjuvent idoneitatem, erit acceptatio perſonarum, quia in diſpenſatione non attenditur cauſa debita diſpenſationis, ſed perſona.

Sciendum IV. Quod in diſtributione Eccleſiaſtici regiminis non debet attendi principaliter remuneratio, ſive meriti apud Deum ex charitate provenientis, quod a Deo remunerationem expectat: ſive meriti apud Eccleſiam ratione ſervitiorum, aut quorumcumque beneficiorum, quæ illi præſtita ſunt, adeoque ab Eccleſia remunerationem expectant: quia, ut dictum eſt, divina miniſteria non ſunt ordinata ad remunerationem meritorum, ſed ad utilitatem, ſeu regimen Eccleſiæ. Hoc autem non obſtat, quin Prælati poſſint, & debeant ſecundario penſare Eccleſiaſtica ſervitia, ſive beneficia præſtita Eccleſiæ; non tamen adeo, quod propter remunerationem poſtponatur magis idoneus ad Eccleſiaſticum regimen. Sed, cæteris paribus circa idoneitatem, poteſt, & debet illum præferre, qui eſt magis benemeritus de Eccleſia: ſicuti, cæteris paribus circa idoneitatem, debet illum præferre, qui eſt majoris meriti apud Deum. Hoc enim recta ratio dictat, & jura clamant, quod Clerici benemeriti de Eccleſia, debent ab Eccleſia remunerari Eccleſiaſticis beneficiis, quæ conſtat pertinere ad divina miniſteria, propter quæ inſtituta ſunt. Et ideo patet, quod non oportet ſemper eligere meliorem, ſed digniorem, ſeu magis idoneum, & Eccleſiæ magis utilem ad illam regendam, & gubernandam, ut dicit Trident. Qua de re vide S. Thom. Quodl. 8. art. 6.

CAPUT IV.

Utrum Epiſcopus poſſit curam Paſtoralem deſerere, ut ad religionem ſe transferat.
2. 2. q. 185. a. 4.

DEinde conſiderandum eſt de his, quæ ad ſtatum Epiſcoporum concomitanter ſe habent. Et primo, utrum Epiſcopus poſſit ad religionem ſe transferre, relicta Epiſcopali cura. Circa quod

Sciendum I. Quod perfectio Epiſcopalis ſtatus in hoc conſiſtit, quod aliquis ex divina dilectione ſe obligat ad hoc, quod ſaluti proximorum inſiſtat: & ideo tamdiu obli-

obligatur ad hoc, quod curam pastoralem retineat, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem, quam quidem negligere non debet, neque propter divinæ contemplationis quietem, cum Apostolus propter necessitatem subditorum etiam a contemplatione futuræ vitæ se differri patienter toleraret, secundum illud ad Philip. 1. *Ecce, quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus, desiderium habens, dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium est propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo.* Neque propter quæcumque adversa vitanda, vel lucra conquirenda: quia, sicut dicitur Joann. 10. *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis.* Nihilominus

Sciendum II. Quod contingit quandoque, quod Episcopus impeditur procurare subditorum salutem multipliciter. Quandoque quidem propter defectum proprium, vel conscientiæ, sicut, si sit homicida, vel simoniacus; vel etiam corporis, puta, si sit senex, vel infirmus: vel etiam scientiæ, quæ sufficiat ad curam regiminis: vel etiam irregularitatis, puta, si sit bigamus. Quandoque autem propter defectum subditorum, in quibus non potest proficere. Quandoque autem contingit ex parte aliorum, puta, cum de prælatione alicujus personæ scandalum suscitatur, dum tamen scandalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem, aut justitiam Ecclesiæ conculcare. Propter hujusmodi enim scandalum non est cura dimittenda, secundum illud Matth. 15. *Sinite illos* (scilicet, qui scandalizabantur de veritate doctrinæ Christi) *cæci sunt, & duces cæcorum.* Tamen

Sciendum III. Quod oportet, quod sicut curam regiminis assumit aliquis per providentiam superioris Prælati: ita etiam per ejus auctoritatem ex causis prædictis deserat susceptam. Unde Extra. de renunciat. in Decret. lib. 1. tit. 9. c. 10. dicit Innocent. III. *Si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem avolare, ita tamen adstrictæ sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum.* Soli enim Papæ licet dispensare in voto perpetuo, quo quis se ad curam subditorum adstrinxit, Episcopatum suscipiens. Non est autem inconveniens, quod propter impedimentum superveniens potestas Episcopalis remaneat absque actu, seu operatione, ad quam est principaliter, & ex natura sua ordinata. Nam etiam in naturalibus rebus propter impedimentum superveniens potentia remanet absque actu, sicut propter infirmitatem oculi cessat actus visionis.

Sciendum IV. Quod perfectio religiosorum, & Episcoporum propter diversa attenditur. Nam ad perfectionem religionis pertinet studium, quod quis adhibet ad propriam salutem. Ad perfectionem autem Episcopalis status pertinet adhibere studium ad proximorum salutem: & ideo, quamdiu potest esse aliquis utilis proximorum saluti, retrocederet, si ad statum religionis vellet transire, ut solum suæ saluti insisteret, qui se obligavit ad hoc, quod non solum suam salutem, sed etiam aliorum procuraret. Unde Innoc. III. dicit in Decretali prædicta: *Facilius indulgetur, ut Monachus ad præsulatum ascendat, quam præsul ad monachatum descendat.* Sed, si salutem aliorum procurare non possit, conveniens est, ut suæ saluti intendat. Unde de Beato Adalberto Pragensi Episcopo legit Ecclesia: *Beatus Adalbertus Pragensis Episcopus factus, cum cerneret, gregem suum per abrupta vitiorum ire, flens, ac desperans, se posse quicquam facere, relicto Episcopatu, Romam perrexit, ibique Monachus factus est.*

Sciendum V. Quod propter nullum impedimentum debet homo prætermittere studium suæ salutis, quod pertinet ad religionis statum. Potest autem esse aliquod impedimentum procurandæ salutis alienæ: & ideo monachus potest ad statum Episcopatus assumi, in quo etiam suæ salutis curam agere potest. Potest etiam Episcopus, si impedimentum alienæ salutis procurandæ interveniat, ad religionem transire, &, impedimento cessante, potest iterato ad Episcopatum assumi, puta, per correctionem subditorum, vel per sedationem scandali, vel per curationem infirmitatis, aut depulsa ignorantia per instructionem sufficientem: vel etiamsi simoniace sit promotus, eo ignorante, si se ad regularem vitam Episcopatu dimisso transtulerit, poterit iterato ad alium Episcopatum promoveri. Si vero aliquis propter culpam sit ab

Epi-

Episcopatu depositus, & in Monasterium detrusus ad pœnitentiam peragendam, non potest iterato ad Episcopatum revocari; ut dicitur 7. q. 1. c. Hoc nequaquam.

C A P U T V.

Utrum liceat Episcopo propter aliquam persecutionem corporalem deserere gregem sibi commissum. 2.2. quæst. 185. a. 5.

Apostolis, quorum successores sunt Episcopi, mandavit Dominus Matth. 10. *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Ad cujus mandati evidentiam

Sciendum I. Quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem: & ideo ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere. Unde

Sciendum II. Quod Augustinus dicit in Epist. 108. ad Honoratum: *Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisque specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Si enim perniciosum est nautam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus?* ut dicit Nicolaus Papa, & habetur 7. q. 1. c. Scifcitaris. Ille ergo, tanquam mercenarius fugit, qui commodum corporale, vel etiam salutem corporalem spirituali saluti proximorum præponit. Ille autem, qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit, & suæ sponsioni satisfacit, si per alium gregi provideat, quando habet impedimentum, propter quod non possit personaliter curæ subditorum intendere.

Sciendum III. Quod ille, qui ad Episcopatum assumitur, assumit statum perfectionis secundum aliquod perfectionis genus, a quo, si impediatur, ad aliud genus perfectionis non tenetur, ut scilicet necesse sit, eum ad statum religionis transire. Imminet tamen sibi necessitas, ut animum retineat intendendi proximorum saluti, si opportunitas adsit, & necessitas requirat: quia hoc ad statum perfectionis, quem solemniter professus est, essentialiter pertinet. Licet ergo ei propter legitimum impedimentum curam personalem gregis deserere, sed nunquam ei licet, animum, seu intentionem talis curæ deponere. Sicuti religioso non licet in ullo casu deponere animum tendendi ad perfectionem per media congrua suæ professioni, licet aliquoties propter impedimenta de facto non tendat.

Sciendum IV. Quod, sicut constat ex tradita doctrina, status Episcopalis est status perfectionis, generis disparati a statu perfectionis, quem religiosi profitentur: unde in se non includit genus perfectionis ad statum religionis pertinens, sicut religio perfectior includit perfectionem alterius religionis minus perfectæ, utpote quæ est perfectior illa in eodem genere perfectionis. Unde sequitur, quod, qui vovit religionem minus perfectam, satisfacit voto, & meliori modo, ingrediendo religionem magis perfectam: non autem satisfaceret tali voto, assumendo statum Episcopalem, licet sit status magis perfectus, quia est magis perfectus in diverso genere perfectionis. Et ideo, secundum canones, teneretur in tali casu deponere Episcopatum, & religionem ingredi, ut satisfaceret voto. Quod verum non esset, si perfectio status Episcopalis in eodem genere perfectionis includeret perfectionem status religiosi. Status ergo Episcopalis est naturæ perfectivæ universalis, sicut Sol: status autem religionis est naturæ sibi ipsi proficientis, sicut Dion. dicit 4. c. Eccles. hier.

C A-

CAPUT VI.

Utrum Episcopus jure divino obligetur personaliter residere in propria Ecclesia.

DE jure divino ad statum Episcopi pertinet cura pastoralis, juxta illud Joan. ult. *Pasce oves meas*; sed cura pastoralis ex natura sua exigit præsentiam personalem pastoris, quæ sine residentia in propria Ecclesia salvari non potest: ergo videtur, quod residentia Episcopi in propria Ecclesia sit de jure divino. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod munus Episcopale constat divinitus esse institutum ad curam pastoralem, seu ad pascendum gregem Dominicum. Quicumque autem absolute, & simpliciter ex jure, seu præcepto divino tenetur ad aliquem finem, ex eodem jure tenetur ad medium necessarium, per quod pervenitur ad talem finem: medium vero necessarium, per quod cura pastoralis habetur, sunt omnes illæ operationes propriæ veri pastoris, quæ a Deo exprimuntur Ezechiel. 34. scilicet, consolidare infirmum, sanare ægrotum, alligare confractum, reducere abjectum, requirere perditum, & custodire pingue, ac forte. Quæ operationes exercentur ab Episcopo, prædicando verbum Dei, Sacramenta ministrando, præcipue ea, quæ a solo Episcopo ministrari possunt, sæpe visitando gregem suum, & super illum continue vigilando, ac illum custodiendo, & a lupis defendendo, &, si opus est, animam suam exponendo pro ovibus suis. Hæ autem operationes exigunt ex natura sua præsentiam personalem pastoris: quia ad ipsum pertinet cura de ovibus; non autem mercenarii, qui videt lupum, & fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Et ideo manifestum est, quod Episcopus ex jure divino tenetur personaliter residere in propria Ecclesia, & ex vi intrinseca, & essentiali sui muneris, supposita institutione divina.

Sciendum II. Quod consulto dictum est, quod hæ operationes exigunt ex natura sua præsentiam personalem pastoris. Considerandum enim est, quod prædicare verbum Dei, & aliæ operationes propriæ pastoris, supra recensitæ, dupliciter sumi possunt. Uno modo absolute, & secundum se. Alio modo respective, & secundum quod sunt actus pastorales. Certum est, quod si sumantur absolute, & secundum se, possunt exerceri etiam a mercenariis, & fortasse aliquando melius, & cum majori utilitate ovium, quam si exercerentur a proprio pastore: cæterum hoc est per accidens, idest ex parte operantis, habentis zelum Dei, & salutis proximorum: non autem per se, & ex natura operis, quod in quantum procedit a mercenario, non fert secum talem amorem, & obligationem invigilandi supra gregem, & defendendi a lupis, & animam suam exponendi, si opus est, pro illius salute spirituali: & ideo, ut in plurimum fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. In quantum vero supradictæ operationes sunt actus pastorales, per se, & ex natura ipsius operis exigunt dilectionem, & vigilantiam talem supra gregem suum, ut pastor etiam animam suam ponat pro illis, quia ad ipsum pertinet cura de ovibus: & ideo ex natura sua, & ex vi muneris pastoralis exigunt procedere a persona proprii pastoris. Unde super illud: *Pasce oves meas*, August. dicit tract. 133. in Joan. *Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem*. Et ideo Episcopus non satisfacit gravissimæ obligationi sui muneris pastoralis, curam sui gregis per alios exercens.

Sciendum III. Quod obligatio, quam habet Episcopus residendi personaliter in sua Ecclesia, est ex præcepto morali, & juris divini, non præcise ratione solius præsentiæ corporalis: quia præsentia sola, & otiosa inutilis est saluti ovium commissarum. Nec est ratione præcise solius actus curæ, quia hic actus absolute sumptus exerceri potest ab alio, qui non est proprius pastor ovium, ut supra dictum est: sed ratione utriusque conjunctim considerati, scilicet ratione actus curæ pastoralis, qui per se, & ex natura operis, amorem pastoralem exigit, & curam proprii pastoris, non autem mercenarii, ut dictum est. Et ideo Dominus Joan. ult. dicit Petro: *Si diligis me, pasce oves meas*; non autem dicit ei, si diligis me, fac, ut alii pascant oves meas:

meas : quia pascere oves est amoris officium, secundum quod est actus pastoralis, & ab Episcopo procedens: non autem per se, & ex natura sua est amoris officium, secundum quod est exercitus a mercenario, qui, quatenus mercenarius est, pascit oves solum intuitu mercedis, quia non pertinet ad eum de ovibus.

Sciendum IV. Quod abusus est, non consuetudo, tot Episcoporum non residentium in propriis Ecclesiis, sed sequentium curias; nulla enim consuetudo prævalere potest contra jus morale, & divinum tam graviter obligans Episcopos ad curam personalem sui gregis. Sed, quia unusquisque præsumitur pœnitens in fine vitæ suæ, quando cum Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ communione ab hac vita recedit, ideo nihil honoris non residentium tumulis Ecclesia adimit: Coram Deo autem imminet eis illud terribile vaticinium Ezechiel. 34. *Væ pastoribus Israel! quod perierat, non quæsistis, quod abjectum erat, non reduxistis, &c.* Nec hoc videri debet durum ei, qui considerat illud Hieronymi: *Non omnes Episcopi sunt Episcopi*. Et illud Prophetæ: *Dic pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, non gregem &c.* Cæterum, sicut in causis naturalibus accidit, quod cessant ab operatione sibi propria, & connaturali, ratione impedimenti supervenientis: ita etiam in moralibus præceptis, & divinis affirmativis, ratione alicujus impedimenti legitimi Episcopus excusatur a residentia personali in propria Diœcesi, sicut supra dictum est.

CAPUT VII.

De causis excusantibus Episcopum a continuanda residentia in sua Diœcesi.

Sicut ex præcepto juris divini Episcopus obligatur quoad locum, ad residendum personaliter in propria Diœcesi: ita ex eodem præcepto, per se loquendo, tenetur quoad tempus, ad semper residendum in illa. Cura enim pastoralis exigit continuam sollicitudinem, & vigilantiam pastoris supra gregem suum. Utpote tamen præceptum affirmativum, cessat obligare in aliquibus circumstantiis, seu stantibus aliquibus causis, & supervenientibus legitimis impedimentis, ut dictum est. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, quamvis præceptum affirmativum ex natura sua obliget semper, non tamen obligat pro semper, sed pro loco, & tempore, & attentis debitis omnibus circumstantiis. Præceptum autem divinum de residentia personali pastoris spiritualis, scilicet Episcopi, licet affirmativum, ratione tamen materiæ præceptæ, quæ est cura animarum sibi commissarum, exigit & locum determinatum, scilicet propriam Diœcesim, & tempus determinatum, scilicet tam frequens, ut continuum censendum sit. Sed quoniam obligatio ista ad semper residendum, ex parte materiæ est in hoc præcepto particulari affirmativo, & materia ista mutabilitati subjecta est; idcirco contingit absque violatione præcepti, Episcopum non semper residere. Quæcumque enim ita se habent ad hujus præcepti materiam, quod secundum rectæ rationis judicium absolvunt illum a vinculo necessariæ continuitatis, excusant Episcopum ab obligatione residendi pro tunc. Hæc autem ad tres causas reducuntur, scilicet ad necessitatem impedimenti, ad qualitatem negotii, & ad conditionem personæ. Unde

Sciendum II. Quod necessitas impedimenti dupliciter contingit, scilicet vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Si enim extrinseca persecutio vel infidelium, vel Principis Christiani cogit Episcopum exulare, vel recedere, ut contingit B. Joanni Evangelistæ, & S. Thomæ Cantuariensi, licite Episcopus subtrahit præsentiam personalem gregi suo. In hujusmodi autem persecutionibus servanda est universaliter regula supra tradita in cap. 5. distinguendo scilicet, quando expedit Ecclesiæ præsentia personalis Episcopi, etiamsi vita corporalis Episcopi auferenda credatur a tyranno: quoniam bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; &, quando expedit Ecclesiæ, ut vita, vel libertas Episcopi conservetur. Ex Ecclesiæ siquidem bono sumenda est ratio necessitatis præsentiæ, vel absentiæ. Impedimentum autem intrinsecum, proveniens scilicet a corporali infirmitate, absolute loquendo, excusat a residentia, puta, si oporteat mutare aerem ad recuperandam sanitatem, vel esse ad balnea, & hujus-

hujusmodi. In casu autem imminentis periculi Ecclesiæ suæ, cui sua obviaret præsentia, teneretur sustinere ægritudinem, etiam usque ad mortem inclusive, juxta verbum Domini, *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*.

Sciendum III. Quod negotium excusans a residentia, licet multiplex valde sit, ad triplex tamen genus reducitur. Primo ad utilitatem propriæ Ecclesiæ. Secundo ad utilitatem Ecclesiæ universalis. Tertio ad utilitatem alterius Ecclesiæ particularis; ita tamen, ut semper utilitas spiritualis præferatur temporali, & major utilitas spiritualis minori etiam spirituali. Episcopus enim tenetur defendere bona Ecclesiæ sibi commissæ, tam spiritualia, quam temporalia, quando oportet etiam cum absentia personali a sua Diœcesi. Item, quia bonum totius prævalet bono partis, ob utilitatem spiritualem Ecclesiæ universalis, etiam cum aliquo detrimento spirituali propriæ Ecclesiæ, potest ab illa absentari, puta, ad interveniendum Conciliis, ad exercendum officium legati, ad pacem componendam inter Principes: non autem ad temporalia negotia, quæ non exigunt personam Episcopi. Unde non licet Episcopo propriam Ecclesiam deserere ad exercendum Romæ munus Auditoris, vel simile: quia non est hoc servitium universalis Ecclesiæ, nec ad utilitatem spiritualem pertinens. Denique ob grave periculum spirituale alterius Ecclesiæ potest juste absentari, dummodo Ecclesiæ propriæ ex sua absentia non immineat gravius malum spirituale, aut æquale. Charitas enim, qua compaginamur in uno corpore mystico Christi, urget omnia membra ad succurrendum alter alterius gravi necessitati, si fieri potest absque majori, aut æquali detrimento proprio.

Sciendum IV. Quod conditio personæ, excusans Episcopum a personali residentia, est unica; quando scilicet persona talis est, ut melius, aut saltem æque bene pascatur Ecclesia a tali persona absente, quam pasceretur ab alio præsente. Ob hanc rationem sunt sex Episcopi vicini Romanæ Ecclesiæ, habentes Romæ residentiam, quia sunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopi. Ob hanc etiam rationem potest unus plures Ecclesias habere, deficientibus aliis idoneis, & excusaretur a jugi residentia in una. Quod autem hæc, quæ de personali residentia hucusque dicta sunt, ita se habeant, ex ipso etiam jure scripto de Clericis non residentibus, satis patet. Ex regulis etiam Gregorii in Pastorali, quam personalem exigant industriam, & probitatem, patet. Constare quoque potest ex regula supra tradita a D. Thoma in cap. 5. Si enim nec persecutionis quidem tempore licita est absentia pastoris, nisi in casu, quo detrimentum spirituale gregi non immineat; quanto magis illicita erit, & perniciosa absentia pastoris sine rationabili causa, & nulla cogente necessitate? De trimestri autem concesso Episcopis a Trident. sess. 23. c. 1. dicam infra in tract. decimo, cap. undecimo.

CAPUT VIII.

Utrum liceat Episcopo aliquid proprium habere. 2. 2. quæst. 185. a. 6.

Denique considerandum est de consequentibus ad statum Episcopalem. Et primo, utrum liceat Episcopo aliquid proprium habere. Circa quod

Sciendum I. Quod ad ea, quæ sunt supererogationis, nullus tenetur, nisi se specialiter ad illa voto astringat. Unde Aug. dicit in Epist. 45. ad Paulinam, & Armentarium: *Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Prius quam esses voti reus, liberum fuit, quod esses inferior*. Manifestum est autem, quod vivere absque proprio, supererogationis est: non enim cadit sub præcepto, sed sub consilio. Unde Matth. 19. cum dixisset Dominus adolescenti: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; postea superaddendo subdit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Non autem Episcopi in sua ordinatione ad hoc se obligant, ut absque proprio vivant: neque etiam vivere absque proprio ex necessitate requiritur ad pastorale officium, ad quod se obligent: & ideo non tenentur Episcopi ad hoc, quod sine proprio vivant. Unde dicitur 12. q. 1. c. *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant*. Unde

Scien-

Sciendum II. Quod, sicut supra habitum est in tract. 4. perfectio christianæ vitæ non consistit essentialiter in voluntaria paupertate, sed voluntaria paupertas instrumentaliter operatur ad perfectionem vitæ. Unde non oportet, quod, ubi major paupertas est, ibi sit major perfectio: quinimmo potest esse summa perfectio cum magna opulentia. Nam Abraham, cui dictum est Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*, legitur fuisse dives. Ille ergo perfectus esse non potest, cujus studium diminuitur circa ea, quæ sunt Dei, dum intendit his, quæ sunt mundi. Sic autem non debent, nec Episcopi, nec Clerici proprium possidere, ut, dum curant propria, defectum faciant in his, quæ pertinent ad cultum divinum: sed debent cum Apostolo, omnia terrena arbitrare ut stercora, ut Christum lucrifaciant, in quo paupertas spiritus, seu affectus consistit, ratione cujus dicuntur a Domino: *Beati pauperes spiritu* quasi perfectionem jam assequuti.

Sciendum III. Quod verba illa Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*. Sicut August. exponit in lib. 6. de consensu Evang. c. 30. intelligitur, Dominum non præcipiendo, sed magis permittendo Apostolis dixisse. Permisit enim eis, ut absque auro, & argento, & aliis sumptibus ad prædicandum irent, accepturi sumptus vitæ ab his, quibus prædicabant. Unde subdit, *Dignus est enim operarius mercede sua*. Ita tamen hoc permisit, quod, si aliquis propriis sumptibus uteretur in prædicatione Evangelii, ad supererogationem pertineret, sicut Paulus de se ipso dicit 1. ad Cor. 9. Chrysostomus vero exponit illa verba, ut intelligatur, id Dominum præcepisse discipulis, quantum ad illam missionem, qua mittebantur ad prædicandum Judæis, ut per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, qui eis absque sumptibus provideret; ex quo tamen non obligabantur ipsi, vel successores eorum, ut absque propriis sumptibus Evangelium prædicarent. Nam & de Paulo legitur 2. ad Cor. 11. quod ab aliis Ecclesiis stipendium accipiebat ad prædicandum Corinthiis: & sic patet, quod aliquid possidebat ab aliis sibi missum. Stultum autem videtur dicere, quod tot Sancti Pontifices sicut Athanasius, Ambrosius, & Augustinus illa præcepta transgressi fuissent, si ad ea servanda se crederent obligari.

CAPUT IX.

Utrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur. 2. 2. quæst. 185. ar. 7.

Aliter dicendum est de propriis bonis, quæ Episcopi possidere possunt, quorum verum dominium habent: & de bonis Ecclesiasticis, quorum sunt dispensatores, vel procuratores. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod Episcopi propriorum bonorum verum dominium habent: unde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut ea aliis conferant, sed possunt ea, vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. Possunt tamen in eorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, vel quod sibi plura conferant, quam oporteat; vel aliis etiam non subveniant, secundum quod requirit debitum charitatis; non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ. Non autem potest determinari in particulari, quando sit ista necessitas, quæ ad peccatum mortale obliget, sicut nec cætera particularia, quæ in humanis actibus considerantur. Horum enim determinatio relinquitur humanæ prudentiæ: & ideo solum in generali determinatur, quod charitas ad peccatum mortale obligat de superfluis statui providere extremam necessitatem patientibus, secundum ea, quæ in secunda parte dicta sunt in tractat. de Charitate, cap. 11.

Sciendum II. Quod Episcopi bonorum Ecclesiasticorum sunt dispensatores, vel procuratores, ut dicit August. Epist. 50. ad Bonifacium. Sunt enim vota fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, ut dicit Urbanus Papa, & martyr. Ad dispensationem autem requiritur bona fides, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Sunt autem bona Ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum divinum, & necessi-

tates

tates ministrorum expendenda. Unde dicitur 12. q. 2. cap. *De redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, sola Episcopo ex his una portio remittatur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ a presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur, ultima Clericis pro singulorum meritis dividatur.* Non ergo omnia bona Ecclesiastica sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum, vasa cultui divino dicata distrahuntur, ut Ambrof. dicit lib.2. de offic. c.28. & habetur 12. q.1. c. Aurum, & in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset. His suppositis,

Sciendum III. Quod, si distincta sunt bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum, aut in cultum divinum expendenda, non est dubium, quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum, peccet quidem, si immoderate sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Et ideo, si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id est, ut non indigeant, non autem, ut ditiores inde fiant. Unde Ambrof. dicit in lib. 1. de offic. c. 30. & habetur in Decr. dist. 86. cap. *Hæc est approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas, non tamen, ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.*

Sciendum IV. Quod, si bona Ecclesiastica non sint distincta, eorum distributio fidei Episcopi committitur, &, si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere, unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali contra justitiam; unde ad restituendum tenetur. Si tamen, necessitate non imminente providendi pauperibus, de his, quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, ut aliquis in futurum conservet, quod Dominus prohibet Matth. 6. dicens: *Nolite soliciti esse in crastinum.* Unde colliges, quod Episcopi habentes redditus superabundantes ad decentem sustentationem sui status, licet distinctos a præbendis Clericorum, tenentur ex justitia, tanquam fideles dispensatores, erogare superfluos in usus Ecclesiasticos, dividendo illos in duas partes, alteram pauperibus largiendo, & alteram cultui divino, seu fabricis Ecclesiarum applicando, vel de præsenti, si urgeat necessitas, vel futuris necessitatibus sublevandis, reponendo, ut dictum est. Sunt enim bona communia illorum dispensationis credita a fidelibus, nec debent pauperes, & cultus Dei, portione sibi debita fraudari: & idem dicendum de omnibus Clericis redditus superabundantes Ecclesiasticos possidentes; possident enim illos, tanquam dispensatores bonæ fidei; sicuti bene notant Cajet. & Laym. juxta sensum genuinum D. Thomæ. Qua de re vide Trident. sess. 25. cap. 1. de reform. Sed de hac re latius dicam in tract. de beneficiis Ecclesiasticis, cap. 3.

CAPUT X.

Utrum religiosi, qui promoventur in Episcopos, teneantur ad observantias regulares. 2.2. quæst. 185. art.8.

Dicitur in Decr. 16. q. 1. cap. *De monachis, qui diu morantes in monasteriis, si postea ad Clericatus ordines pervenerint, statuimus non debere eos a priori proposito discedere.* Ad cujus canonis intelligentiam

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est,

eſt, ſtatus religionis ad perfectionem pertinet, quaſi quædam via in perfectionem tendendi. Status autem Epiſcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magiſterium. Unde ſtatus religionis comparatur ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem. Diſpoſitio autem non tollitur, perfectione adveniente, niſi forte quantum ad id, in quo perfectioni repugnat. Quantum autem ad id, quod perfectioni congruit, magis confirmatur: ſicut diſcipulo, cum ad magiſterium pervenerit, non congruit, quod ſit auditor, congruit tamen ipſi, quod legat, & meditetur etiam magis, quam ante. Ex quo

Sciendum II. Quod, ſi quæ ſunt in regularibus obſervantiis, quæ non impediant pontificale officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas, & alia hujuſmodi, ad hæc remanet religioſus, etiam factus Epiſcopus, obligatus, & per conſequens ad portandum habitum ſuæ religionis, qui eſt hujus obligationis ſignum. Si quæ vero ſunt in obſervantiis regularibus, quæ officio pontificali repugnant, ſicut eſt ſolitudo, ſilentium, & aliquæ abſtinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium, ad hujuſmodi obſervanda non tenetur. In aliis autem poteſt diſpenſatione uti, ſecundum quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, & conditio hominum, cum quibus vivit, per modum, quo etiam prælati religionum in talibus ſecum diſpenſant. Unde

Sciendum III. Quod id, quod dicitur 18. q. 1. cap. ſtatutum, ſcilicet, *Monachum canonica electio à jugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſolvit, & ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*: non debet intelligi, ſic, quod abſolvitur a jugo monaſticæ profeſſionis quantum ad omnia; ſed quantum ad illa, quæ officio pontificali repugnant, ut dictum eſt, & ſic concordatur iſte canon cum canone ſuperius citato. Et quia cenſuræ, & præcepta appoſita in regula, pertinent ad diſciplinam regularem, & concernunt ſtatum conviventium ſub diſciplina, dedecent autem perfectionem magiſterialem ſtatus Epiſcopalis, ideo religioſus promotus ad talem ſtatum abſolvitur a vinculo præcepti, vel cenſuræ Eccleſiaſticæ ſtatutis regulæ poſitò, tanquam pedagogo. Secus autem eſt de vinculo votorum, & hujuſmodi, quoniam illa non ex ſuperioris regulæ, aut hominis vinculo, ſed ex propria promiſſione Deo facta vim ſuam retinent, ut bene notat Cajet. Tenetur ergo religioſus promotus ad obſervantias regulares, quæ non impediunt pontificale officium, ſed ſolum via directiva, ſeu in conſcientia; non autem via coactiva.

Sciendum IV. Quod vota ſæcularis vitæ ſe habent ad vota religionis, ſicut particulare ad univerſale, ut dictum eſt in tractatu de voto. Sed vota religionis ſe habent ad pontificalem dignitatem, ſicut diſpoſitio ad perfectionem. Particulare autem ſuperfluit habito univerſali, ſed diſpoſitio adhuc neceſſaria eſt, perfectione obtenta: & ideo religioſus non tenetur obſervare vota, quæ in ſæculo fecit: ſed religioſus, qui aſſumitur ad Epiſcopatum, tenetur obſervare vota ſuæ profeſſionis. Per accidens autem eſt, quod obedire prælatis ſuæ religionis non teneatur, quia ſubditus eſſe deſiit, ſicut & ipſi prælati religionum. Proprium autem nullo modo habere poteſt. Non enim paternam hæreditatem vendicare poteſt quaſi propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam, & illi reſtituendam, ut dicitur 18. qu. 1. cap. ſtatutum. Teſtamentum vero nullo modo facere poteſt, quia ſola ei diſpenſatio committitur rerum Eccleſiaſticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit teſtamentum valere, ut Apoſtol. dicit ad Hebr. 9. Si tamen ex conceſſione Papæ teſtamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere teſtamentum, ſed Apoſtolica auctoritate intelligitur eſſe ampliata poteſtas ſuæ diſpenſationis, ut ejus diſpenſatio valere poſſit poſt mortem.



TRACTATUS OCTAVUS.

De his, quæ pertinent ad statum Religionis.

DEinde considerandum est de his, quæ pertinent ad statum Religionis. Circa quod occurrit quadruplex consideratio. Quarum prima est de his, in quibus principaliter consistit religionis status. Secunda de distinctione religionum. Tertia de religionis ingressu. Quarta de his, quæ religiosis convenire possunt, vel non. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Utrum religio importet statum perfectionis. 2. 2. quæst. 186. ar. 1.

DIonys. dicit 6. c. Eccles. hier. *Eos, qui nominantur Dei famuli*, (scilicet monachi, seu religiosi) *ex Dei puro servitio, & famulatu uniri ad amabilem perfectionem*. Sed ea, quæ ad humanos actus pertinent, ab intentione finis speciem, & nomen accipiunt: ergo religiosi pertinent ad statum perfectionis. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod id, quod communiter multis convenit, antonomastice attribuitur ei, cui per excellentiam convenit: sicut nomen fortitudinis vendicat sibi illa virtus, quæ circa difficillima firmitatem animi servat, & temperantiæ nomen vendicat sibi illa virtus, quæ temperat maximas delectationes. Religio autem est quædam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium, & cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Unde Gregor. dicit hom. 20. super Ezech. *Sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant*. In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhæreat, sicut ex supra dictis patet. Et secundum hoc religio perfectionis statum nominat. Unde

Sciendum II. Quod exhibere aliqua ad cultum Dei est de necessitate salutis: sed quod aliquis se totaliter, & sua, divino cultui deputet, ad perfectionem pertinet: hoc autem faciunt religiosi, ut dictum est; & ideo religio nominat perfectionis statum. Considerandum est igitur, quod ad virtutem religionis pertinent non solum oblationes sacrificiorum, & alia hujusmodi, quæ sunt religionis propria, sed etiam actus omnium virtutum, secundum quod referuntur ad Dei servitium, & honorem, efficiuntur actus religionis. Et secundum hoc, si aliquis totam vitam suam divino servitio deputet, tota vita ipsius ad religionem pertinebit: & secundum hoc ex vita religiosa, quam ducunt, religiosi dicuntur, qui sunt in statu perfectionis.

Sciendum III. Quod, sicut dictum est, religio nominat statum perfectionis, non ut formæ, aut effectus, sed ex intentione finis. Unde non oportet, quod quicumque est in religione, jam sit perfectus: sed quod ad perfectionem tendat. Unde super illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse:* dicit Origenes: *Ille, qui mutavit pro divitiis paupertatem, ut fiat perfectus, non in ipso tempore, quo tradiderit bona sua pauperibus, fiet omnino perfectus, sed ex illa die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes*. Et hoc modo in religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes. Ubi nota, quod religio ex intentione finis nominat hunc statum perfectionis, non autem denominat statum. Non enim sufficit ad statum intentio perfectionis, sed requiritur obligatio intendendi hunc finem, scilicet perfectionem, sicut dictum est in tract. 3. cap. I. Quapropter

Sciendum IV. Quod religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectæ charitatis, multo magis excluduntur occasiones peccati, per quod totaliter tollitur charitas. Unde, cum ad pœnitentiam pertineat causas peccatorum excidere, ex consequenti status religionis est convenientissimus pœnitentiæ locus, tanquam eminenter continens virtutem pœnitentiæ, & excellentiori modo præstans effectus ipsius.

Unde

Unde in Decr. 33. quæst. 2. cap. Admonere, consulitur cuidam, qui uxorem occiderat, ut potius monasterium ingrediatur, quod dicitur esse melius, & levius, quam quod pœnitentiam publicam agat, remanendo in sæculo. Et ideo in Decr. 7. q. 1. cap. Hoc nequaquam, vita monastica dicitur pœnitentiæ locus. Locus autem pœnitentiæ repugnat statui perfectionis Episcopalis, cui competit perfectio ut forma, non autem statui intendentium perfectionem, ut est status religionis.

CAPUT II.

Utrum quilibet religiosus teneatur ad omnia consilia. 2.2. quæst. 186. art. 2.

AD ea, quæ sunt supererogationis, non tenetur aliquis, nisi ex propria obligatione: sed non quilibet religiosus obligat se ad omnia, sed ad aliqua determinata, quidam ad hæc, quidam ad illa: non ergo omnes tenentur ad omnia. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod ad perfectionem aliquid pertinet tripliciter. Uno modo essentialiter: & sic ad perfectionem pertinet perfecta observantia præceptorum charitatis, sicut supra dictum est in tract. 4. cap. 2. Alio modo ad perfectionem pertinet aliquid consequenter: sicut illa, quæ consequuntur ex perfectione charitatis; puta, quod aliquis maledicenti benedicat, & alia hujusmodi impleat, quæ, etsi secundum præparationem animi sint in præcepto, ut scilicet impleantur, quando necessitas requirit, tamen ex superabundantia charitatis procedit, quod etiam præter necessitatem quandoque talia impleantur. Tertio modo pertinet aliquid ad perfectionem instrumentaliter, & dispositive, sicut paupertas, continentia, abstinentia, & alia hujusmodi.

Sciendum II. Quod, sicut dictum est, ipsa perfectio charitatis, quæ est forma, seu vinculum perfectionis, est finis status religionis. Status autem religionis est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi, ad quam quidem aliqui pervenire nituntur exercitiis diversis: sicut etiam medicus ad sanandum uti potest diversis medicamentis. Manifestum est autem, quod ille, qui operatur ad finem, non ex necessitate convenit, quod assecutus sit finem, sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc, quod illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis consequuntur. Tenetur autem, ut ad ea implenda intendat, contra quod facit contemnens; unde non peccat, si ea prætermittat, sed si ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur: sed ad illa, quæ determinate sunt ei taxata secundum regulam, quam professus est. Ex quibus

Sciendum III. Quod ille, qui transit ad religionem, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur, se adhibere studium, seu conatum ad perfectionem adipiscendam: sicut etiam ille, qui intrat scholas, non profitetur se scientem, sed profitetur se studentem ad scientiam acquirendam. Et ideo religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed solum si contemnat ad perfectionem tendere. Dicitur autem contemnere, ut infra notat S. Thom. art. 9. ad 3. quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra legem, aut regulam, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia, simile peccatum iteret. Sic enim ostendit, se non esse perfectum, non autem directe peccat contra suam professionem, quia non renuit subjici ordinationi legis, aut regulæ, licet ab illa ordinatione deficiat ob infirmitatem, aut passionem animi imperfecti. Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum.

Sciendum IV. Quod, sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, est tamen totalitas aliqua perfectionis, quæ sine peccato prætermitti non potest: aliqua autem, quæ sine peccato prætermittitur, dum ta-

men desit contemptus, ut supra dictum est: ita etiam omnes tam religiosi, quam saeculares, tenentur aliqualiter facere, quidquid boni possunt. Omnibus enim communiter dicitur Eccles. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*. Est autem aliquis modus hoc praeceptum implendi, quo peccatum vitatur, scilicet, si homo faciat, quod potest, secundum quod requirit conditio sui status, dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra spiritualem profectum. Dictum est enim, quod ea, quae consequuntur ex perfectione charitatis, secundum praeparationem animi sunt in praecepto, ut scilicet impleantur, quando necessitas requirit; contra quod directe agit, qui firmat voluntatem contra spiritualem profectum ita, ut intendat non implere ea, quae sunt perfectionis, etiamsi necessitas id requirat. Si ergo haec perfectio, seu potius intentio perfectionis, est de necessitate salutis, etiam in saecularibus, quanto magis in religiosis?

Sciendum v. Quod quaedam consilia sunt, quae si praetermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotiis saecularibus, puta, si quis haberet proprium, vel matrimonio uteretur, aut aliud hujusmodi faceret, quod pertinet ad essentialia vota religionis, & ideo ad omnia talia consilia observanda religiosi tenentur. Sunt autem quaedam consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus, quae praetermitti possunt absque hoc, quod vita hominis saecularibus actibus implicetur: unde non oportet, quod ad omnia talia religiosi teneantur quantum ad executionem, licet ad omnia teneantur quantum ad intentionem, seu in praeparatione animi, in casu scilicet necessitatis, sicuti tenentur omnes christiani. Contra quam intentionem facit contemnens: contemptus autem, vel cadit supra consilium, quia illud parvi pendit, & sic est contemptus formalis, qui semper est peccatum mortale: vel cadit supra materiam consiliatam, & tunc est contemptus materialis. Si ergo actum consiliatum, in quantum praecise cadit sub consilio, adeoque non est de necessitate salutis, non curat exequi, nullum est peccatum: si autem contemnat, seu non curet de illo, etiam in casu necessitatis, in quo cadit sub praecepto, erit peccatum mortale, vel veniale, secundum quod praeceptum legis, aut regulae obligat, vel necessitatem imponit. Si denique non curat de actu, quia non est de necessitate salutis, firmiter proponens, se nunquam facturum extra casum necessitatis, peccat venialiter (puta si proponeret quis, nunquam ingredi religionem) quia poneret obicem inspirationi Spiritus Sancti, firmando voluntatem ad ejus exclusionem, licet in actu non necessario ad salutem: nam licet ad executionem consilii non teneatur, tenetur tamen ad intentionem.

CAPUT III.

Utrum paupertas requiratur ad perfectionem religionis. 2. 2. quaest. 186. art. 3.

Dominus dicit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*. Quasi dicat, hoc faciens ad hunc finem pervenies. Sed religio est status tendentium in perfectionem: ergo ad religionis perfectionem proprie pertinet voluntaria paupertas. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut dictum est, status religionis est quoddam exercitium, & disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est, quod aliquis affectum suum totaliter abstrahat a rebus mundanis. Dicit enim August. in 10. Confess. cap. 29. ad Deum loquens: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*. Unde in lib. 83. qq. qu. 36. dicit idem August. *Nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas*. Ex hoc autem, quod aliquis res mundanas possidet, allicitur animus ad earum amorem: Unde August. dicit in Epist. 31. ad Paulinum, & Therasiam: *Terrena diliguntur arctius adepta, quam concupita. Nam unde juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat? Aliud est enim nolle incorporare, quae desunt, aliud jam incorporata divellere. Illa velut extranea repudiantur, ista vero veluti membra praescinduntur*. Et Chrysost. dicit hom. 64. in Matth. *Appositio divitiarum majorem accendit flammam, & vehemen-*

hementior ſit cupido. Et inde eſt, quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum eſt voluntaria paupertas, ut aliquis abſque proprio vivat. Unde

Sciendum II. Quod ille, qui omnia ſua dimittit propter Chriſtum, non exponit ſe periculo neque ſpirituali, neque corporali. Spirituale enim periculum ex paupertate provenit, quando non eſt voluntaria: quia ex affectu congregandi pecunias, quem patiuntur illi, qui involuntarie ſunt pauperes, incidit homo in multa peccata, ſecundum illud ad Tim. ult. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. Iſte autem affectus deponitur ab his, qui voluntariam paupertatem ſequuntur. Magis autem dominatur in his, qui divitias poſſident, ut ex ſupra dictis patet. Corporale etiam periculum non imminet illis, qui intentione ſequendi Chriſtum omnia ſua relinquunt, divinæ providentiæ ſe committentes. Unde Aug. dicit in lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, cap. 25. *Quærentibus primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, non debet ſubeſſe ſolicitudo, ne neceſſaria deſint*.

Sciendum III. Quod medium virtutis, ſecundum Philoſ. in 2. Ethic. cap. 6. accipitur ſecundum rationem rectam, non ſecundum quantitatem rei. Et ideo quidquid poteſt fieri ſecundum rationem rectam, non eſt vitioſum ex magnitudine quantitatis, ſed magis virtuoſum. Eſſet autem præter rationem rectam, ſi quis omnia ſua conſumeret per intemperantiam, vel abſque utilitate. Eſt autem ſecundum rationem rectam, quod aliquis divitias abjiciat, ut contemplationi ſapientiæ vacet, quod etiam Philoſophi quidam dicuntur feciſſe. Dicit enim Hieron. in Epiſt. ad Paulinum. *Crates ille Philoſophus, homo quondam ditiſſimus, cum ad philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit ſe poſſe ſimul divitias, & virtutes poſſidere*. Unde multo magis ſecundum rationem rectam eſt, ut homo omnia ſua relinquat ad hoc, quod Chriſtum perfecte ſequatur. Unde Hier. dicit in Epiſt. ad Ruſticum monachum: *Chriſtum nudum, nudus ſequere*.

Sciendum IV. Quod ſtatus Epiſcopalis non ordinatur ad perfectionem adipiſcendam, ſed potius, ut ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet, non ſolum miniſtrando ſpiritualia, ſed etiam temporalia: quod pertinet ad vitam activam, in qua multa operanda occurrunt inſtrumentaliter per divitias. Et ideo ab Epiſcopis, qui profitentur gubernationem gregis Chriſti, non exigitur, ut proprio careant, ſicut exigitur a religioſis, qui profitentur diſciplinam perfectionis acquirendæ. Et hoc eſt, quod Philoſ. dicit in 10. Eth. cap. 8. *Ad actiones multis opus eſt: ſpeculanti vero nulla talium* (ſcilicet exteriorum bonorum) *ad operationem neceſſitas, ſed impedimenta ſunt ad ſpeculationem*; in quantum ſcilicet ſua ſolicitudine impediunt animi quietem, quæ maxime neceſſaria eſt contemplanti. Unde idem Philoſ. 10. Eth. cap. 7. ad fœlicitatem vitæ activæ, quæ conſiſtit in exterioribus operationibus, dicit, quod divitiæ inſtrumentaliter coadiuvant, dicit enim. *Multa operamur per amicos, & per divitias, & per civilem potentiam, ſicut per quædam organa*; fœlicitatem autem vitæ contemplativæ magis impediunt.

Sciendum V. Quod ad futuram beatitudinem, quæ eſt fœlicitas perfecta, ordinatur aliquis per charitatem. Et, quia voluntaria paupertas eſt efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem, ideo multum valet ad cœleſtem beatitudinem conſequendam. Unde Dominus Matth. 19. dicit: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo*. Divitiæ autem habitæ per ſe quidem natæ ſunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum, & diſtrahendo: Unde dicitur Matth. 13. *Solicitudo ſæculi, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum Dei*. Et ideo difficile eſt charitatem inter divitias conſervare. Unde Dominus dicit Matth. 19. quod dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Quod quidem intelligendum eſt de eo, qui actu habet divitias: nam de eo, qui affectum in divitiis ponit, dicit hoc eſſe impoſſibile ſecundum expoſitionem Chryſoſt. hom. 64. in Matth. cum ſubdit. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum*. Et ideo non ſimpliciter dicitur dives eſſe beatus, ſed *qui inventus eſt ſine macula, & poſt aurum non abiit* Eccl. 31. & hoc ideo,

quia rem difficilem fecit. Unde subditur. *Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua*, ut scilicet inter divitias positus divitias non amaret. Et ideo ad excludendum errorem Vigilantii, dicitur in lib. de Eccles. dogmat. cap. 17. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum a solicitudine egere cum Christo.*

Sciendum VI. Quod fœlicitas speculativa dupliciter consideratur, vel secundum se, vel in tali subjecto, scilicet homine viatore. Si consideretur in se, impeditur & a temporalibus bonis, & ab ipsius hominis conditione, quæ eget cibo, potu, somno, quiete, & hujusmodi. Nam hæc omnia a contemplatione abducunt animam, ut experimur continue. Si vero consideratur fœlicitas contemplativa, ut est hominis viatoris, sic bona temporalia sunt necessaria, non ut eligenda propter contemplationem directe, sed ut consequentia ex necessitate materiæ, scilicet hominis. Ad vitam quippe speculantis hominis conservandam eligenda occurrunt temporalia, & propterea quanto pauciora eliguntur, sufficientia tamen, tanto minus contemplatio impeditur. Unde religioso licitus est usus bonorum temporalium ad subveniendum necessitatibus naturæ, non aliter tamen, quam sit sibi a superiore permissum, quia nihil proprium habet. Hic est enim ordo naturalis, ut inferiora secundum superiora regantur. Quare, sicut dicit S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. Monachus, quia nihil proprium habet, non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta, nisi forte in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum esset ei furari, ut eleemosynam daret.

Sciendum VII. Quod Prælati regulares non sunt domini bonorum temporalium monasterii, utpote communium, sed solum dispensatores. Ad dispensationem autem requiritur bona fides, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Eorum ergo distributio fidei ejus committitur, &, si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere, unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali contra voluntariam paupertatem, quam professus est, & similiter ex parte subditi, qui tali immoderata dispensatione sibi facta utitur in usus superfluos, aut illicitos, dilapidando bona communia contra voluntatem Domini, & statuta suæ professionis. Unde dicitur Matth. 24. *Si dixerit malus servus in corde suo. Moram facit Dominus meus venire*, (quod pertinet ad divini judicii contemptum) *& cœperit percutere conservos suos*, (quod pertinet ad superbiam) *manducet autem, & bibat cum ebriosis* (quod pertinet ad luxuriam) *veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & dividet eum*, (scilicet a societate bonorum) *& partem ejus ponet cum hypocritis*; scilicet in inferno, sicuti explicat D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 7. in corp. Qua de re vide Bullam 28. Clement. VIII. quæ incipit, Religiosa, quæ agit de largitione munerum religiosis interdicta, etiamsi cum licentia superioris particularis, exceptis levioribus rebus.

Sciendum VIII. Quod parvitas materiæ contra votum paupertatis, attendi debet ex natura actus proprietatis. In consumptione enim, vel donatione, aut acceptione rerum, metienda est ex quantitate materiæ juxta prudentis arbitrium, attenta diversitate personarum, & qualitate materiæ: nam si donetur, aut accipiatur aliquid a religioso ejusdem conventus, major quantitas requiritur ad peccatum mortale, minor vero si a religioso alterius conventus, & adhuc minor si ab extraneo. Hæc autem materia, juxta diversas opiniones Doctorum, in toto anni decursu non extenditur absque gravi peccato, nisi ad duos aureos, aut quatuor, aut sex, aut ad summum octo: & intra hanc latitudinem major quantitas requiritur, si materia sit de esculentis, & poculentis, quam de aliis rebus. In mutuo autem gravitas peccati attendi debet & ex quantitate pecuniæ, & ex qualitate periculi amittendæ sortis. In commodato vero attendenda est deterioratio rei, quæ ad usum traditur, & periculum. In deposito periculum, & quan-

quantitas attendenda. In venditione denique, emptione, & commutatione gravitas attendi debet ex qualitate materiæ, & quantitate exceſſus. Qua de re vide Salmant. tractat. 15. cap. 6. ubi plures caſus congerunt in hac materia. De his etiam agit S. Anton. in ſumm. part. 3. tit. 16. cap. 1. §. 11.

CAPUT IV.

Utrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem religionis. 2. 2. q. 186. a. 4.

Apoſtolus 2. ad Corinth. 7. dicit. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem noſtram in timore Dei*. Sed munditia carnis & ſpiritus conſervatur per continentiam. Dicitur enim 1. ad Cor. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta ſpiritu, & corpore*. Ergo perfectio religionis requirit continentiam. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod ad ſtatum religionis requiritur ſubtractio eorum, per quæ homo impeditur, referatur totaliter in Dei ſervitium. Uſus autem carnalis copulæ retrahit animum, ne totaliter feratur in Dei ſervitium dupliciter. Uno modo propter vehementiam delectationis, ex cujus frequenti experientia augetur concupiſcentia, ut etiam Philoſ. dicit in 3. Eth. cap. 11. & inde eſt, quod uſus venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc eſt, quod Auguſt. dicit in 1. Soliloq. cap. 10. *Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, ſine quo uxor haberi non poteſt*. Alio modo propter ſollicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione uxoris, & filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum ſuſtentationem ſufficiant; ſicut Apoſt. dicit 1. ad Cor. 7. Et ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, ſicut voluntaria paupertas. Unde ſicut damnatus eſt Vigilantius, qui adæquabat divitias paupertati: ita damnatus eſt Jovinianus, qui adæquavit matrimonium virginitati.

Sciendum II. Quod perfectio non ſolum paupertatis, ſed etiam continentiæ, introducta eſt per Chriſtum, qui dicit Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui caſtraverunt ſeipſos propter regnum cœlorum;* & poſtea ſubdit *qui poteſt capere, capiat*; ut oſtendat difficultatem, & rem eſſe ſupra naturam humanam, & ideo non cadere ſub præcepto, ſed ſub conſilio Evangelicæ perfectionis. Et, ne alicui ſpes perveniendi ad perfectionem tolleretur, aſſumpſit ad perfectionis ſtatum (ſcilicet ad ſtatum Epiſcopalem, ſeu Apoſtolatus) etiam illos, quos invenit matrimonio junctos. Non autem poterat abſque injuria fieri, quod viri uxores deſererent, ſicut abſque injuria fiebat, quod omnes divitias relinquerent. Et ideo Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non ſeparavit ab uxore, Joannem tamen volentem nubere a nuptiis revocavit. Unde habes, quod ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut non exigitur neceſſario voluntaria paupertas; ita nec eſſentialiter exigitur votum perpetuæ continentiæ, ſicut exigitur ad ſtatum religionis. Eſt enim ſtatus Epiſcopalis ſtatus jam perfectorum, qui poſſunt uti & divitiis, & matrimonio abſque eo, quod a tali uſu alliciantur, & diſtrahantur a puro Dei ſervitio, ſicut diſtraherentur adhuc imperfecti volentes tendere ad perfectionem; ad cujus evidentiam

Sciendum III. Quod, ſicut Auguſt. dicit in lib. de bono conjugali cap. 22. *Melior eſt caſtitas cœlibum, quam caſtitas nuptiarum, quarum Abraham habuit unam in uſu, ambas in habitu, caſte quippe conjugaliter vixit. Eſſe autem caſtus ſine conjugio potuit, ſed tunc non oportuit*. Nec tamen, quia antiqui Patres perfectionem animæ ſimul cum divitiis, & matrimonio habuerunt, quod ad magnitudinem virtutis pertinebat, propter hoc infirmiores quoque non debent præſumere ſe eſſe tantæ virtutis, ut cum divitiis, & matrimonio poſſint ad perfectionem pervenire: ſicut nec aliquis præſumit hoſtes inermis invadere, quia Sampſon cum mandibula aſini multos hoſtium peremit. Nam illi patres, ſi tempus fuiſſet continentiæ, & paupertatis ſervandæ, ſtudioſius hoc impleſſent. Ex quo colliges, quod illi modi vivendi, ſecundum quos homines matrimonio utuntur, licet poſſint compati cum perfectione charitatis, non tamen cum ſtatu religio-

nis,

nis, simpliciter, & absolute talis, sed secundum quid, in quantum scilicet in aliquo participant quædam, quæ ad statum religionis pertinent, sicut patet in Fratribus Tertii Ordinis, & aliquarum religionum militarium.

Sciendum IV. Quod, sicut ex dictis patet, ad statum religionis simpliciter, & absolute dictæ, quia est status nondum perfectorum, sed tendentium ad perfectionem charitatis, sicuti de necessitate requiritur abdicatio omnium rerum temporalium, ita requiritur abdicatio omnium delectationum, & actuum venereorum: quia per utrumque genus bonorum homo impeditur, ne totaliter in Deum feratur per ejus servitium, aliter tamen, & aliter. Nam usus rerum temporalium, quantum ad sufficientiam, necessarius est ad conservationem individui, quod omni homini convenit; & ideo ad perfectionem status religionis requiritur abdicatio omnium rerum temporalium quantum ad proprietatem, & etiam quantum ad usum dispositum, non autem requiritur abdicatio usus simpliciter, & absolute, quippe qui necessarius est ad conservandam naturam individui ad Dei servitium. Usus autem venereorum non ordinatur a natura ad conservationem individui, sed solum ad propagationem speciei intra legitimum matrimonium; ad quod non omnes tenentur; & ideo ad perfectionem status religionis simpliciter talis necessario requiritur abdicatio absolute, & simpliciter cujuslibet usus venereorum, nondum extra, sed & intra matrimonium, per continentiam absolutam, & universalem ab omnibus venereis, sive illicitis, sive licitis. Per consequens autem ex vi talis professionis obligatur religiosus ad vitandas omnes concupiscentias venereorum, quantum ad internum, & omnes occasiones, & incentiva, quantum ad externum.

Sciendum V. Quod, sicut notant Sanch. Pal. Pelliz. Salmant. religiosus inducens alterum, vel alteram, sola persuasione, aut metu, vel alio extrinseco ad genus luxuriæ, ad violandam castitatem, peccaret quidem gravissimo peccato scandali: non autem peccato sacrilegii contra votum continentiæ, quam in se tenetur observare ex vi voti facti, non autem in aliis. Si autem faciat aliquem actum aliquo modo excitativum ad luxuriam per se, & ex natura sua, quamvis certo sciat nullam inde oriri ruinæ spiritualis occasionem, nec in se, nec in aliis, peccat contra votum continentiæ, quam professus est: quia ex vi ejus tenetur vitare omnia incentiva luxuriæ, & per accidens est, quod ruinam spiritualem non causent de facto, semel quod nata sunt illam causare, ut notat noster Piselli part. 1. tract. 17. c. 3. §. 2. Si quis plura desiderat circa votum castitatis, quod solet fieri etiam a pluribus sæcularibus, legat Salmanticenses, tract. 15. cap. 6.

CAPUT V.

Utrum obedientia pertineat ad perfectionem religionis. 2. 2. quæst. 186. a. 5.

PErfectio religionis maxime consistit in imitatione Christi, secundum illud. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, sequere me;* sed in Christo maxime commendatur obedientia, secundum illud ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem:* ergo videtur, quod obedientia pertineat ad perfectionem religionis. Ad cujus evidentiam.

Sciendum. I. Quod, sicut supra dictum est, status religionis est quædam disciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem instruuntur, vel exercitantur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet, quod directionem alicujus sequantur, secundum cujus arbitrium instruantur, vel exercitentur, ut perveniant ad illum finem, quasi discipuli sub magistro. Et ideo oportet, quod religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam, alicujus instructioni, & imperio subdantur. Unde & 7. qu. 1. cap. Hoc nequaquam, dicitur: *Monachorum vita subjectionis habet verbum, & discipulatus.* Imperio autem, & alterius instructioni subjicitur homo per obedientiam; & ideo obedientia requiritur ad religionis perfectionem.

Sciendum. II. Quod obedire Prælatis in his, quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune, secundum illud Apostoli ad Hebr. ult. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Sed obedire in his, quæ pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet

pro-

proprie ad religiosos, & comparatur ista obedientia ad aliam, sicut universale ad particulare. Illi enim, qui in sæculo vivunt, aliquid sibi retinent, & aliquid Deo largiuntur: & secundum hoc obedientiæ Prælatorum subduntur. Illi vero, qui vivunt in religione, totaliter se, & sua tribuunt Deo, ut ex supra dictis patet: unde obedientia eorum est universalis, sicut & eorum continentia, & paupertas.

Sciendum III. Quod, sicut Philos. dicit in 2. Eth. c. 1. *Homines exercitantes se in operibus perveniunt ad aliquos habitus, quos cum acquisierint, eosdem actus maxime possunt operari*. Sic ergo obediendo, illi, qui non sunt perfectionem adepti, ad perfectionem perveniunt. Illi autem, qui jam sunt perfectionem adepti, maxime prompti sunt ad obediendum, non quasi indigentes dirigi ad perfectionem acquirendam, sed quasi per hoc se conservantes in eo, quod ad perfectionem pertinet. Obedientia ergo per se exigitur ad statum religionis, qui est status discentium sub magistro, & directore indigent. Personæ autem religiosæ quandoque in tantum culmen perfectionis perveniunt, ut non egeant duce, sed per internos habitus seipsos optime regunt delectabiliter. Verum, quia personæ istæ ex obedientiæ statu religioso conveniente conservantur, ideo obedientia religionis comes illis convenit.

Sciendum IV. Quod subjectio religiosorum principaliter attenditur ad Episcopos, qui comparantur ad eos, sicut perfectores ad perfectos, ut patet per Dion. 6. c. Eccl. hier. ubi etiam dicit: *Monachorum ordo Pontificum consummativis virtutibus mancipatur, & divinis illorum illuminationibus edocetur*. Unde ab Episcoporum obedientia nec Eremitæ, nec etiam Prælati religionum excusantur. Et, si a Diœcesanis Episcopis totaliter, vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum Summo Pontifici, non solum in his, quæ sunt communia aliis, sed etiam in his, quæ specialiter pertinent ad disciplinam religionis. Votum ergo obedientiæ principaliter fit Summo Pontifici, qui est primus Prælatus omnium religionum, qui eximendo religiosum ab obedientia sui Prælati, non dispensat votum, sed tollit potestatem talis Prælati supra talem religiosum.

Sciendum V. Quod votum obedientiæ ad religionem pertinens se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ: & secundum hoc votum obedientiæ habet quandam universalitatem, licet non se extendat ad omnes particulares actus, quorum quidam ad religionem non pertinent, quia non sunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei, & proximi: sicut confricatio barbæ, vel levatio festucæ de terra, & similia, quæ non cadunt sub voto, nec sub obedientia. Quidam vero etiam contrariantur religioni. Nec est simile de voto continentiæ, per quam excluduntur actus omnino perfectioni religionis repugnantes, seu contrarii. Religiosi igitur non tenentur Prælatis suis obedire in omnibus, ut supra habitum est in parte 2. cum de virtute obedientiæ ageretur, sed solum in conducentibus aliquo modo ad virtutem religionis, & quæ possunt esse materia voti, & quæ eorum potestatem non excedunt.

Sciendum VI. Quod necessitas coactionis facit involuntarium, & ideo excludit rationem laudis, & meriti; sed necessitas consequens obedientiam, non est necessitas coactionis, sed liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire, licet forte non vellet id, quod mandatur, secundum se consideratum implere. Et ideo, quia necessitate aliqua faciendi, quæ secundum se non placent, per votum obedientiæ homo se subjicit propter Deum, ex hoc ipso ea, quæ facit, sunt Deo magis accepta, etiamsi sint minora: quia nihil majus potest homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subjiciat. Unde in collationibus Patrum, coll. 18. c. 7. dicitur: *Deterrimum genus Monachorum esse Sarabaitas, quia suas necessitates curantes, absoluti a seniorum jugo, habent libertatem agendi quid libitum fuerit, & tamen magis, quam his, qui in Cœnobiis degunt, in operibus diebus, ac noctibus consumuntur*. Qua de re vide ea, quæ dicta sunt in secunda parte de virtute obedientiæ.

Sciendum VII. Quod, sicut ex dictis colligitur, religiosus ex duplici titulo tenetur obedire suis Prælatis, & ex reverentia Deo debita ratione voti, & ex reverentia homini debita, ratione subjectionis, qua sponte se

te se Prælatorum imperio subjecit per solemnem religionis professionem. Unde religiosus, qui præceptis Superiorum non obtemperaret, dupliciter peccaret, scilicet, & contra virtutem religionis, & contra virtutem observantiæ. Ex neutro autem caplte obedire tenetur, nec etiam sub veniali, nisi per mandatum expressum, aut tacitum a Prælatis obligetur, tum quia objectum obedientiæ est præceptum, tum etiam quia in professione sua promisit solum præceptis Prælatorum obtemperare. Quando autem præceptum Prælati obliget sub gravi, vel non, colligendum est, tum ex parte formæ, qua intentio præcipientis exprimitur, tum ex parte materiæ præceptæ. Quando enim Prælatus præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis, vel alia simili forma verborum, præceptum ex natura sua inducit obligationem gravem obediendi: quando vero Prælatus simplici mandato præcipit aliquid subdito in his, ad quæ extenditur sua potestas, tunc obligatio gravis, vel levis colligi debet ex parte materiæ, quæ præcipitur, quod etiam notatur in Constitutionibus nostris part. I. cap. 5. n. 8.

Sciendum VIII. Quod præceptum Prælati obligat religiosos subditos ubique terrarum, quia potestas Prælatorum religionis immediate respicit personas, non territorium, ut notant Lez. Sylv. Pelliz. Non tamen extenditur eorum potestas ad præcipiendos actus internos, cum illis sit solum commissa externa gubernatio, ut dictum est in 2. part. cum de obedientia ageretur: nec extenditur ad omnes particulares actus externos, quorum quidam ad religionem non pertinent, ut sunt actus indifferentes, quoties in statu manent indifferentiæ: Quidam vero religioni sunt contrarii, ut sunt actus contra legem Dei, vel contra regulas Ordinis: Quidam autem sunt supra obligationem regulæ, supra quam non extenditur Prælatorum facultas, cum religiosus juxta regulam obedire promiserit. In iis vero, in quibus Prælati possunt regulam dispensare, si præcipiant, tenetur subditus obedire, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 2. ad 2. In dubiis autem debet subditus se subjicere judicio Prælati, quia pro eo stat possessio. Qua de re Salmant. tract. 15. cap. 6.

CAPUT VI.

Utrum requiratur ad perfectionem religionis, quod Paupertas, Continentia, & Obedientia cadant sub voto. 2. 2. q. 186. artic. 6.

IN veteri lege Nazaræi cum voto sanctificabantur, secundum illud Numer. 6. *Vir, sive mulier, cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare &c.* Per eos autem significantur illi, qui ad perfectionis summum pertingunt, ut dicit Gloss. Gregor. ibid. desumpta ex 3. Moral. c. 27. Ergo votum requiritur ad statum perfectionis. Quare

Sciendum I. Quod ad religiosos pertinet, quod sint in statu perfectionis, sicut ex supradictis patet. Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis, quæ quidem Deo fit per votum. Manifestum est autem ex præmissis, quod ad perfectionem humanæ vitæ pertinet paupertas, continentia, & obedientia: & ideo religionis status requirit, ut ad hæc tria aliquis voto obligetur. Unde Gregor. dicit hom. 20. super Ezech. *Cum quis omne, quod habet, omne, quod vivit, omne, quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est.* Quod quidem pertinere postea dicit ad eos, qui præsens sæculum deserunt. Unde

Sciendum II. Quod ad perfectionem vitæ Dominus pertinere dixit, quod aliquis eum sequatur non qualitercumque; sed ut ulterius retro non abiret. Unde & ipse dicit Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Hæc autem immobilitas sequelæ Christi firmatur per votum. Homo enim non potest totam vitam suam Deo actu exhibere ad ejus sequelam, seu conformitatem, aut imitationem: quia non est tota simul, sed successive agitur. Unde non aliter homo potest totam vitam suam Deo immobiliter exhibere ad ejus sequelam, nisi per voti obligationem suam oblationem firmando. Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis, per quod mittit jam quis manum ad aratrum, cum obligatione retro amplius non respiciendi.

Sciendum III. Quod, sicut Aug. dicit ad

ad Pollentium de adulterinis conjugiis lib. I. c. 14. *Ea ſunt in noſtris officiis gratuita, quæ, cum liceret nobis non impendere, tamen cauſa dilectionis impendimus*; inter alia autem, quæ licet nobis non impendere, eſt etiam propria libertas, quam homo cæteris rebus chariorem habet. Unde, cum aliquis propria ſponte voto ſibi adimit libertatem abſtinendi ab his, quæ ad Dei ſervitium pertinent, hoc fit Deo acceptiſſimum. Unde Aug. dicit in Epiſt. 45. ad Arm. & Paulinam: *Non te voviſſe pœniteat, immo gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Fœlix neceſſitas, quæ in meliora compellit.*

Sciendum IV. Quod ſolemnitas votorum eſt ex jure Eccleſiaſtico introducta, ut dicit Boniſ. VIII. in cap. un. de voto in 6. & Gregor. XIII. in Extrav. Aſcendente Domino: Adeoque non eſt de eſſentia ſtatus perfectionis, qui ſufficienter ſalvatur per exhibitionem ſui totalem, quæ fit per tria vota ſimplicia. Hæc enim exhibitio immobilitatem importat ex parte voventis irrevocabiliter ſe obligantis ad Dei ſervitium: unde Scholares Societatis Jeſu, & alii hujuſmodi, qui vota ſimplicia emittunt, veri ſunt religioſi, quamvis liberum ſit ex parte religionis illos licentiare. Sicut enim Eccleſia in una religione poteſt talem, vel talem conditionem, vel ſolemnitatem requirere, ut eam pro vera religione approbet: ita in alia non requirere. In quo autem conſiſtat ſolemnitas voti, & quos effectus inducat, dictum eſt ſupra, cum de voto ageretur.

C A P U T VII.

Utrum in his tribus votis conſiſtat religionis perfectio. 2.2. quæſt. 186. art. 7.

RELigionis ſtatus poteſt conſiderari tripliciter. Uno modo, ſecundum quod eſt exercitium tendendi in perfectionem charitatis. Alio modo, ſecundum quod quietat animum humanum ab exterioribus ſolicitudinibus. Tertio modo, ſecundum quod eſt quoddam holocauſtum, per quod aliquis totaliter ſe, & ſua offert Deo: & ſecundum hoc ex his tribus votis integratur religionis ſtatus. Unde dicitur Extrav. de ſtatu Monach. cap. Cum ad Monaſterium: *Cuſtodia caſtitatis, & abdicatio proprietatis ſunt annexæ regulæ Monachali.* Ad quorum evidentiam

Sciendum I. Quod, quantum ad exercitium perfectionis requiritur, quod aliquis a ſe removeat illa, per quæ poſſet impediri, ne totaliter affectus tendat in Deum, in quo conſiſtit perfectio charitatis. Hujuſmodi autem ſunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem eſt concupiſcentia ſenſibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ. Tertium autem eſt inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Honor autem, qui computatur inter exteriora bona, ſicut Philoſ. dicit in 4. Eth. c. 3. proprie, & ſecundum veritatem non debetur, niſi virtuti: ſed quia exteriora bona inſtrumentaliter deſerviunt ad quoſdam actus virtutum, ex conſequenti etiam eorum excellentiæ honor aliquis exhibetur, & præcipue a vulgo, qui ſolam excellentiam exteriorem recognoſcit. Honori ergo, qui Deo, & Sanctis omnibus exhibetur propter virtutem, abrenunciare non competit religioſis, qui ad perfectionem virtutis tendunt. Honori autem, qui exhibetur exteriori excellentiæ, abrenunciant ex hoc ipſo, quod ſæcularem vitam derelinquunt. Unde ad hoc non requiritur ſpeciale votum.

Sciendum II. Quod ſolicitudinis ſæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria. Primo quidem circa diſpenſationem exteriorum rerum: & hæc ſolicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundo autem circa gubernationem uxoris, & filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ. Tertio circa diſpoſitionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis ſe alterius diſpoſitioni committit. Ubi notandum, quod voluntati ſpecialiter tantum ſubduntur actiones humanæ, ſeu voluntariæ, quamvis ex conſequenti ei ſubjiciantur omnia humana. Nam paſſiones pertinent etiam ad appetitum ſenſitivum: & ideo ad cohibendum paſſiones carnalium delectationum, & exteriorum appetibilium, impedientes perfectionem vitæ, neceſſarium fuit

fuit votum continentiæ, & paupertatis: sed ad disponendum actiones proprias, secundum quod requirit perfectionis status, requiritur votum obedientiæ, per quam exteriores actiones hominis ab alio gubernantur, scilicet a Superiore.

Sciendum III. Quod holocaustum est, cum aliquis totum, quod habet, offert Deo, ut Greg. dicit hom. 20. super Ezech. Habet autem homo triplex bonum, secundum Philos. in 1. Eth. c. 8. Primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis, abdicando proprium, & potentiam ad acquirendum res temporales, seu ad proprium habendum. Secundo autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenunciat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis, & habitibus animæ: & ideo convenienter ex tribus votis status religionis integratur. Ubi notandum, quod interiores actus virtutum, quorum mater est charitas, secundum illud 1. ad Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est &c.* non cadunt sub voto religionis, sed se tenent ex parte finis, qui est perfectio charitatis; unde vota religionis ordinantur ad actus interiores virtutum, sicut ad finem. Non enim religiosi profitentur, se esse perfectos, sed tendentes ad perfectionem per remotionem extrinsecorum impedimentorum.

Sciendum IV. Quod omnes aliæ religionum observantiæ ordinantur ad prædicta tria principalia vota. Nam, si quæ sunt instituta in religionibus ad procurandum victum (puta, labor, mendicitas, vel alia hujusmodi) referuntur ad paupertatem, ad cujus conservationem religiosi per hos modos victum procurant. Alia vero, quibus corpus maceratur, sicut vigiliæ, jejunia, & si quæ sunt hujusmodi, directe ordinantur ad votum continentiæ observandum. Si qua vero in religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei, & proximi (puta, lectio, oratio, visitatio infirmorum, vel si aliquid aliud est hujusmodi) comprehenduntur sub voto obedientiæ, quod pertinet ad voluntatem, quæ secundum dispositionem alterius suos actus ordinat in finem. Determinatio autem habitus pertinet ad omnia tria vota, tanquam signum obligationis. Unde habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione.

Sciendum V. Quod licet actus interiores virtutum, ut charitate formati, non cadant sub voto religionis (quod respicit tanquam objectum, seu materiam circa quam fertur per obligationem, tantum media conducentia ad perfectionem charitatis, scilicet remotionem principalium impedimentorum tendendi in perfectionem charitatis; ipsam vero perfectionem charitatis, ex qua virtutes formatæ procedunt, respicit solum ut finem) tamen actus boni interiores per se connexi cum actibus exterioribus, qui cadunt sub voto, etiam ipsi cadunt sub voto. Actus enim exteriores non cadunt sub voto, nisi in quantum sunt morales, seu voluntarii, & ex genere boni, & per consequens in quantum procedunt ab actibus interioribus voluntatis, a quibus intenduntur, & qui se habent ut forma actuum externorum, sive in statu charitatis fiant, sive in statu peccati. Ex quo etiam sequitur, quod actus interiores voluntatis, qui feruntur in violationem exteriorem voti per concupiscentias pravas, omnes directe opponuntur observantiæ voti, & sunt sacrilegia (puta desideria habendi proprium, fornicandi, intentio, seu propositum non obediendi præceptis superiorum). Desideria autem otiosa, quæ non feruntur in violationem voti (puta habendi res exteriores cum licentia superioris, vel nubendi, si esset sæcularis, & alia hujusmodi) non sunt contra votum. Et in hoc sensu dicitur in nostris constitutionibus part. 1. cap. 7. quod votum non procurandi dignitates extra religionem, non comprehendit actus internos. Nam si quis concupisceret procurare, licet de facto non procuraret, peccaret mortaliter contra votum: non autem, si simpliciter dignitates desideraret: votum enim est, non procurandi, non vero non desiderandi.

CA-

CAPUT VIII.

Utrum votum obedientiæ sit potissimum inter tria vota religionis.
2.2. q. 186. ar. 8.

Sicut Greg. dicit in 35. Moral. cap. 12. *Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur*. Sed vota religionis sunt quædam holocausta, sicut supra dictum est: ergo votum obedientiæ est præcipuum inter omnia religionis vota; & hoc triplici ratione. Unde

Sciendum I. Quod per votum obedientiæ aliquid majus homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem, quæ est potior, quam corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam: & quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Unde illud, quod fit ex obedientia, est magis Deo acceptum, quam id, quod fit per propriam voluntatem, secundum illud Hieron. quod dicit ad Rusticum monachum: *Ad illud tendit oratio, ut doceam, te non tuo arbitrio dimittendum*, & postea subdit: *Non facias, quod vis, comedas, quod juberis: habeas, quantum acceperis: vestiaris, quod datur*. Unde & jejunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate, secundum illud Isaiæ 58. *Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra.*

Sciendum II. Quod votum obedientiæ continet sub se alia vota: sed non convertitur. Nam religiosus, etsi teneatur ex voto continentiam servare, & paupertatem, tamen hæc etiam sub obedientia cadunt, ad quam pertinent multa alia præter continentiam, & paupertatem servare. Consilium autem obedientiæ includitur in ipsa Christi sequela; Qui enim obedit, sequitur alterius voluntatem; & ideo magis pertinet ad perfectionem, quam votum paupertatis: quia, ut Hieron. dicit super Matth. 19. *Id, quod perfectum est, addidit Petrus, cum dixit: & secuti sumus te*. Continentia etiam præfertur exterioribus divitiis auri, & argenti, quæ pondere mensurantur, & per paupertatem voluntariam abdicantur, secundum illud Ecclesi.26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis*. Et ideo votum continentiæ excellentius est voto paupertatis, non autem voto obedientiæ.

Sciendum III. Quod votum obedientiæ proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. Quanto autem aliquid propinquius est fini, tanto melius est. Et inde etiam est, quod votum obedientiæ est religioni essentialius. Si enim aliquis absque voto obedientiæ voluntariam paupertatem, & continentiam etiam voto servet, non propter hoc pertinet ad statum religionis, qui præfertur etiam ipsi virginitati ex voto observatæ. Dicit enim Aug. in lib. de Virginit. cap. 45. *Nemo, quantum puto, ausus fuerit virginitatem præferre monasterio.*

Sciendum IV. Quod Papa in voto obedientiæ non potest sic cum religioso dispensare, ut nulli prælato teneatur obedire in his, quæ ad perfectionem vitæ pertinent (dato etiam, quod posset in voto solemni castitatis, & paupertatis dispensare) Non enim potest eum a sua obedientia eximere. Potest autem eum eximere ab inferioris prælati subjectione, quod non est in voto obedientiæ dispensare. Sicut enim Papa, manens Papa, non potest suam personam alteri subjicere, quia non potest diminuere suam potestatem: potest tamen subtrahere suam personam potestati Pontificiæ per renunciationem, & sic illam subjicere; ita non potest cum religioso, religioso manente, dispensare, ut nulli prælato teneatur obedire, sed solum eximere ejus personam a potestate Prælati inferioris.

CAPUT IX.

Utrum religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo ea, quæ sunt in regula.
2.2. quæst. 185. art. 9.

Status religionis est securior, quam status sæcularis vitæ. Unde Greg. in I. Moral. cap. I. comparat vitam sæcularem mari fluctuanti, vitam autem religionis portui tranquillo: sed, si quælibet transgressio eorum, quæ in regula continentur, religiosum obligaret ad peccatum mortale, status religionis esset periculosissimus propter multitudinem observantiarum. Non

ergo

ergo qualibet transgressio eorum, quæ in regula continentur, est peccatum mortale. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod in regula continetur aliquid dupliciter, sicut ex dictis patet. Uno modo, sicut finis regulæ (puta ea, quæ pertinent ad actus virtutum) & horum transgressio, quantum ad ea, quæ cadunt communiter sub præcepto, obligat sub mortali: quantum vero ad ea, quæ excedunt communiter necessitatem præcepti, non obligat ad mortale, nisi propter contemptum: quia, sicut supra dictum est, religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus. Alio modo continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes exteriores observantiæ, inter quas sunt quædam, ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam: alia vero omnia ad hæc ordinantur: & ideo transgressio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ, quia hoc directe contrariatur professioni, per quam aliquis vovit regularem observantiam: vel propter præceptum, sive oretenus a prælato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum.

Sciendum II. Quod ille, qui profitetur regulam, non vovet servare omnia, quæ sunt in regula, sed vovet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis. Unde & in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur non quidem regulam, sed vivere secundum regulam, id est tendere ad hoc, ut aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar, & hoc tollitur per contemptum. In quibusdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam secundum regulam, ita, quod professioni non contrariatur, nisi id, quod est contra præceptum regulæ: transgressio vero, vel omissio aliorum obligat solum ad peccatum veniale: quia, sicut dictum est, hujusmodi dispositiones sunt ad principalia vota. Peccatum autem veniale est dispositio ad mortale, in quantum impedit ea, quibus aliquis disponitur ad observanda principalia præcepta legis Christi, quæ sunt præcepta charitatis.

Sciendum III. Quod in aliqua religione, transgressio talis, vel omissio eorum, quæ non cadunt sub præcepto regulæ, ex suo genere non obligat ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam: quia per hunc modum ad talia observanda obligantur, qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu. Considerandum est igitur, quod non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam. Sicut in lege civili non facit semper dignum pena mortis corporalis transgressio legalis statuti: ita nec in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale, & similiter nec omnia statuta regulæ.

Sciendum IV. Quod tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ac faciendum contra legem, vel regulam, & tunc semper est peccatum mortale. Quando autem e converso propter aliquam particularem causam (puta concupiscentiam, vel iram) inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter, aut ex habitu ex eadem causa, vel alia, simile peccatum iteret. Sicut & August. dicit in lib. de natura, & gratia, cap. 29. quod *Non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ*. Et tunc erit peccatum mortale, aut veniale juxta subjectam materiam: vel etiam nullum peccatum ex genere suo, si regula obliget ad solam pœnam sustinendam. Frequentia tamen peccati, aut transgressionis regulæ dispositive inducit ad contemptum, secundum illud Proverb. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Sciendum V. Quod ex dictis oritur dubium: an peccet mortaliter religiosus, qui statuit in corde suo observare solum vota, & statuta obligantia sub mortali, & nihil

de

de aliis curare, quæ non obligant ſub mortali: & eſt ratio dubii, quia iſte videtur directe peccare contra ſuam profeſſionem, vi cujus, licet non teneatur eſſe perfectus, tenetur tamen tendere ad perfectionem. Ad hoc dico, quod ſi ex contemptu regulæ tale propoſitum faciat (puta, quia voluntas ejus renuit ſubjici regulæ, aut quia regulam parvi pendit) peccat mortaliter, ut patet ex dictis: Contemptus enim formalis ſuperbiæ non admittit parvitatem materiæ. Si autem propter aliquam particularem cauſam inducitur ad hoc propoſitum faciendum, non peccat ex contemptu formali ſuperbiæ, ſed ſolum ex contemptu materiali, & interpretativo, quod non ſemper eſt peccatum mortale: ſed quandoque mortale, quandoque veniale, juxta ſubjectam materiam, ſeu objectum. In caſu ergo propoſito, ſi religioſus non movetur ex contemptu formali regulæ, neque ex alia cauſa graviter culpabili, ſed ex levitate materiæ ad proponendum nihil curare de tranſgrediendis ſtatutis non obligantibus ſub mortali, peccat quidem directe contra obligationem ſuæ profeſſionis, ſed intra lineam venialium, adeoque peccat ſolum venialiter, & ſe diſponit ad contemptum formalem regulæ. Religioſus enim tenetur tendere ad perfectionem ſub gravi per media obligantia ſub gravi, & ſub levi obligatione per alia acceſſoria; ſicut notant Salm. tr. 15. c. 1.

CAPUT X.

Utrum religioſus eodem genere peccati gravius peccet, quam ſæcularis.
2. 2. q. 186. a. 10.

Religioſi, & alii, qui ſunt in ſtatu perfectionis, cæteris paribus gravius peccant eodem genere peccati, quam ſæculares. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod peccatum, quod a religioſis committitur, poteſt eſſe gravius peccato ſæcularium ejuſdem ſpeciei tripliciter. Uno modo, ſi ſit contra votum religionis (puta, ſi religioſus fornicetur, vel furetur: quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando facit contra votum paupertatis) & non ſolum contra præceptum divinæ legis. Secundo, ſi ex contemptu peccet: quia ex hoc videtur eſſe magis ingratus divinis beneficiis, quibus eſt ſublimatus ad ſtatum perfectionis. Unde & Dominus conqueritur Jerem. 11. *Quid eſt, quod dilectus meus facit in domo mea ſcelera multa?* Tertio modo peccatum religioſi poteſt eſſe majus propter ſcandalum, quia ad vitam ejus pluresreſpiciunt. Unde dicitur Jerem. 23. *In prophetis Jeruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacii: & confortaverunt manus peſſimorum, ut non converteretur unuſquiſque a malitia ſua.*

Sciendum II. Quod, ſi religioſus non ex contemptu, ſed ex infirmitate, vel ex ignorantia aliquod peccatum, quod non eſt contra votum ſuæ profeſſionis committat abſque ſcandalo (puta in occulto) levius peccat eodem genere peccati, quam ſæcularis: quia peccatum ejus, ſi ſit leve, quaſi abſorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit: &, ſi ſit mortale, facilius ab eo reſurgit. Primo quidem propter intentionem, quam habet rectam ad Deum, quæ, etſi ad horam intercipiatur, de facili ad priſtina reparatur. Unde ſuper illud Pſal. 36. *Cum ceciderit, non collidetur*, dicit Origen. ho. 4. *Injuſtus, ſi peccaverit, non pœnitet, & peccatum ſuum emendare neſcit: Juſtus autem ſcit emendare, ſcit corrigere.* Juvatur etiam a ſociis ad reſurgendum, ſecundum illud Eccleſ. 4. *Si unus ceciderit ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe.*

Sciendum III. Quod juſti non de facili peccant ex contemptu, ſed quandoque labuntur in aliquod peccatum ex ignorantia, vel infirmitate, a quo de facili relevantur. Si autem perveniant ad hoc, quod ex contemptu peccent, efficiuntur peſſimi, & maxime incorrigibiles, ſecundum illud Jerem. 2. *Confregiſti jugum, dirupiſti vincula, dixiſti: Non ſerviam. In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Unde Auguſt. dicit in Epiſt. 117. ad plebem Hipponenſem: *Ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam, qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quam, qui in monaſteriis ceciderunt.* Videant igitur quan-

tum criminis incurrant ii, qui favent religiosis prælatos suos contemnentibus, fiunt enim eorum criminum participes.

CAPUT XI.

De differentia religionum.
2. 2. quæst. 188.

DEinde considerandum est de differentia religionum, de qua scribitur in Psal. 44. ad ornatum Reginæ, scilicet Ecclesiæ, pertinere, quod sit circumamicta varietate. Circa quem

Sciendum I. Quod, sicut ex supradictis patet, status religionis est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis. Sunt autem diversa charitatis opera, quibus homo vacare potest: sunt etiam diversi modi exercitiorum; & ideo religiones distingui possunt dupliciter. Uno modo secundum diversitatem eorum, ad quæ ordinantur, sicut, si una religio ordinetur ad peregrinos hospitio suscipiendos, & alia ad visitandos, vel redimendos captivos. Alio modo potest esse diversitas religionum secundum diversitatem exercitiorum, puta, quod in una religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, aut per aliquid aliud hujusmodi. Sed, quia finis est potissimum in unoquoque, major est religionum diversitas, quæ attenditur secundum diversos fines, ad quos religiones ordinantur, quam quæ attenditur secundum diversa exercitia.

Sciendum II. Quod status religionis ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ se extendit ad dilectionem Dei, & proximi. Ad dilectionem autem Dei directe pertinet contemplativa vita, quæ soli Deo vacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quæ deservit necessitatibus proximi: & sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum; ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Unde & hujusmodi obsequia proximis facta, in quantum ad Deum referuntur, dicuntur esse sacrificia quædam, secundum illud ad Hebr. ult. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*. Et quia ad religionem proprie pertinet sacrificium Deo offerre, ut supra habitum est, consequens est, quod convenienter religiones quædam ad opera vitæ activæ ordinantur. Unde dicitur Jac. I. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc est, visitare pupillos in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

Sciendum III. Quod, sicut dictum est, religio institui potest non solum ad opera vitæ contemplativæ, sed etiam ad opera vitæ activæ, in quantum pertinent ad subventionem proximorum, & obsequium Dei: non autem in quantum pertinent ad quid mundanum tenendum. Potest autem officium militare ordinari ad subventionem proximorum non solum quantum ad privatas personas, sed etiam quantum ad totius reipublicæ defensionem: ordinari etiam potest ad conservationem divini cultus. Unde convenienter potest institui aliqua religio ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem divini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum, secundum illud Psal. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Religio autem non sic instituitur ad militandum, quod religiosis propria auctoritate liceat bella gerere, sed solum auctoritate principum, vel Ecclesiæ.

Sciendum IV. Quod magis procuratur utilitas proximorum per ea, quæ pertinent ad spiritualem animæ salutem, quam per ea, quæ pertinent ad subveniendum corporali necessitati, quanto spiritualia corporalibus sunt potiora. Unde dictum est in 2. p. tr. 3. quod eleemosynæ spirituales sunt corporalibus potiores. Hoc etiam pertinet magis ad obsequium Dei, cui nullum sacrificium est magis acceptum, quam zelus animarum, ut Greg. dicit ho. II. in Ezech. Majus etiam est spiritualibus armis contra errores hæreticorum, & tentationes dæmonum fideles defendere, quam corporalibus armis populum fidelem tueri: & ideo convenientissimum est ad prædicandum, vel ad confessiones audiendum, & ad alia hujusmodi, quæ pertinent ad salutem animarum, aliquam reli-

religionem inſtitui. Quod autem aliquis auctoritate prælatorum prædicet, vel alia hujuſmodi faciat, non ſupergreditur diſcipulatus, vel ſubjectionis gradum, qui competit religioſis. Miniſter enim eſt inſtrumentum animatum, ut Philoſ. dicit in 1. Politic. cap. 3. operatur enim in virtute alterius.

Sciendum v. Quod, ſicut dictum eſt, religio poteſt ordinari ad vitam activam, & ad vitam contemplativam. Inter opera autem vitæ activæ principaliora ſunt illa, quæ ordinantur directe ad ſalutem animarum: ſicut prædicare, confeſſiones audire, & alia hujuſmodi. Competit ergo ſtudium litterarum religioſis tripliciter. Primo quidem quantum ad id, quod eſt proprium contemplativæ vitæ, ad quam ſtudium litterarum coadjuvat, & directe mentem illuminando circa divina, & indirecte, errores ſcilicet removendo. Secundo neceſſarium eſt ſtudium religioſis ad prædicandum, & alia hujuſmodi exercendum, quod pertinet ad vitam activam. Tertio ſtudium litterarum religioni congruit, quantum ad id, quod eſt omni religioni commune: valet enim ad vitandum carnis laſciviam. Avertit enim animum a cogitatione laſciviæ, & carnem macerat propter ſtudii laborem. Unde & Hieron. dicit ad Ruſticum. *Ama ſcripturarum ſtudia, & carnis vitia non amabis.* Valet etiam ad auferendam cupiditatem divitiarum: Unde Sap. 7. dicitur: *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* Valet etiam ad obedientiæ documentum, ut Aug. dicit in lib. de oper. Monach. c. 17. Et ideo manifeſtum eſt, quod congrue poteſt inſtitui religio ad ſtudium litterarum.

Sciendum vi. Quod Philoſophi profitebantur ſtudia litterarum, quantum ad ſæculares doctrinas, quæ ſine charitate inflant, & per conſequens diſſenſiones pariunt. Sed religioſis competit principaliter intendere ſtudio litterarum pertinentium ad doctrinam, quæ ſecundum pietatem eſt, ut dicitur ad Tit. 1. Aliis autem doctrinis intendere non pertinet ad religioſos, quorum tota vita divinis obſequiis mancipatur, niſi in quantum ordinantur ad ſacram doctrinam. Unde Aug. dicit in lib. 6. Muſicæ in fin. *Nos, dum negligendos eſſe non exiſtimamus, quos hæretici rationis, & ſcientiæ fallaci pollicitatione decipiunt, tardius incedimus conſideratione ipſarum viarum. Quod tamen facere non auderemus, niſi multos pios Eccleſiæ Catholicæ matris optimæ filios eadem refellendorum hæreticorum neceſſitate feciſſe videremus.*

CAPUT XII.

De comparatione religionum quantum ad perfectionem. 2. 2. quæſt. 188. a. 6.

Triplex comparatio conſideranda inter religiones occurrit. Prima eſt inter eas, quæ vacant vitæ contemplativæ, & eas, quæ vacant vitæ activæ. Secunda inter mendicantes, & non mendicantes. Tertia inter ſolitarios, & cœnobitas. Circa quod

Sciendum I. Quod differentia unius religionis ad aliam principaliter quidem attenditur ex parte finis: ſecundario autem ex parte exercitii. Et, quia non poteſt aliquid dici altero potius, niſi ſecundum id, in quo ab eo differt, ideo excellentia unius religionis ſuper aliam principaliter quidem attenditur ſecundum religionis finem, ſecundario autem ſecundum exercitium. Diverſimode autem utraque comparatio attenditur. Nam comparatio, quæ eſt ſecundum finem, eſt abſoluta, eo, quod finis propter ſe quæritur. Comparatio autem, quæ eſt ſecundum exercitium, eſt reſpectiva, quia exercitium non quæritur propter ſe, ſed propter finem: & ideo illa religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem abſolute potiorem, vel quia eſt majus bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Si vero ſit finis idem, ſecundario attenditur præeminentia religionis non ſecundum quantitatem exercitii, ſed ſecundum proportionem ejus ad finem intentum. Unde & in Collationibus Patrum collat. 2. c. 3. introducitur ſententia B. Antonii, qui prætulit diſcretionem, per quam aliquis omnia moderatur, & jejuniis, & vigiliis, & omnibus hujuſmodi obſervantiis. Quibus præſuppoſitis,

Sciendum II. Quod opus vitæ activæ eſt duplex. Unum quidem, quod ex pleG 2 nitu-

nitudine contemplationis derivatur: sicut doctrina, & prædicatio, ut Greg. dicit ho. 5. in Ezech. Et hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim majus est illuminare, quam lucere solum: ita majus est contemplata aliis tradere; quam solum contemplari. Aliud autem opus est activæ vitæ, quod totaliter consistit in actione, seu occupatione exteriori, sicut eleemosynas dare, hospites recipere, & alia hujusmodi, quæ sunt minora operibus contemplationis, nisi forte in casu necessitatis, ut ex supra dictis in tract. 2. patet. Sic ergo summum gradum in religionibus tenent, quæ ordinantur ad doctrinam, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundum quod una religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere, sicut inter opera vitæ activæ potius est redimere captivos, quam recipere hospites: & in operibus vitæ contemplativæ potior est oratio, quam lectio. Potest etiam attendi præeminentia, si una earum ad plura horum ordinetur, quam alia, vel si convenientiora statuta habeat ad finem propositum consequendum.

Sciendum III. Quod perfectio non consistit essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela. Paupertas autem est sicut instrumentum, vel exercitium perveniendi ad perfectionem, sicut supra dictum est, in quantum per remotionem divitiarum tolluntur quædam charitatis impedimenta, scilicet sollicitudo, amor divitiarum, & inanis gloria, vel elatio, quæ ex divitiis nascitur. Quorum primum, scilicet sollicitudo a divitiis non potest separari totaliter, sive sint magnæ, sive parvæ; sed solum diminui, si procurentur solum in modica quantitate, quantum sufficiunt ad simplicem victum. Alia vero duo, scilicet amor divitiarum, & elatio, seu gloriatio de divitiis, non consequuntur, nisi abundantes divitias. Differt tamen circa hoc, utrum divitiæ abundantes, vel moderatæ in proprio, vel in communi habeantur. Nam sollicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis se temporaliter amat: sed sollicitudo, quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed communibus intendit. Et, quia religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei usque ad contemptum sui, habere aliquid proprium perfectioni repugnat religionis: habere autem superabundantes divitias in communi est impedimentum perfectionis, licet non totaliter excludat eam: habere autem de rebus exterioribus in communi, quantum sufficit ad simplicem victum, perfectionem religionis non impedit, si consideretur paupertas per comparationem ad communem finem religionum, qui est vacare divinis obsequiis.

Sciendum IV. Quod, si consideretur paupertas per comparationem ad speciales fines religionum, sic præsupposito tali fine, paupertas major, vel minor est religioni accommodata; &, tanto erit unaquæque religio secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. Manifestum est enim, quod ad exteriora, & corporalia opera vitæ activæ indiget homo copia exteriorum rerum: ad contemplationem vero pauca requiruntur. Unde Philos. dicit in 10. Eth. c. 8. *Ad actionem multis opus est, & quanto utique majores sunt, ac meliores, pluribus. Speculanti autem nulla talium ad operationem est necessitas, sed solis necessariis indiget: alia vero impedimenta sunt ad speculationem.* Sic ergo patet, quod religio, quæ ordinatur ad actiones corporales activæ vitæ (puta, ad militandum, vel ad hospitalitatem sectandam) imperfecta esset, si communibus careret divitiis. Religiones autem, quæ ad contemplativam vitam ordinantur, tanto perfectiores sunt, quanto earum paupertas minorem eis sollicitudinem temporalium ingerit. Tanto autem sollicitudo temporalium rerum magis impedit religionem, quanto sollicitudo spiritualium major ad religionem requiritur. Unde

Sciendum V. Quod, sicut manifestum est, majorem sollicitudinem spiritualium requirit religio, quæ est instituta ad contemplandum, & contemplata aliis tradendum

gen

per doctrinam, & prædicationem, quam illa, quæ eſt inſtituta ad contemplandum tantum. Unde talem religionem decet paupertas talis, quæ minimam ſolicitudinem ingerat: manifeſtum eſt autem, quod minimam ſolicitudinem ingerit conſervare res uſui hominum neceſſarias tempore congruo procuratas: & ideo tribus gradibus religionum ſuprapoſitis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones activæ vitæ, competit habere abundantiam divitiarum communium. Illis autem religionibus, quæ ſunt ordinatæ ad contemplationem, magis competit habere poſſeſſiones moderatas, niſi ſimul oporteat, tales religioſos per ſe, vel per alios hoſpitalitatem tenere, & pauperibus ſubvenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maxime ab exterioribus ſolicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ ſunt neceſſaria vitæ, congruo tempore procurata conſervantur; & hoc Dominus paupertatis inſtitutor docuit ſuo exemplo. Habebat enim loculos Judæ commiſſos, in quibus recondebantur ei oblata, ut habetur Joan. 12. ad ſuſtentationem diſcipulorum, aliorumque pauperum: & Apoſtoli poſt reſurrectionem, a quibus omnis religio ſumpſit exordium, pretia prædiorum conſervabant, & diſtribuebant, prout cuique opus erat. Qua de re S. Th. hic art. 7.

Sciendum VI. Quod ſolitudo, ſicut & ipſa paupertas, non eſt ipſa eſſentia perfectionis, ſed perfectionis inſtrumentum. Manifeſtum eſt autem, quod ſolitudo non eſt inſtrumentum congruum actioni, ſed contemplationi, ſecundum illud Oſeæ 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. Unde non congruit religionibus, quæ ſunt ordinatæ ad opera vitæ activæ, ſive corporalia, ſive ſpiritualia, niſi forte ad tempus exemplo Chriſti, qui, ut dicitur Luc. 6. *Exiit in montem ſolus orare*. Competit autem religionibus, quæ ſunt ad contemplationem ordinatæ. Conſiderandum eſt autem, quod id, quod eſt ſolitarium, debet eſſe ſibi per ſe ſufficiens. Hoc autem eſt, cui nihil deeſt, quod pertinet ad rationem perfecti: & ideo ſolitudo competit contemplanti, qui jam ad perfectionem pervenit. Quod quidem contingit dupliciter: Uno modo ex ſolo divino munere; alio modo per exercitium virtuoſi actus, ſecundum illud ad Hebr. 5. *Perfectorum eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali*.

Sciendum VII. Quod ad exercitium virtuoſi actus juvatur homo ex aliorum ſocietate dupliciter. Uno modo quantum ad intellectum, ut inſtruatur in his, quæ ſunt contemplanda. Secundo quantum ad affectum, ut ſcilicet noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo, & correctione aliorum. Et ideo vita ſocialis neceſſaria eſt ad exercitium perfectionis: ſolitudo autem competit jam perfectis. Sicut ergo id, quod jam perfectum eſt, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur: ita vita ſolitariorum, ſi debite aſſumatur, præeminet vitæ ſociali. Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima, niſi per divinam gratiam ſuppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, ſicut patet de beatis Antonio, & Benedicto. Unde dicit Hier. ad Ruſticum. *De nido monaſteriorum hujuſcemodi volumus egredi milites, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui ſpecimen converſationis ſuæ multo tempore dederunt*. Qua de re S. Thom. hic art. 8.

CAPUT XIII.

De his, quæ pertinent ad ingreſſum religionis. 2. 2. quæſt. 189.

Deinde conſiderandum eſt de his, quæ pertinent ad ingreſſum religionis. Et primo de his, quæ profeſſionem ſolemnem religionis præcedunt. Secundo de ipſa profeſſione ſolemni religionis. Tertio de conſequentibus profeſſionem ſolemnem religionis. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod, ſicut ex ſupra dictis patet, ſtatus religionis eſt quoddam ſpirituale exercitium ad conſequendam charitatis perfectionem, quod quidem fit, in quantum per religionis obſervantias auferuntur impedimenta perfectæ charitatis. Hæc autem ſunt, quæ implicant affectum hominis ad terrena. Per hoc autem, quod affectus hominis implicatur ad terrena,

non solum impeditur perfectio charitatis, sed interdum etiam ipsa charitas perditur, dum per inordinatam conversionem ad bona temporalia homo avertitur ab incommutabili bono mortaliter peccando. Unde patet, quod religionis observantiæ, sicut tollunt impedimenta perfectæ charitatis, ita etiam tollunt occasiones peccandi: sicut patet, quod per jejunium, vigilias, & obedientiam, & alia hujusmodi, retrahitur homo a peccatis gulæ, & luxuriæ, & quibuscumque aliis peccatis. Et ideo religionem ingredi non solum expedit his, qui sunt exercitati in præceptis, ut ad majorem perfectionem perveniant: sed etiam his, qui non sunt exercitati, ut facilius peccata vitent, & perfectionem assequantur. Unde Dominus Matthæum publicanum, qui in observantia præceptorum exercitatus non erat, advocavit ad consiliorum observantiam. Dicitur enim Lucæ 5. *Relictis omnibus secutus est eum*.

Sciendum II. Quod, sicut supra dictum est, cum de voto ageretur, unum, & idem opus ex voto factum est laudabilius, quam si sine voto fiat, tum quia vovere est actus religionis, quæ habet quandam excellentiam inter virtutes: tum quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum faciendum. Et, sicut peccatum est gravius ex hoc, quod procedit ex voluntate obstinata in malum: ita bonum opus est laudabilius ex hoc, quod procedit ex voluntate firmata in bonum per votum. Et ideo obligari voto ad religionis ingressum, est secundum se laudabile. Quod autem aliquis voti transgressor gravius ruat, hoc non derogat bonitati voti, quod de se non dat homini occasionem ruinæ, sed magis subtrahit: sicut nec derogat bonitati baptismi, quod aliqui post baptismum gravius peccent. Ille ergo, qui se obligat ad religionis ingressum, tenetur religionem ingredi, secundum quod se voto obligare intendit, ita scilicet, quod, si intendit se absolute obligare, tenetur, quam citius poterit, ingredi, legitimo impedimento cessante. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, tenetur religionem ingredi, tempore adveniente, vel conditione existente, sicut supra dictum est in tract. de voto.

Sciendum III. Quod obligatio voti ex voluntate procedit. Nam vovere voluntatis est, ut August. dicit, & habetur in Decr. l. 3. tit. 34. c. magnæ, c. licet. In tantum ergo fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas, & intentio voventis. Si ergo vovens intendit se obligare non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere. Si autem intendit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod remanere non tenetur. Si vero in vovendo simpliciter de ingressu religionis cogitavit absque hoc, quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis: unde non tenetur perpetuo in religione permanere. Si tamen intrat, ut statim exeat, non videtur satisfacere voto suo, quia ipse in vovendo hoc non intendit, & ideo tenetur mutare propositum, ut saltem velit experiri, an ei expediat in religione remanere, non autem tenetur ad perpetuo remanendum.

Sciendum IV. Quod, sicut patet ex dictis, vovens simpliciter ingressum religionis, tenetur habere propositum, ut saltem velit experiri, an ei expediat in religione remanere: in hoc autem proposito virtualiter includitur intentio remanendi, si facta experientia prudenter judicet esse sibi expediens illa religio: ergo ex vi voti facti tenetur remanere in religione, purificata conditione: & ideo, si absque rationabili causa retrocedat, reus est fracti voti, ut notat Cajet. Sicuti enim religio non potest absque rationabili causa eum ejicere, quoties probat esse idoneum, & aptum jugo religionis ferendo: ita & ipse vovens, ex vi voti non potest religionem absque justa causa deserere, & peccaret mortaliter non remanendo, ratione voti. Hæc est ergo differentia inter ingressum ex voto, & ingressum absque voto; quod iste, si absque justa causa recedat, notatur tantum defectu inconstantiæ, alter vero perfidiæ in Deum. Uterque autem, si exeat ex aliqua rationabili causa, nullo modo peccat apud Deum, nec dat scandalum proximis, quantum est ex parte sui, quia facit, quod licitum est sibi

ſibi facere, & expediens ei propter rationabilem cauſam, puta infirmitatem, aut debilitatem, aut aliud hujuſmodi.

Sciendum v. Quod duplex eſt religionis votum. Unum ſimplex, quod conſiſtit in ſola promiſſione Deo facta, quæ ex interiori mentis deliberatione procedit. Et hoc votum habet efficaciam ex jure divino. Quod tamen dupliciter impediri poteſt. Uno modo per defectum deliberationis, ut patet in furioſis, quorum vota non ſunt obligatoria, ut habetur extra de regularib. & tranſeuntib. ad relig. Decr. 3. tit. 31. cap. Sicut tenor. Et eadem eſt ratio de pueris, qui nondum habent debitum uſum rationis, per quem ſint doli capaces, quem quidem pueri habent, ut frequentius, circa quartum decimum annum: puellæ vero circa duodecimum, qui dicuntur anni pubertatis. In quibuſdam tamen anticipatur, & in quibuſdam tardatur ſecundum diverſam diſpoſitionem naturæ. Alio modo impeditur efficacia ſimplicis voti, ſi aliquis Deo voveat, qui non eſt propriæ poteſtatis, puta, ſi ſervus etiam uſum rationis habens voveat ſe religionem intrare, aut etiam ordinetur, ignorante domino, poteſt enim hoc dominus revocare, ut habetur in Decr. diſt. 54. c. Si ſervus. Et, quia pueri, vel puellæ infra pubertatis annos naturaliter ſunt in poteſtate patris quantum ad diſpoſitionem ſuæ vitæ, poterit pater votum eorum revocare, vel acceptare, ſi ſibi placuerit, ut expreſſe dicitur de muliere Num. 30. Aliud autem eſt votum ſolemne, quod facit monachum, vel religioſum, quod quidem ſubditur ordinationi Eccleſiæ, propter ſolemnitatem, quam habet annexam. Et hoc ex jure novo Trident. non ſortitur effectum, ut faciat profitentem eſſe religioſum, ſi fiat ante decimum ſextum annum completum.

Sciendum vi. Quod, ſicut dictum eſt in 2. p. cum de pietate ageretur, parentes habent rationem principii, in quantum hujuſmodi: & ideo per ſe eis convenit, ut filiorum curam habeant. Et propter hoc non licet alicui filios habenti religionem ingredi, omnino prætermiſſa cura filiorum, id eſt non proviſo, qualiter educari poſſint. Dicitur enim 1. ad Tim. 5. *Si quis ſuorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Per accidens tamen parentibus convenit, ut a filiis adjuventur, in quantum ſcilicet ſunt in neceſſitate aliqua conſtituti. Et ideo dicendum eſt, quod parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita, quod eis commode aliter, quam per obſequium filiorum, ſubveniri non poſſit, non licet filiis, prætermiſſo parentum obſequio, religionem intrare. Si vero non ſint in tali neceſſitate, ut filiorum obſequio multum indigeant, poſſunt, prætermiſſo parentum obſequio, filii religionem intrare etiam contra præceptum parentum: quia poſt annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſui ſtatus, præſertim in his, quæ ſunt divini obſequii, & magis eſt obtemperandum patri ſpirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut Apoſt. dicit ad Hebr. 12. Unde Dominus, ut legitur Matth. 8. & Luc. 9. reprehendit diſcipulum, qui nolebat eum ſtatim ſequi intuitu paternæ ſepulturæ. Erant enim alii, per quos illud opus impleri poterat, ut Chriſoſt. dicit ibid.

Sciendum vii. Quod ille, qui eſt obligatus ad aliquid certum, non poteſt illud licite prætermittere, facultate exiſtente. Et ideo, ſi aliquis ſit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non poteſt hoc licite prætermittere, ut religionem ingrediatur. Unde ſuperiores tenentur ſub pœna etiam privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ, informationem capere, an volens ingredi religionem fuerit criminoſus, aut ære alieno ſit gravatus, juxta Bullas Siſti V. Cum de omnibus Eccleſiaſticis ordinibus, Gregor. XIV. & Clem. VIII. Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat unde reddat, tenetur facere, quod poteſt, ut ſcilicet cedat bona ſua creditori. Propter pecuniam autem perſona liberi hominis ſecundum jura civilia non obligatur, ſed ſolum res: quia perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ. Unde licite poteſt exhibitis rebus ſuis religionem intrare, nec tenetur in ſæculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat. Alia autem eſt ratio de ſervo: quia ſervitus eſt in pœnam peccati introducta; & ideo per ſervitutem aliquid adimitur homini, quod ei competeret, ne ſcilicet libere de ſua perſona poſſit diſponere: ſervus enim id,

quod est, domini est. Criminosus etiam, quia in persona obligatus est propter crimen, non potest religionem ingredi, nisi jam punitus, vel absolutus sit, & præstito prius juramento de hoc.

Sciendum VIII. Quod, sicut supra dictum est, obligatio voti perpetui præfertur omni alii obligationi. Obligari autem voto perpetuo, & solemni ad vacandum divinis obsequiis competit proprie Episcopis, & religiosis. Presbyteri autem Curati, & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & solemni ad curam animarum retinendam: sicut ad hoc obligantur Episcopi. Unde Episcopi præsulatum non possunt deserere quacumque occasione absque auctoritate Summi Pontificis, ut habetur extra de regularib. & transeuntib. ad religionem, c. Licet. Archidiaconi autem, & Presbyteri curati possunt libere abrenunciare Episcopo curam eis commissam absque speciali licentia Papæ, qui solus potest in votis perpetuis dispensare. Unde manifestum est, quod Archidiaconis, & Presbyteris curatis licet ad religionem transire, ut habetur in Decret. 19. quæst.2. c. Duæ sunt leges. Denique illegitimi, aut ob parentum genealogiam maculati, jure communi non prohibentur ingredi religionem. Unde licite possunt recipi, nisi obstent statuta particularia religionis. Pueri etiam ante annos pubertatis, licet profiteri non possint, possunt tamen cum voluntate parentum in religione recipi, ut nutriantur ibidem, quod est valde expediens, secundum illud Threnor.3. *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua*.

Sciendum IX. Quod inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum præmium merentur. Dicitur enim Jac. ult. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Potest tamen contingere circa hujusmodi inductionem triplex inordinatio. Primo quidem, si violenter aliquis alium ad religionem cogeret, quod prohibetur in Decret. 20. quæst.3. c. Quam pios. Et in Concilio Trident. sess.25. cap.18. de regularib. ubi etiam lata est sententia excommunicationis contra cogentes fœminas fieri, aut non fieri moniales: & contra ad id cooperantes. Secundo, si aliquis simoniace alium ad religionem trahat, muneribus datis, ut prohibetur in Decret. 20. quæst. 2. c. Quam pios. Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in sæculo nutriens eum ad religionem: vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertio, si mendaciis eum alliciat. Imminet enim sic inducto periculum, ne, cum se deceptum invenerit, retrocedat, & sic *fiant novissima illius hominis pejora prioribus;* ut dicitur Lucæ 11.

Sciendum X. Quod circa ingressum religionis tria possunt considerari. Primo quidem ipse religionis ingressus secundum se: & sic certum est, quod ingressus religionis est melius bonum; & qui de hoc dubitat, quantum est in se, derogat Christo, qui hoc consilium dedit. Alio modo potest considerari religionis ingressus per comparationem ad vires ejus, qui est religionem ingressurus. Et sic etiam non est locus dubitationis de ingressu religionis: quia illi, qui religionem ingrediuntur, non confidunt de sua virtute, sed in auxilio divino, secundum illud Isa. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Si tamen sit aliquod speciale impedimentum (puta, infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua hujusmodi) in his requiritur deliberatio, & consilium cum his, de quibus speratur, quod prosint, juxta illud Eccles. 37. *Cum viro sancto assiduus esto*. Tertio autem modo considerari potest modus religionem intrandi, & quam religionem aliquis ingredi debeat: & de talibus potest haberi etiam consilium cum his, qui non impediant.

Sciendum XI. Quod id, quod dicitur 1. Joan. 4. *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, si ex Deo sint;* locum habet in his, quæ dubia sunt, utrum spiritus Dei sint. Sicut dubium potest esse in bis, qui jam sunt in religione, Utrum ille, qui religioni se offert, spiritu Dei ducatur, an simulate accedat. Et ideo B. Benedictus mandat in regula sua cap.58. *Venientibus ad religionem non sit facilis prætendus ingressus: sed probandum est, an spiri-*

spiritus ex Deo sint. Et ad hoc etiam datur tempus probationis, ut dicam in cap. seq. ut sic non sit facilis ad religionem ingressus; & accedentem probent, utrum divino spiritu moveatur. Sed illi, qui ad religionem accedit, non potest esse dubium, an propositum de ingressu religionis in corde ejus exortum sit a spiritu Dei, cujus est hominem ducere ad terram rectam. Nec propter hoc ostenditur non esse ex Deo, quod aliqui retrocedunt. Non enim omne, quod a Deo est, est incorruptibile, alioquin creaturæ corruptibiles non essent ex Deo, ut Manichæi dicunt, neque etiam aliqui, qui habent a Deo gratiam, possent illam amittere, quod etiam est hæreticum.

C A P U T XIV.

De anno probationis professioni solemni religionis præmittendo.

INnoc. III. in Decr. l. 3. tit. de regularib. & transeuntib. ad relig. c. 1. & Concil. Trident. sess. 25. c. 15. statuerunt, ut ad professionem solemnem religionis admittendus per annum integrum novitiatus religionem experiatur, & ipsum religio. Circa quod

Sciendum I. Quod ad annum probationis quatuor conditiones requiruntur. Prima est legitima ætas, nimirum, quod recipiendus sit pubertatem nactus, quæ in viris incipit decimoquarto anno completo: in fœminis vero duodecimo anno completo. Quamvis autem in quibusdam pubertas anticipetur, & in quibusdam tardetur secundum diversam dispositionem naturæ, tamen si annus probationis fiat ante tempus pubertatis, quantumcumque aliquis habeat usum rationis plenum, vel sit doli capax, non habet suum effectum: quia Ecclesia respicit id, quod ut in pluribus accidit. Secunda conditio est, quod receptio novitii sit legitima, seu facta ab habente juridicam potestatem. Tertia conditio est, quod novitiatus fiat in loco ad hoc determinato sub directione magistri. Quarta conditio est, quod novitius deferat habitum religionis ad validum novitiatum peragendum, ut docent Lez. Peyr. Rodr. Azor. Quamvis hanc conditionem non esse necessariam doceant Pal. Pelliz. Abbas, & alii apud Salmant.

Sciendum II. Quod potestas recipiendi novitios jure communi competit prælatis immediatis, scilicet Abbatibus, Prioribus, Præpositis, & aliis hujusmodi, ut constat ex cap. de his, 4. quæ possunt a Prælat. ex consuetudine tamen, vel privilegio Nicol. III. cap. Exiit, de verb. signif. in 6. illam habent Generales in tota religione, Provinciales in tota provincia, & Superiores locales in sua domo, una tamen cum capitulo, nisi lex, statutum, aut consuetudo specialis obstet, ut notant Pelliz. Suar. Salmant. Si prælatus, & alius tantum sint in conventu, & uterque pro novitio suffragium ferat, valida erit receptio, quia totum jus capituli residere potest in uno solo, ut notat Gloss. in cap. 2. de postulat. Qui semel est capitulariter admissus, potest excludi, & exclusus iterum admitti: peccaret autem prælatus absque justa causa id faciens, ut notant Peyr. Pelliz. Salmantic. Probabilius item videtur, quod peccaret mortaliter, si absque rationabili causa, petentem ab ingressu religionis excluderet, ut docent Cajet. Suar. Lez. Salm. contra Sanch. Bordon. Rodrig. abuteretur enim potestate sibi tradita in ædificationem, & non in destructionem religionis.

Sciendum III. Quod intrra Italiam, & insulis adjacentibus novitiatus debet peragi in domibus, vel monasteriis a Sede Apostolica, vel a prælatis de licentia Papæ designatis, ut testantur Lez. Pelliz. Bord. ex quadam bulla Clem. V. quam refert Naldus. In aliis autem regionibus valide fit in qualibet domo, vel monasterio intra ordinem ex c. 1. de regularib. in 6. Et ita declarasse sacram Congr. testatur Sanchez. Si quis tamen ex legitima licentia extra monasterium degit per aliquot menses, adhuc illi tale tempus computari debet, ob præsumptionem juris, quo, qui de legitima licentia degit extra monasterium, intra monasterium censetur commorari. Et ita docent Lez. Peyr. Pal. Pelliz. Sanch. Salmant. Videtur tamen probabilius oppositum, quia sic frustraretur finis legis, qui est, ut novitius experientiam sumat de religionis observantia, & religio experimentum sumat de novitio.

Scien-

Sciendum IV. Quod annus novitiatus debet esse integer, & computari mathematice de momento in momentum, ut docet probabilior sententia cum Suar. Sanch. Lez. Pelliz. contra Rodrig. & Peyr. Debet etiam esse continuus absque morali interruptione, ut ex pluribus probant Sanch. & Suar. & omnia privilegia in contrarium esse sublata a Trident. docent Pal. & Villal. contra Rodr. & Pelliz. Censetur autem interrumpi moraliter, quando novitius dimisso habitu exit a monasterio animo non redeundi, quia tunc censetur completa derelictio status, ut notant Dian. & Peyr. contra Less. & Garc. qui ducunt non interrumpi moraliter, si novitius pœnitens facti post aliquos dies redeat. Si autem injuste expellatur a religione, & post aliquot menses, cognito errore, denuo recipiatur, dicunt Pelliz. & Bord. quod debet illi computari tempus præteritum peractum in probatione: immo etiam tempus intermedium, quo extra mansit. Denique non interrumpitur novitiatus per hoc, quod non conjungatur immediate cum professione, ut docent Sylv. Rodr. Salmant. contra Suar. Peyr. & ita declarasse sacram Congr. docent Sanchez, & Pelliz. Neque per hoc, quod novitius toto tempore novitiatus ægrotet, ut docent Suar. Sanch. Bord. neque per hoc, quod per multum tempus incidat in amentiam, ut est communis sententia: in quo casu, non esse tempus amentiæ supplendum docent Pal. Bord. Salmant. contra Barb. Lez. Sylv.

Sciendum V. Quod semper, & in omni casu, etiamsi de una ad aliam religionem fiat transitus, debet integer, & continuus annus novitiatus præmitti ad professionem: & ita declarasse S. Congr. refert Barb. In uno tantum casu ex privilegio bullato a S. Pio V. concesso monialibus S. Dominici, & aliis per communicationem, valet professio emissa ante completum annum novitiatus, scilicet in mortis articulo, ut docent Lez. Sanch. Peyr. contra Barb. Rodr. Portel. Si quis vero ficto animo novitiatum inchoavit, non est necesse, quod postea suppleat tempus transactum, si animum mutet, ut docent Suar. Sanch. Bord. Nec etiam est necesse, ut iteret novitiatum, qui fuit invalide receptus, sive defectus appareat ante, sive post professionem, quando postea fit habilis, ut docent Lez. Sanch. Portel. contra Navar. Rodrig. Sed notat Sanch. in tali casu dispensationem esse impetrandam, vel consensum capituli, tacito nomine religiosi, si nullitas sit secreta.

Sciendum VI. Quod novitius, sine ulla causa recedens a religione, non peccat mortaliter, ut est certum, quia nulla hic datur obligatio præcepti, aut voti: immo nec etiam venialiter peccat, habet enim in hoc omnimodam libertatem: nec tenetur, si bona fide ingressus est, solvere expensas factas a monasterio pro victu, & vestitu ipsius, nisi præcesserit pactum expressum, aut tacitum, ut docent Pelliz. Pal. Villal. Si vero mala fide, & ficto animo ingressus sit, tenetur in conscientia solvere expensas, nisi obsequia ab ipso præstita, & necessaria monasterio, æquivaleant dictis expensis: quia non debet ex sua culpa commodum reportare. Si vero novitius aliquid donet monasterio pro victu, & vestitu, tenetur monasterium illi egredienti restituere totum, præter id, quod pro rata temporis in victu, & vestitu consumpsit, ut patet ex Triden. sess. 25. c. 16. Quod, si monasterium renuat solvere, potest Episcopus etiam per censuras compellere ad restitutionem. Insuper, ne libertas exeundi minuatur, statuit Trid. cit. ne ante professionem aliquid ex bonis novitii in notabili quantitate monasterio tribuatur, sub pœna excommunicationis, tam contra dantes, tutores scilicet, parentes, aut propinquos, quam contra recipientes: quam excommunicationem esse ferendæ sententiæ, docent Pelliz. Peyr. Salmant.

Sciendum VII. Quod novitii tenentur ad regulares observantias, non quidem directe, & per se, quia non sunt adhuc regulam professi: sed ex quadam decentia, & ne aliis scandalum generent, aut pravum præbeant exemplum, ut docent Suar. Sanch. Pal. Salmant. Per consequens non subjacent prohibitionibus, & pœnis statutis generaliter contra religiosos, nisi specialiter exprimantur: quia licet in favorabilibus veniant nomine religiosi, non tamen in odiosis. Subjacent tamen jurisdictioni religionis eo modo, & non amplius, quo Clerici subduntur suis Episcopis in ordine ad debitam gubernationem, & directio-

ctio-

ctionem in utroque foro: Sunt enim tempore novitiatus exempti a jurisdictione tam Episcopali, quam laicali, & gaudent omnibus privilegiis, & exemptionibus, sicut alii religiosi, quia sunt in potestate religionis, & pars illius, ut declaravit Clemens VIII. & docent Sanch. Suar. Pelliz. Lez. Bord. contra Rodr. & Portel. Unde possunt absolvi a reservatis, sed solum ab approbato a Superiore ad audiendas confessiones novitiorum: licet possint etiam confiteri cuique approbato ab Ordinario, sive intra, sive extra religionem. Item possunt eligere sepulturam, quam, si non eligant, in monasterio, in quo decedunt, sepeliendi sunt ex consuetudine, & privilegio, ut ex communi docent Suar. Lez. Mirand. Salmant. Quæ omnia intelligi debent, si sincero, & non ficto animo, religionis habitum sumpserint, ut notant Salmanticens.

CAPUT XV.

De solemnitate a Tridentino requisita pro renunciationibus novitiorum.

DEinde considerandum est de solemnitatibus requisitis a Concilio Tridentino pro valida renunciatione bonorum temporalium, quæ solet fieri a Novitiis in favorem tertii. Circa quod

Sciendum I. Quod circa renunciationes bonorum temporalium, quæ fiunt irrevocabiliter in favorem tertii, ita statuitur in Trident. sess. 25. c. 16. de regular. *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.* Quod decretum comprehendit omnes donationes liberas inter vivos, omnes contractus lucrativos, omnem renunciationem quorumcumque bonorum temporalium, officiorum, dignitatum, & aliorum hujusmodi, etiam si fiant a majoribus sexdecim annorum, ne novitius libertatem exeundi amittat, eo, quod videat totam, vel majorem partem suæ substantiæ donasse, nec de facili eam recuperare posse, ut ex communi notant Barb. Salm. Pelliz.

Sciendum II. Quod in prædicto decreto non comprehenditur testamentum, Codicillus, aut aliæ donationes causa mortis, quæ ex natura sua semper sunt revocabiles, & ideo novitio non adimunt libertatem exeundi a religione. Potest ergo novitius ante professionem testamentum facere, quando vult, absque solemnitate requisita a Trident. pro renunciationibus, quod, professione secuta, quæ est mors civilis, confirmatur, ut est certum apud omnes: nec revocatur per ingressum in religionem: nec religio succedit novitio morienti ab intestato, sed ejus legitimi hæredes, ut probabilior fert sententia apud Salmant. In testamento, sicut etiam in renunciatione facta in subsidium causæ piæ, puta, ad dotandas virgines, potest novitius sibi reservare electionem personarum, quibus suus hæres, vel renunciatarius debeat quot annis solvere certam summam, si id de licentia suorum superiorum faciat, dummodo non obstet statutum religionis. Potest etiam post professionem, testamentum, aut renunciationem a se factam declarare, ut docent Sanchez, Regin. Peyr. Probabile etiam est, in supradicto decreto non comprehendi renunciationes, quæ fiunt ante ingressum religionis, etiam si fiant intuitu ingressus, uti docent Garc. Vill. Lez. Barb. quia Trident. loquitur de religiosis, quales adhuc non sunt, qui religionem non sunt ingressi. Sed valde probabile est oppositum, attento fine talis decreti, uti docent Mol. Miran. Layman, Less. Fag. Azor. & alii apud Salmant.

Sciendum III. Quod licentia Episcopi, vel ejus Vicarii requisita ad valorem renunciationis, sufficit, sive sit expressa, sive tacita, & ratihabitione de præsenti, etiam si non sit in scriptis: immo etiam valida erit renunciatio facta sub conditione, quod postea Episcopus eam approbet, purificata tamen conditione, ut docent Sanch. Pelliz. Garc. Invalida tamen erit, si fiat absque ulla licentia, etiam si fiat sub conditione secuturæ professionis, quia non servaretur solemnitas requisita a Trident. uti docent Miran. Portel. Laym. Sanch. Rodr. con-

contra Less. Pal. Barb. Mol. Ad ejus autem valorem, quando est facta cum debita licentia, sufficit, quod fiat bimestri ante tempus, quo poterat fieri professio, etiamsi postea professio ob aliquam causam differatur, ut declaratum esse a sacra Congr. refert Barb. vel, si ratione mortis imminentis ex privilegio Pii V. anticipetur professio, poterit etiam tunc fieri renunciatio, ut docent Pelliz. Garc. Peyr. Pal. Salmant. contra Sanch. & Barbos.

Sciendum IV. Quod renunciatio inter vivos, facta cum solemnitate requisita a Trident. irrevocabilis est, utpote dum pendet conditio professionis secuturæ: poterit tamen revocari ratione ingratitudinis renunciatarii in omnibus casibus, in quibus revocari possunt donationes inter vivos, sicut dictum in 2. parte. Et docent Laym. Pelliz. Si tamen non sequatur professio, per se ipsam cessat, ut patet expresse ex supra dicto decreto, etiamsi renunciatio facta sit in favorem causæ piæ, aut ipsius religionis. Unde plures inferunt, quod nulla est talis renunciatio, etiamsi professio non sequatur ratione præmaturæ mortis ipsius novitii. Ita Pelliz. Garc. Villal. Rodr. aliique contra Lez. Suar. Sanch. Salmant. Nam non existente conditione requisita a Trident. ad valorem renunciationis, hæc invalida est. Denique ad valorem renunciationis requiritur, quod professio secuta sit valida, uti notant Less. Villal. Pelliz. nam renunciatio valorem habet ex professione.

Sciendum V. Quod in supradicto decreto Tridentini comprehenduntur renunciationes beneficiorum Ecclesiasticorum, & pensionum, quas Novitius ante susceptionem habitus religiosi obtinuerat. Unde non vacant, nisi professione secuta, nec aliter vacare possunt: quare Episcopus non potest illa conferre ante Novitii professionem, sicut sæpe declaratum est a sacra Congreg. teste Sanchez, qui addit valide posse Novitium de novo accipere beneficium Ecclesiasticum, quamvis illicita erit collatio illius, non autem pensionis, ut sentiunt etiam Lez. & Peyrin.

Sciendum VI. Quod in dicto Decreto non continentur donationes parvi momenti etiam inter vivos, factæ etiam Monasterio, quia non possunt impedire libertatem egressus, sicut notant Lez. Garc. Suar. Nec etiam contractus onerosi, puta emptionis, venditionis, & alii hujusmodi, qui sunt utrinque lucrativi: bene vero comprehenduntur fidejussio, etiam pretio accepto. Mutuum non præstita cautione sufficienti a mutuatario, vel ab aliis, ut declaratum esse a Sacra Congr. testatur Garcia. Item depositum, sicut & mutuum cum sufficienti cautione datum pignoratoria, aut fidejussoria, non comprehendi in dicto Decreto, affirmant Peyr. Sanch. Suar. Pal. contra Miran. Lez. Pelliz. Laym.

Sciendum VII. Quod invalida est renunciatio hæreditatis nondum obtentæ, sed speratæ a patre, vel ab alio, ipso vivente, & non consentiente, si fiat in favorem determinatæ personæ, ne detur occasio machinandi mortem: quæ occasio, cum non habeatur, si fiat in favorem Monasterii, vel alterius causæ piæ, erit valida, uti docent Sanch. Pal. Pelliz. Valida tamen erit renunciatio juris jam acquisiti, etiamsi fiat consanguineo, aut alteri determinatæ personæ, ut docent Sanch. Laym. & Anton. a Spiritu Sancto. Denique validæ sunt dictæ renunciationes, quæ fiunt, servata forma Trident. a Novitiis, etiamsi non observent solemnitates requisitas a jure civili, sicuti docent Mol. Suar. Garc. Rebel. Sanch. Salmant.

CAPUT XVI.

De solemni professione Religionis.

DEinde considerandum est de ipsa professione solemni religionis, in qua ingressus in religionem perficitur. Circa quod

Sciendum I. Quod professio religionis est contractus moralis, per quem homo voluntarie seipsum tradit Deo in determinata religione approbata ab Ecclesia, promittendo tria vota Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ in perpetuum: idque, interveniente Prælati regularis consensu, qui nomine Dei illa acceptat. Duplex autem est, una expressa, alia tacita. Expressa est, quæ fit verbo, vel scripto, vel etiam nutibus consensum sufficienter exprimentibus; adeoque ad illam ex jure communi non requiritur formula verborum determi-

terminata, nec ex parte profitentis, nec ex parte acceptantis: fieri etiam poteſt per procuratorem, ſicut matrimonium: nec ad illius valorem teſtes requiruntur, ſed ſolum ad illius probationem in foro externo. Ad hoc autem, ut fiat licite, debet fieri abſolute; ſi tamen fiat ſub conditione, valebit, purificata conditione, ſicut dictum eſt in 1. p. de Matrimonio. Tacita eſt, quæ ſignis, vel actionibus a jure canonico ſtatutis, inducitur.

Sciendum II. Quod duplex ſignum in jure canonico invenitur pro profeſſione tacita inducenda, ad quæ alia reduci poſſunt. Primum eſt, ſi propriis profeſſorum actibus ſponte, & ſcienter ſe ingerat (puta, ſuſcipiendo ordinem ſacrum ad titulum paupertatis) ut declaratum eſt a Sacra Congr. anno 1609. teſte Lezana. Requiritur autem, quod per triduum perſeveret in tali exercitio actuum profeſſorum in caſu, quo habitum non deferat, ut notant Laym. Leſſ. Sanch. Secundum ſignum eſt, ſi quis per triduum ſciens, & prudens ſponte deferat diſtinctiſſimum profeſſorum habitum: quæ perſeverantia non requiritur, ſi ſimul cum delatione habitus ſe profeſſorum actibus ingerat, etiamſi extra Monaſterium degat, de licentia tamen Prælati, uti docent Sanch. Sylv. Rodr. Sed notandum eſt, quod ad profeſſionem tacitam requiruntur, ut ſit valida, omnes conditiones, quæ ad expreſſam requiruntur, de quibus infra dicetur. Inſuper notandum, quod profeſſio tacita non obligat hominem illi religioni, in qua profitetur, ſed religioni in genere, ita, ut libere poſſit tranſire ad aliam, etiam laxiorem, ut conſtat ex cap. Statuimus, cap. Conſuluiſti, de regular. Unde & religio poteſt illum compellere ad profitendum expreſſe, & ipſe religionem, ut expreſſam ſuam profeſſionem admittat: quia ſua intereſt, ut poſſit eſſe Prælatus, quod ſine expreſſa profeſſione fieri non poteſt ex cap. Nullus, de elect. in 6. & notant Pelliz. & Sanchez.

Sciendum III. Quod ad valorem profeſſionis requiritur, quod acceptetur legitime à Prælato poteſtatem habente. Sufficit autem, quod major pars Capituli conſentiat, etiamſi Prælatus diſſentiat, dummodo ipſo proponente fiat Capitulum. Sed notandum primo, poſſe Capitulum generale, vel alii, ad quos ſpectat, condere ſtatutum, ut profeſſio nonniſi cum talibus conditionibus ſit valida: immo adhuc nullo præcedente Decreto, ſi Conventuale Capitulum reciperet Novitium cum conditione expreſſa, quod non habeat aliquem defectum, proteſtando, ſe nolle conſentire in profeſſionem, ſtante tali defectu, erit nulla profeſſio, ſi datur ille defectus. Si tamen detur ſtatutum ſolum prohibens, non autem irritans profeſſionem ſine aliqua conditione factam, profeſſio erit valida ſine illa; ut ex communi notant Salmant. Notandum ſecundo, quod Superior Prælatus non poteſt admittere Novitium ad profeſſionem ſine conſenſu Capituli illius Domus, in qua Novitiatum peragit, niſi in caſu, quo omnes Capitulares eſſent privati voce activa, ut notant Navar. & Bord. Si vero Prælatus eſſet voce privatus, adhuc cum conſenſu Capituli poteſt ad profeſſionem admittere, ipſo tamen non ſuffragante. Denique, etiamſi Prælatus, vel omnes Capitulares eſſent excommunicati, ſuſpenſi, vel alio impedimento canonico irretiti, adhuc poſſent valide Novitium ad profeſſionem admittere, quia non eſt actus juriſdictionis, ſed dominii, & conſenſus voluntarii ad contractum celebrandum, uti docent Sanch. Suar. Pelliz. Rodr. Salmant.

Sciendum IV. Quod ex vi profeſſionis religioſus tranſit in dominium, & poteſtatem religionis, ad obſequendum ei in omnibus, quæ ſunt juxta regulam, conſtitutiones, & conſuetudines legitimas illius: & ſimul religio tenetur illum alere, & gubernare, ſicut mater filium, dominus ſubjectum, reſpublica civem: quia contractus eſt mutuus. Unde ſequitur, quod religioſus profeſſus tenetur obedire ſuis Prælatis, & ob reverentiam Deo debitam ratione voti, quod pertinet ad latriam; & ob reverentiam Prælatis debitam ratione ſubjectionis, quod pertinet ad Duliam. Quare obedientia religioſi ad virtutem religionis pertinet, tanquam ad imperantem, & ad virtutem obſervantiæ, tanquam ad principium proximum elicientem. Ex alia parte Prælati tenentur ratione officii ex juſtitia providere ſubditos juxta regulæ præſcriptum de neceſſariis ad victum, veſtitum, & alia ſtatui convenientia: & inſuper invigilare, ut obſervent regulas ſui

inſti-

instituti; alias, si frequenter, & passim illas violari permittant, dum possint impedire hujusmodi relaxationem, graviter peccant, etiamsi tales regulæ religiosos particulares non obligent sub mortali: quia tenentur ex officio avertere grave damnum religionis, quod oritur ex eo, quod transgressiones subditorum non corriguntur, ut ex communi docent Salmant. Lug. Sanch. contra Rodrig.

Sciendum v. Quod plures effectus ex valida professione consequuntur. Primus est, quod status religiosus ex parte vinculi indissolubilis est ab intrinseco, & ex natura sua, ex parte quidem religiosi semper, ex parte vero religionis, quando professio est solemnis: an vero ab extrinseco dissolvi possit quoad vinculum per dispensationem; aliqui concedunt, inter quos Cajet. Sed D. Thom. id negat expresse 2.2.q.88. a. 11. Alter effectus, consequens professionem ex opere operato, est remissio plenaria omnium peccatorum quoad pœnam illis debitam, ut colligitur ex cap. Quis aliquando, & docet D. Thom. 2. 2. q. 189. a.3. ad 3. Si enim aliquis eleemosynis factis potest statim satisfacere de peccatis tuis, secundum illud Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime;* multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter divinis obsequiis se mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur in Decr. 33. q. 1. c. Admonere. Unde legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam consequuntur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Imo hanc satisfactionem operari, quoties sincero, & ferventi animo ratificatur professio religiosa eo affectu, ac si de novo fieret, docent Laym. Pal. Peyr. Salm. contra Sanchez.

Sciendum vi. Quod tertius effectus professionis religiosæ est tollere irregularitatem ex defectu natalium quoad susceptionem quorumcumque ordinum: non autem in ordine ad prælaturas, nisi adjungatur dispensatio, quam ex privilegio dare possunt Prælati regulares, ut docent communiter Doctores apud Salmantic. Quartus effectus est tollere maculam delicti in ordine ad actus judiciales, puta testificandi, ut docent Lez. Pal. Pelliz. Quintus effectus est liberatio a patria potestate in odiosis tantum. Sextus effectus est, quod, si ante parentis mortem fiat professio, præteritam abolet ingratitudinem, ob quam exhæredari poterat, ut docent Sylv. Sanch. Pelliz. Lez. Septimus effectus est dirimere matrimonium ratum nondum consummatum. Octavus effectus est, quod in ipsam ex natura sua ipso facto commutantur omnia vota, & juramenta soli Deo facta, per quæ jus tertio non est acquisitum, ut habetur in Decr. lib. 3. tit. 34. cap. Scripturæ, & docet D. Thom. 2. 2. q. 189. ar. 3. ad 3. Quod verum est, etiamsi religiosus habeat expressam intentionem illa non commutandi: quia vota religionis se habent, ut quid universale respectu omnium operationum particularium supererogationis, quæ cadere possunt sub aliis votis particularibus: posito autem universali superfluunt obligationes particulares, ut notat S. Tho. & cum eo Doctores communiter.

CAPUT XVII.

Quibus de causis professio religiosi sit nulla.

DEinde considerandum est de causis irritantibus professionem religiosi, & omnino ejus efficaciam impedientibus, & annullantibus. Circa quod

Sciendum 1. Quod omnes illi, qui vel a natura, vel a jure sunt inhabiles ad statum religiosum, de quibus dictum est in cap. 13. invalide profitentur. Item invalida est professio, quando ex parte admittentis non datur potestas legitima, vel quoad usum impedita. Tertio ex parte profitentis, si non habeat ætatem legitimam, quæ post Concilium Trident. debet esse annorum sexdecim completorum, & mathematice computandorum a die nativitatis. Quarto, si aliquo jure impediatur, vel ex defectu conditionis a jure communi requisitæ, vel a statuto particulari religionis ad valorem professionis exactæ. Quarto, si professio fiat sub conditione substantiæ ipsius contraria, puta, retinendi proprietatem bonorum temporalium. Quinto invalida est professio facta ex metu gravi ex jure canonico, ut omnes fatentur cum D. Thom. 2. 2. q. 189. a. 5. Sexto invalida est, si fiat ex errore circa substantiam, si-

ve talis error sit ex parte recipientis, sive ex parte profitentis. Septimo nulla est in foro conscientiæ ficta, & dolosa professio, defectu consensus. In dubio autem, an professio fuerit valida, necne, præsumendum est fuisse validam in utroque foro, quia possessio stat pro ejus valore, ut ex communi docent Salmantic. tr. 14. cap. 1. quæst. 1.

Sciendum II. Quod, si professio fuit nulla defectu ætatis, aut defectu integri anni probationis, nec etiam in vi voti simplicis obligat: quia ex Trident. sess. 25. c. 15. expresse habetur, nullam in tali casu parere obligationem. Item, si professus expresse intendat, se obligare per vota solum ut constituentia statum religionis, nullo modo manet obligatus, si professio sit nulla. E contra, si expresse intendat se obligare per vota independenter a statu religioso, manebit obligatus in vi voti simplicis, etiamsi professio sit nulla. Si vero absolute fecit professionem, nihil expresse de uno, vel altero cogitando, & sit nulla ex aliquo alio capite, præter duo supradicta, adhuc obligari in vi voti simplicis aliqui dicunt: quia quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo fieri potest, cap. un. de sponsalib. impub. in 6. cap. Quidam, cap. Placet, de conversat. conjug. ubi deciditur, quod conjugati professio facta absque consensu alterius conjugis, quæ profecto est nulla, obligat ad non petendum debitum, adeoque supponit obligare in vi voti simplicis. Ita Sanch. Lez. Navar. Alii vero id negant, quia quod nullum est, nullum potest parere effectum, ut patet de matrimonio, quod ex quocumque capite sit nullum, non valet nec etiam in ratione sponsalium. Ita Less. Cajet. Pal. Becch.

Sciendum III. Quod præcise per fluxum temporis non ratificatur professio nulla, ut patet ex reg. 18. juris in 6. sed requiritur novus consensus validus, & legitimus, ut patet in matrimonio nullo, & docent Pal. Lez. Peyr. Hunc autem consensum apponere debet ratificans professionem sciens, & volens. Si enim nesciat nullitatem professionis, quantumvis illam ratificet, erit semper invalida: quia intendit solum confirmare, quam supponit fuisse a principio validam, non absoluta, sed ex falsa supositione. Ita Pelliz. Garc. Bonac. Sanch. Sed, si nesciens invaliditatem professionis, eam ratificet eo animo expresso, ut, si ex aliquo capite invalida fuit, ex nunc saltem vult habere ratificatam, & validam, revalidatur, ut docent Pal. Pelliz. Less. Nec est in tali casu necesse iterare Novitiatum, si annus integer prolationis fuit peractus, quia jam satisfactum fuit intentioni Tridentini. Si vero annus probationis non fuit integer, supplendum est tempus omissum, quod fieri potest etiam inter professos cum hac intentione: quia nec locus, nec habitus Novitiorum, nec eorum exercitia sunt de substantia Novitiatus, sed experimentum religionis, ejusve institutorum, ut docent Suar. Bonac. Peyr. Potest autem ratificatio fieri non solum expresse, sed etiam tacite, scilicet habitum professorum portando, & illorum exercitiis sponte se ingerendo, supposita tamen notitia nullitatis, quia his positis, præsumitur velle ratificare. Sed hæc præsumptio, dum non constet de opposito animo, nisi post quinquennium non inducitur in foro exteriori ex Trident. sess. 25. c. 14. facta vero ratificatione professionis, religiosus gaudet omnibus privilegiis, honoribus, antiquitatibus, ut si ab initio valide professus fuisset, ut tenent Bonac. & Salmant.

Sciendum IV. Quod ad hoc, ut professio nulla ratificetur, aliqui requirunt consensum utriusque partis exterius explicatum, etiamsi defectus sit solum ex parte unius, puta professi: quia prior consensus ex parte utriusque fuit nullus. Ita Azor. Pal. Basil. Pontius. Alii vero dicunt, quod, si defectus fuit ex parte utriusque, requiritur novus consensus exterius manifestatum ex parte utriusque, quia prior consensus fuit nullus ex utraque parte. Si vero defectus fuit ex parte alterius tantum, sufficit, quod ex hac parte novus apponatur consensus: quia supponitur, quod altera pars adhuc perseveret in priori consensu, ut a simili dicitur de matrimonio revalidando. Sic Sanch. Suar. Less. Pelliz. Alii tandem probabilius dicunt, in nullo casu requiri ex parte utriusque novum consensum, sed sufficit, ut, qui nulliter professus est, novum consensum apponat: quia ex parte admittentis, etiamsi consensus ab initio fuerit nullus ex aliquo capite, sup-

pletur

pletur a Summo Pontifice, nomine prælati, & religionis dictam professionem acceptante, ob bonum pacis, & quietis religiosorum, ut patet ex cap. Significatum, de regul. cap. 1. eod. tit. in 6. quod non currit in matrimonio. Ita Sylv. Navar. Peyr. Bonac. Salmant.

CAPUT XVIII.

De jure reclamandi ob nullitatem professionis.

DEinde considerandum est de jure reclamandi, quod habet nulliter professus. Circa quod

Sciendum I. Quod Trident. sess. 25. cap. 29. de regular. sic decernit. *Quicumque regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse religionem: aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & ordinario. Quod, si autem habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur. Interim vero nullo privilegio suæ religionis juvetur.* Sed, quia circa triplicem conditionem assignatam in hoc decreto, plures sunt difficultates, ideo aliqua notare oportet. Unde

Sciendum II. Circa primam conditionem (nimirum, ut non dimittat habitum, vel fugiat sine licentia ante reclamationem, vel lite pendente illius.) quod Concilium loquitur de eo, qui temere habitum dimittit. Quare, si ex justa causa dimittat habitum, vel exeat, puta, quia non potest obtinere licentiam exeundi ad reclamandum, nisi habitu dimisso: vel, quia non permitteretur litem prosequi, vel a prosecutione impediretur, nisi fugiendo habitu deposito, non ob id amitteret jus, ut audiatur, nec ut apostata esset puniendus, ut notant Sanch. Less. Lez. Pelliz. Si quis vero temere habitum dimitteret, & postea reassumeret, post reassumptionem licitum esset ei reclamare; & audiendus esset, quia verba Tridentini interpretanda sunt, quamdiu ad monasterium non redit, & habitum non induit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, ut docent Sanch. Pal. Mirand. Villal.

Sciendum III. Circa secundam conditionem, (nimirum, quod causæ nullitatis deducantur coram superiore, & ordinario) quod nomine ordinarii intelligitur Episcopus, vel ejus vicarius, aut provisor sedis vacantis, vel Abbas habens jurisdictionem quasi Episcopalem respectu illius territorii, in quo situm est monasterium, ubi reclamans professionem emisit. Per prælatum autem regularem ille intelligitur, qui reclamantem ad professionem admisit, vel ejus successor, seu præfectus illius conventus, in quo professio facta est, & hoc ex jure communi, ut docent Barb. Pal. Sed ex jure particulari, & consuetudine religionum, videndum est ad quem prælatum revisio, seu cognitio talis causæ pertineat, ut tradunt Bord. Pelliz. De substantia autem hujus judicii est, quod ad illud tam ordinarius, quam prælatus regularis copulative concurrant, ut docent Barb. Pelliz. Salmant.

Sciendum IV. Circa tertiam conditionem, (nimirum, quod reclamatio fiat intra quinquennium a die professionis enumerandum) quod decretum Concilii fundatur in præsumptione ratihabitionis tacitæ pro illo quinquennio, vel expressæ: Unde solum locum habet pro foro externo, non vero pro interno, quando vere talis professio ratificata non est. Quare certus de nullitate professionis, non tenetur eam ratam habere, aut perpetuo in religione perseverare, ut docent Sanch. Pelliz. Lez. In dubio tamen tenetur stare professioni, quia pro hac stat præsumptio prudentissima Tridentini. Imo etiam cum sola opinione probabili suæ nullitatis, non poterit reclamare, si æque probabilem habeat opinionem valoris, quia possessio stat pro valore professionis. Sed cum opinione probabiliori nullitatis, poterit licite reclamare, ut docent Sanch. Dian. Garc. Judicium reclamationis inchoatum intra quinquennium, transacto quinquennio, poterit continuari; quia tempore oppor-

tuno

tuno fuit inchoatum, ut notant Bord. Pelliz. Salmant.

Sciendum v. Quod quinquennium numerandum eſt a die profeſſionis, ut expreſſe dicitur in decreto Trident. Unde a dicta die currit tempus etiam ignoranti nullitatem ſuæ profeſſionis, aut impotenti, vel impedito reclamare. Nam dictum decretum non fuit factum in odium negligentiæ non reclamandi, ſed in favorem religionis, ne litibus perturbaretur: quoties autem aſſignatur tempus in favorem, currit tempus ignoranti, & impedito, ut dicit Gloſſa in cap. ſtatutum, verb. numerandum, de præben. in 6. & docent Sanch. Barb. Navar. Alii vero dicunt, quod dictum decretum Trident. fundatur in præſumptione profeſſionis ratificatæ intra quinquennium: hæc autem ratificatio non præſumitur in ignorante nullitatem, aut in impotente, vel impedito ad reclamandum: unde illi numerandum eſt quinquennium a die, quo ceſſat ignorantia, impotentia, & impedimentum. Ita Miran. Portel. Suar. Pal. Salmant.

Sciendum VI. Quod, tranſacto quinquennio, aliqui dicunt, clauſam eſſe omnem viam reclamandi: quia Concilii decretum generaliter, & indiſtincte negat omnem audientiam. Ejus enim intentum eſt obviare litibus, & perturbationibus religionis, quibus certe non obviaret, ſi daretur audientia via extraordinaria reſtitutionis in integrum alleganti ignorantiam, vel impedimentum: & ita declaratum eſſe a Gregor. XIII. & a Sacra Congr. docent Portel. Pariſ. Zevall. Alii vero communiter docent, quod etiam tranſacto quinquennio datur locus in caſu reclamandi via extraordinaria per beneficium reſtitutionis in integrum: quia decretum Concilii fundatur in præſumptione ratificatæ profeſſionis, quæ præſumptio ceſſat in allegante impedimentum, impotentiam, vel ignorantiam. Satis autem fit intento Concilii, & declarationibus adductis per hoc, quod negetur audientia poſt quinquennium via ordinaria. Ita Sanch. Suar. Peyr. Salmant. qui notant, quod minores vigintiquinque annis debent audiri per beneficium reſtitutionis in integrum, etiam ſi non habuerint impedimentum, aut impotentiam reclamandi, vel ignorantiam, quia hic favor eſt a jure eis conceſſum ratione fragilis ætatis.

Sciendum VII. Quod ille, qui ſcit certo, ſe nulliter eſſe profeſſum, tenetur in conſcientia unum ex tribus eligere, vel reclamare, ſi poteſt: vel ratificare profeſſionem; vel, ſi aliter non poteſt, ſe ſubducere ſi fieri poteſt abſque ſcandalo, alias in conſcientia non poteſt alimenta a religione percipere, ſuffragium ferre, prælaturas obtinere, ſacris ordinibus initiari, ſed peccaret graviter illos ſuſcipiendo, & remaneret ab exercitio illorum ſuſpenſus, &, ſi in eis miniſtraret, fieret irregularis: quia non habet titulum, niſi falſum paupertatis, ob quod ordinatur, cum verus religioſus non ſit. Ita Portel. Bonac. Pelliz. Salmantic. Si autem ſine nota, aut ſcandalo fugere non poteſt, nec de facili reclamare, nec nullitatem opportune probare, poterit in tali religione licite permanere, ordines recipere, imo abſolvere a reſervatis, & aliis privilegiis religionis uti, quia adeſt error communis, & titulus coloratus, & lex Eccleſiæ non obligat quando abſque nota, incommodo gravi, aut ſcandalo impleri non poteſt. Ita Pelliz. Leſſ. Peyr. Pal. Salmant.

Sciendum VIII. Quod ſciens certo nullitatem ſuæ profeſſionis, ſi de facili poſſit reclamare, & nullitatem in foro externo probare, nec ab hoc impediatur, peccat mortaliter, & ut apoſtata eſt puniendus, ſi propria auctoritate fugiat, aut habitum dimittat: quia ageret contra decretum Eccleſiæ in re graviſſima, & contra jus fori externi. Verum tamen eſt, quod, ſi ſemel exeat, nullatenus redire tenetur, etiam ſi per excommunicationem citetur: quia citatur non audiendus, ſed puniendus ut apoſtata ex falſa præſumptione facti, ſcilicet, quod vere ſit religioſus. Ita ex communi ſententia Suar. Pal. Salmant. Si vero non poſſit de facili reclamare, vel reclamans ſententiam habeat contrariam, poteſt licite fugere, habitum dimittere, uxorem ducere: non enim tenetur profeſſionem ratificare, nec ad hoc in conſcientia cogi poteſt a judice, ut patet a paritate matrimonii nulli, & docent Sanch. Leſſ. Laym. Pelliz. Navar. Suar. Peyr. In uno tantum caſu tenetur profeſſionem ratificare, quando ſcilicet ex ſua culpa pro-

fessio fuit nulla, quia nimirum ficte professus est absque urgenti causa: unde & juste compelli potest a judice ad professionem ratificandam, a paritate matrimonii, quia decepit religionem in re gravi. Ita Lez. Bonac. Rodr. Ang. Salmant.

Sciendum IX. Quod, qui ficte professus est, justa interveniente causa, in foro externo non potest reclamare nec post, nec intra quinquennium: quia in foro externo non creditur juranti in suum favorem. Ita Sanch. Pelliz. & Ant. a Spiritu Sancto, qui tamen excipit casum, in quo habeat testes de sua ficta intentione. Cæterum talis protestatio proderit tam in foro interno, quam externo, quando professio solum tacite facta fuit: tunc enim signa portationis habitus professorum, & exercitium actuum illorum cum declaratione intentionis contrariæ, non inducunt præsumptionem professionis tacitæ. At in professione expressa non sic, cum adsit factum contrarium declarationi, nisi ex urgenti causa hoc factum esse probetur, puta ex gravi metu. Ita Sanch. Sylv. Navar. Salmant. Tabien. Religio autem potest ejicere, quem scit nulliter esse professum, & nolentem ratificare professionem, tam intra, quam post quinquennium, etiam post sententiam judicis de validitate fundatam in falsa præsumptione, & hoc sine interventu ordinarii: quia hic solum requiritur quando religiosus vult sponte sua exire, & ex alia parte nulli facit injuriam in tali ejectione: & a fortiori potest permittere fugam, ut docent Sanch. Pelliz. Lez. Peyr. Salmant.

Sciendum X. Quod religiosus reclamans debet ali usque ad sententiam diffinitivam exclusive, quia usque tunc ut filius, & pars conventus judicatur, non vero postea. Unde summam debitam pro sententia non ad monasterium, sed ad ipsum solvere spectat, ut docent Bord. Pelliz. & Ant. a Spiritu Sancto, exeunti autem vi reclamationis restituenda sunt omnia bona relicta a consanguineis, & cognatis; non enim intuitu religionis, sed religiosi ratione cognationis, & consanguinitatis censentur relicta: item quæcumque ex hæreditate, legato, donatione, renunciatione, vel alio titulo religioni, vel aliis pervenerunt, quæ non nisi secuta valida professione confirmantur, ut dictum est in cap. 15. Sed non tenetur religio illi reddere quæ acquisivit intuitu status religiosi, puta per conciones, lectiones, & hujusmodi. Ita Pelliz. Salmant. Bordon.

CAPUT XIX.

De potestate ejiciendi a religione incorrigibiles. S. Thom. quodl. 12. a. 36.

Deinde considerandum est de his, quæ validam professionem religionis consequuntur. Et primo de potestate ejiciendi a religione incorrigibiles. Circa quod

Sciendum I. Quod datur in religionibus potestas ejiciendi criminosos, ne alios inficiant: Quod juri naturali est conforme, quia bonum commune præferri debet privato, & praxis ipsa, & communis consuetudo religionum confirmat, & patet ex cap. Cum ad monasterium, de statu monach. & docet D. Tho. cit. ex illo Apostoli. *Auferte malum ex vobis, modicum enim fermentum totam massam corrumpit*. Ad hanc autem expulsionem, utpote quæ est pœna gravissima, & spiritualis, ecclesia non procedit, nisi peccatum religiosi sit grave, scandalosum, & conjunctum cum contumacia in tali peccato, per hoc, quod religiosus criminosus ter punitus, vel monitus, non vult emendari, aut damnatus ob peccatum pœnas ferre recusat, vel e carcere fugiat; vel denique ita vitiis sit assuetus, ut nulla sit spes emendationis. Ita cum D. Tho. cit. Suar. Laym. Pal. Navar. Salmant. & alii contra Abb. Imol. Sylv. Godefr. aliosque, quos refert Sanchez.

Sciendum II. Quod ex decreto S. Congr. ex speciali mandato Papæ editum anno 1624. plura ad hanc expulsionem requiruntur. Primo, ut in posterum nullus dimittatur, nisi sit vere incorrigibilis juxta juris communis dispositionem, sublatis in hac parte statutis, & consuetudinibus cujuscumque religionis, etiam a Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verum etiam unius anni spatio in jejuniis, & pœnitentiis probetur in carceribus, quo elapso, si non resipuerit, ejici possit. Secundo, quod hoc solum a Generali fiat de consensu sex Patrum definitorum, qui eligan-

gantur in capitulo, & ſtructo prius proceſſu. Tertio, quod ejecti, quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericorum incedant, atque ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ ſubſint: & proinde Generalis illico expulſionis ſententiam eidem ordinario notificare teneatur. Quarto exhortantur Superiores ad intentandum prius omnia media, ut reſipiſcant prædicti.

Sciendum III. Quod eadem S. Congr. quinto ſtatuit, ut iidem Superiores nemini ex religioſis expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi religionem. Sexto, ut ejecti extra religionem degentes ſint perpetuo ſuſpenſi ab exercitio ordinum, ſublata locorum ordinariis facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, vel moderandi: quamvis hæc pœna ſit, vel tantum comminatoria, vel non eſt in uſu, ut notant Salmant. Septimo, quidquid in contrarium factum fuerit, irritum, & inane eſſe decernit. Octavo revocat omnia privilegia in hac parte. Inſuper S. Congr. anno 1632. declaravit circa primum, quod, ſi religioſus, qui probatur in carceribus, interim fugiat, non ob id poterit ſtatim ejici, ſed puniri ferrea catena iterum in carcere, donec totum unum annum integrum in ipſa permaneat. Ubi ergo hæc decreta recepta ſunt, nec conſuetudine contraria abrogata, omnino ſervari debent.

Sciendum IV. Quod ubi recepta ſunt ſupradicta decreta, non poteſt ejici religioſus, qui in ſua profeſſione celavit aliquod impedimentum non irritans, quo cognito numquam eſſet admittendus ratione ſtatuti ipſius religionis; quia talis religioſus non eſt vere incorrigibilis juxta juris communis diſpoſitionem, ſublatis in hac parte ſtatutis, & conſuetudinibus cujuſcumque religionis. Sed præſcindendo a prædicto decreto, aliqui dicunt, quod poterit expelli in pœnam, quia religionem decepit celando impedimentum. Ita Verga, Sa, Ant. a Spiritu Sancto. Alii e contra id negant, quia potius zelo religionis, quam malitia, celaſſe præſumitur; adeoque non eſt dignus hac pœna graviſſima; ſuppoſito tamen, quod poſt ingreſſum religionis aliud delictum non commiſerit. Sic Sanch. Rodr. Pal. Bonac. Alii denique diſtinguunt inter impedimenta provenientia a graviſſimis criminibus in ſæculo commiſſis, de quibus Xiſtus V. Clemen. VIII. & Gregor. XV. loquuntur, quando criminoſos in religione recipi vetant, de quibus dictum eſt in cap. 13. & inter alia impedimenta. De primis affirmant, ejiciendos eſſe juxta primam ſententiam: de ſecundis vero negant cum ſecunda ſententia. Ita Patres Salmant. tract. 15. cap. 5.

Sciendum V. Quod illi, qui a religione fuerunt in perpetuum expulſi, votis ſubſtantialibus manent ligati; non tamen tenentur ad alias obſervantias regulares, quarum obligatio pro illo tempore ſuſpenditur, utpote annexa actuali convictui cum aliis religioſis. Unde nec ad officium divinum recitandum tenentur, niſi ſint ordinati in ſacris, nec ad habitum religioſum, aut clericalem portandum: quia, præſcindendo a prædictis decretis S. Congr., non datur lex de hoc, ut docent Leſſ. Pelliz. Bonac. Sanch. Laym. Ad paupertatem tamen tenentur, unde dominium rerum acquirere non poſſunt, ſed quidquid acquirunt monaſterio, debetur poſt mortem illorum ex jure communi: ſed ex conſtit. Gregor. XIII. cameræ Apoſtolicæ, licet in vita eis concedatur libera adminiſtratio in quoſcumque uſus licitos, ut notant Pal. Bonac. Sanch. Item ex voto obedientiæ adhuc continentur ſub prælatorum regularium dominio: & ideo cogi poſſunt, ut redeant: item ſub obedientia Epiſcopi, cui Papa cenſetur ſuas vices committere, ut docent Navar. Suar. Pal. Probabile tamen eſt, quod ex vi voti non ſubjiciantur ordinario, ſed ſicut alii Clerici, ejus juriſdictioni, ut docent Sanch. Lez. Rodr. Azor.

Sciendum VI. Quod religioſus expulſus tenetur, non ſolum ex generali obligatione charitatis mores corrigere, ſed etiam ex ſpeciali ſuæ profeſſionis, ita, ut per ipſum non ſtet quominus iterum recipiatur, ſi religioni placuerit, licet religio ad hoc cogi non poſſit, ut docent Suar. Laym. Lez. Bonac. Salmant. & alii contra Navar. Rodr. Azor. Tolet. Sayr. Nec ſine licentia ſuorum prælatorum poteſt ejectus prædicare, confeſſiones audire, aut doce-

re, & hoc privilegio Innoc. VI. Clem. IV. & Julii II. ficut referunt Peyr. & Cafarzub. Imo in fæculo manens eft infamis infamia facti, ut tenent Miran. Rodr. Pelliz. Non tenetur ejectus ad aliam religionem tranfire, cum fuæ tantum fe obligaverit: quia tamen fuæ voluntati relictus eft, poterit libere propria auctoritate ad quamcumque tranfire, ut docent Pelliz. Pal. Bonac. Sanch. Salmant. contra Suar. Lez. Angel. Denique non tenetur religio etiam correctum denuo recipere, fuppofita jufta fententia perpetuæ expulfionis, ut docent Sanch. Suar. Rodr. Azor. Si autem detur decretum Sacræ Congr. fub Urban. VIII. præcipiens annuatim quærere ejectos, non effe ufu receptum notant Salmant. tract. 15. cap. 5.

CAPUT XX.

De Religiofis apoftatis, & fugitivis.

DEinde confiderandum eft de religiofis apoftatis, & fugitivis. Circa quod

Sciendum I. Quod apoftafia a religione eft receffus, quo religiofus profeffus deferit monafterium animo excutendi in perpetuum obedientiæ jugum, feu deferendi ftatum religiofum. Unde, qui vel ob metum prælati, vel ob vagandi voluntatem, fine licentia prælati recedit a monafterio eo animo, ut ad tempus fit extra poteftatem, ac obedientiam religionis, in foro confcientiæ non eft apoftata, fed fugitivus, adeoque coram Deo non fubjacet pœnis pro apoftatis in jure affignatis, ut ex communi notant Salmant. In foro autem externo, tunc apoftata religiofus præfumitur; & ut talis pœnis in jure affignatis plectendus judicatur, quando per multum tempus extra monafterium vagatur: e contra apoftata non præfumitur, fed folum fugitivus, qui per breve tempus extra vagatur. Ex circumftantiis enim judicatur in foro externo, quarum una eft, fi habitu dimiffo in fuga capiatur: ipfi enim in tali cafu incumbit probare, non animo fe fubtrahendi in perpetuum fugiffe. Unde in Trident, feff. 25. cap. 4. de regular. ftatuitur, religiofos abfque licentia a monafteriis recedentes, poffe ab ordinariis puniri tamquam defertores fui inftituti. Quæ dicta funt ex jure communi; nam quis ex jure fpeciali judicandus fit apoftata, vel fugitivus, unufquifque ex ftatutis fui ordinis fcire poteft.

Sciendum II. Quod apoftatæ ex vi folius apoftafiæ nullam aliam pœnam incurrunt ipfo facto, nifi excommunicationem, a qua non poffunt abfolvi, nifi a Summo Pontifice, vel a Generali fui Ordinis, vel ab eo, cui Generalis commiferit, ut eft certum apud omnes; five hæc excommunicatio ex jure communi fit impofita, ut plures docent, five ex diverfis privilegiis religionibus conceffis. Hanc etiam excommunicationem incurrunt, qui apoftatæ a religione cooperantur, fcilicet confulentes, mandantes, recipientes, defendentes, aliove modo auxilium præbentes ad fugam, vel illius perfeverantiam, refervata abfolutione Summo Pontifici, vel Prælatis illius Religionis, ut fupra dictum eft, ob diverfa privilegia Religionibus conceffa ab Innoc. IV. Leon. X. Pio V. ut docent Lez. Rodr. Miran. Pelliz. Peyr. Hanc excommunicationem non incurrunt fugitivi, nifi habitum temere dimittant: quamvis ex privilegiis, illam incurrere doceant Pelliz. Lez. Navar. Suar. Confequenter autem, tam apoftatæ, quam fugitivi, remanent fufpenfi ab exercitio ordinum, quos jam fufceperunt, & a fufcipiendis aliis ordinibus, quos, fi in apoftafia fufceperint, incurrunt fufpenfionem in perpetuum ab exercitio illorum, fi facri funt, ex cap. fin. de apoft. Præter has, nullas pœnas de facto incurrunt, unde non privantur privilegiis fuæ religionis, ut notant Salmant.

Sciendum III. Quod, ficuti ex dictis colligitur, fi religiofus recedat a monafterio fine licentia, animo accedendi ad Superiores, ut aliquid ab ipfis obtineat, vel ut conqueratur de inferioribus prælatis, & recta via ad Superiorem tendat, non eft vere apoftata, vel fugitivus, quia non animo vagandi, aut excutendi jugum obedientiæ fugit. Peccat tamen mortaliter, quia Trident. feff. 24. c. 4. de regular. interdicit religiofis receffum a fuis conventibus abfque licentia Prælati, etiam prætextu Superiores fuos adeundi, nifi ab eis fuerint vocati. Quamvis, fi certo conftaret, vexationem fuiffe injuftam, & nulla

alia

alia via, nisi fugiendo ad superiores, posse evadi, non esset peccatum, saltem mortale, talis fuga: quia Concilium noluit justam defensionem tollere, quæ jure naturali ab omni lege concessa est; uti notant Sanch. Lez. Pelliz. Bonac.

Sciendum IV. Quod, si religiosus damnandus esset capite, mutilatione, vel ei cibus negetur, vel alia necessaria ad sustentationem vitæ, etiam si juste id fieret, adhuc licite posset fugere e custodia, non animo vagandi, sed se superioribus, vel Summo Pontifici præsentandi ad misericordiam implorandam: quia ex jure naturæ conservandi vitam, licitum est tales pœnas, etiamsi justas, fugere, sive ante, sive post sententiam, aut præceptum, ut cum D. Thom. docent Sot. Sylv. Vasq. Sanch. Probabile etiam est, quod liceat ei fugere, si juste damnatus est ad perpetuum carcerem, vel triremes, quia est mors prorogata, & continua, ut docent Ban. Bonacin. Pelliz. Antonius a Spiritu Sancto contra Salmant. Rodr. Peyr. Sanch. Led. qui dicunt esse probabilius oppositum, quia reus tenetur obedire præceptis justam pœnam imponentibus. Hoc certum est, quod alias pœnas mitiores, & justas, reus patienter sustinere tenetur, & peccaret mortaliter religiosus illas fugiens, etiamsi prætextu recurrendi ad superiores, ut docent Sanch. Lez. Peyr. Bannez. Qua de re vide dicta in 2. p. tr. II. de Judiciis.

Sciendum V. Posse prælatos regulares capere, incarcerare, & aliis pœnis afficere apostatas, & fugitivos, ut resipiscant, sicuti constat ex cap. Nobis, de apostat. Quod etiam possunt extra provinciam, & etiam circa subditos alterius prælati ejusdem Ordinis, invocato etiam, si opus est, brachio sæculari, & hoc ex variis privilegiis bullatis, quæ referunt Rodr. Peyr. Pelliz. Tenentur autem prælati regulares summo studio perquirere apostatas, & fugitivos (si forte sit spes illos inveniendi, & sine notabili religionis dedecore fieri possit) enixeque procurare, ut a tali statu perditionis extrahantur, & ad religionem restituantur, tum ex jure naturali obligationis sui officii, tum ex cap. fin. de regular. & ex bulla Pii IV. contra apostatas; etiam si ob eorum incorrigibilitatem postea ejiciendi essent, quia auctoritate superioris, & non propria, debent a religione separari, forte enim vexatio dabit illis intellectum. Si autem prælati regulares in hoc desides sint, aut negligentes, & non adsit monasterium in illis diœcesibus, in quibus reperiuntur apostatæ, & fugitivi, hoc munus Episcopis committitur a Tridentin. sess. 25. c. 4. ut notat Lez. & Sacra Congr. jussu Urban. VIII. decrevit, ut sive habitum portent, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram faciunt, in carcerem conjici, ac superioribus regularibus consignari, secundum sua instituta puniendi.

Sciendum VI. Quod religio tenetur expensas factas pro illorum incarceratione, vel reditione solvere, quia in ejus bonum, & utilitatem exhibentur: non autem, quæ ab ipsis in fuga consumpta sunt, etiam ad sustentationem vitæ, cum non fuerint in bonum ejus. Melius enim religioni esset, quod talibus non darentur, ut fame pressi ad matrem redirent: ipse vero apostata, & etiam religio, si secum apostata bona ferat, tenetur ea solvere ex justitia, ut notant Sanch. Lez. Bona autem fugitivorum quocumque modo acquisita (præter quam acquisita ex beneficio Ecclesiastico, quæ ad Ecclesiam pertinent.) debentur religioni, si fugitivus ad eam redeat: Si vero extra religionem in apostasia, vel fuga moriatur, per modum spolii ad cameram Apostolicam pertinent ex decreto Gregor. XIII. relato a Cherubino. Quod, si ante mortem ea tradat religioni, non tenetur religio illa restituere cameræ, nisi post sententiam judicis, quia talis applicatio bonorum facta cameræ est pœnalis, ut docent Lez. Peyr. Rodr. Suar.

CAPUT XXI.

De dimittentibus temere habitum religionis.

Deinde considerandum est de religiosis, qui habitum religionis temere dimittunt. Circa quod

Sciendum I. Quod religiosi tacite, vel expresse professi debent habitum suæ religionis portare, tanquam signum suæ professionis, ut eis præcipitur in cap. 2. Ut periculosa, de relig. domib. nec temere

illum dimittere. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis ipso facto incurrit sententiam, ut dicitur in cit. cap. sed sub hoc decreto non comprehendi religiosos militares, pluribus docent Salmant. contra Pelliz. Rodriq. & Ant. a Spir. Sancto. Id certum est, apostatas, & fugitivos hanc excommunicationem non incurrere, si habitum religionis non dimittant, ut docent Lez. Navar. Sanch. Ad incurrendam vero hujusmodi excommunicationem requiritur, quod dimissio habitus sit temeraria. Non dicitur autem temerarie dimittere, qui ex ignorantia crassa, dummodo non affectata, vel ex levitate, timore, aliave causa, licet non sufficienti, dimittit: & multo minus si ex justa causa, & rationabili dimittat. Unde

Sciendum II. Quod, si religiosus dimittat habitum, ut liberius prædicet in terris infidelium, vel, ne ab illis deprehendatur, vel, ne ab inimicis insequentibus cognoscatur, non peccat, nec incurrit excommunicationem. Item, si ex usu introducto in aliquo conventu, intra claustra habitum dimittat propter æstivos calores, non peccat, quia temere non dimittit. Nec contra hoc præceptum peccat, qui post patrarum delictum, occultat, vel dimittit habitum, ne a proprio superiore capiatur, aut puniatur: & multo minus si illum dimittit quando injuste vexatur, ut securus fugiat, & se præsentet superiori majori, ut docent Pelliz. Portel. Idem asserunt Sanch. & Pelliz. de religioso, qui, ne cognoscatur in delicto committendo, dimittit habitum, & alium assumit, causa vitandi scandali.

Sciendum III. Quod, si religiosus dimittat habitum, alium autem diversum non induat, non dicitur proprie dimittere: quia hæc est nudatio, ac spoliatio, non autem dimissio, quæ sit causa vagationis, quia non solent tales vagare nudi, aut indecenter vestiti, ut notant Navar. Rodr. Sanch. Si vero, retento habitu, superinduat sæcularem, ita, ut nullo modo exterius appareat habitus religiosus, ut sic liberius incedat, licet peccet ob occasionem vagandi, quam assumit, probabile tamen est, quod non incurrat hanc excommunicationem, ut docent Sayr. Suar. & Ant. a Sp. Sancto. Sed aliis probabilius videtur oppositum, quia formaliter dimittit habitum, qui ut signum religionis est institutus. Ita Sanch. Navar. Lez. Salmant.

Sciendum IV. Probabile esse, quod religiosus non incurrat hanc excommunicationem, si dimisso habitu propriæ religionis, alterius religionis habitum induat, animo in ea vivendi, non vero evagandi. Ita Sanch. Rodr. Pelliz. Less. Sed probabilius est oppositum, quia vere habitum suæ religionis dimittit, ut docent Pal. Sylv. Suar. Salmant. Denique, quoties dimissio habitus est temeraria, & per se occasio evagandi, etiam si sit intra claustra, inducit excommunicationem, ut docent Sylv. Sayr. Sanch. Salmant. contra aliquos. Datur tamen in hoc parvitas materiæ, quia non censetur moraliter dimittere habitum, qui brevi tempore illum dimittit, ut docent Sanch. Tol. Sa, Azor. Pelliz. Salm. aliique contra Lez. Sylv. Sayr. Pal. Suar.

CAPUT XXII.

Utrum liceat de una religione transire ad aliam. S. Thom. 2. 2. qu. 189. a. 8.

IN Decret. 20. qu. 4. dicitur, cap. *Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere dispsoserunt, ibique commanere decreverunt, sancta Synodus concedit*. Et eadem ratio videtur esse de quibuscumque religiosis: ergo potest aliquis licite transire de una religione in aliam. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod transire de religione ad religionem, nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem, non est laudabile, tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur, tum etiam, quia facilius proficit aliquis in religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit, cæteris paribus. Potest tamen aliquis laudabiliter de una religione transire ad aliam triplici ex causa. Primo quidem zelo perfectioris religionis. Secundo propter declinationem religionis a debita perfectione. Tertio propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum provenit, quod non potest aliquis arctioris religionis statuta servare, posset autem servare statuta laxioris.

Scien-

Sciendum II. Quod in dictis tribus casibus potest esse differentia. Nam in primo casu debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ tamen ei negari non potest, dummodo constet, illam religionem esse arctiorem, *& prius superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse eum recipere, qui licentiam petit, tuncque regularis recta via se transferat ad arctiorem*, ut decrevit sacra Congr. jussu Urbani Papæ VIII. Si vero dubitetur, illam religionem esse arctiorem, est in hoc judicium Superioris requirendum, sine cujus licentia transitus fieri non poterit, ut habetur extra, de regular. & transeunt. c. Licet. Similiter requiritur superioris judicium in secundo casu. In tertio vero casu etiam est necessaria dispensatio, quam ex jure communi dare non possunt prælati regulares, ut patet ex Tridentin. sess. 25. c. 19. possunt tamen ex privilegio postea eis concesso a Gregor. XIII. & aliis Pontificibus.

Sciendum III. Quod hujusmodi dispensatio transeundi ad laxiorem religionem valide concedi non potest absque justa causa, cum sit commutatio voti in minus. Causæ autem justæ illam concedendi plures assignantur a Doctoribus. Prima est, si ex transitu speretur major spiritualis profectus. Secunda, si religiosus experiatur gravem difficultatem, & repugnantiam ad exercitia suæ religionis. Tertia, si inique tractetur, vel despiciatur. Quarta, si ob delictum infamatus, magno inde rubore, & tristitia afficiatur in convivendo aliis. Quinta, si infirma sit valetudine. Sexta, si detur aliquod salutis spiritualis impedimentum: & aliæ similes causæ, quæ reducuntur ad tres supra assignatas a D.Tho. ut consideranti patebit.

Sciendum IV. Quod modo ex variis privilegiis religionum, quæ referuntur a Salmant. non licet transitus, sine licentia Summi Pontificis, etiam ad strictiorem religionem, excepto transitu ad Carthusiam. A statu autem laicorum ad statum Clericorum intra eundem Ordinem, potest licite dari transitus ex jure communi, etiam sine causa, quia est transitus ad statum perfectiorem, secundum illud Hieron. ad Rusticum monachum: *Sic vive in monasterio, ut Clericus esse merearis*, Sed ex decreto Sacræ Congr. jussu Clement. VIII. edito, & confirmato ab Urbano VIII. talis transitus prohibetur sine licentia Pontificis. E contra transitus de statu Clericorum ad statum laicorum, etiamsi ad strictiorem religionem fiat, illicitus est sine justa causa, cum sit commutatio voti in minus perfectum, adeoque dispensatione opus sit in lege divina, sicut docet S.Tho. ad 2. & ideo ad hoc nemo cogi potest, nisi in pœnam delicti, quando adhuc ad sacros Ordines non est promotus, ut docent Lez. Pelliz. Suar. Navar.

Sciendum V. Quod, si quis transierit legitime ad aliam religionem, & in eam professionem emiserit, jam liber manet ab omnibus obligationibus prioris religionis, exceptis votis substantialibus: neque prior religio tenetur amplius illum recipere; secus vero, si professionem in secunda non emiserit. Dum tamen in novitiatu secundæ persistit, liber est ab omnibus observantiis primæ, quia est in via ad secundam, cum qua debet conformari: & ideo etiam bona, quæ acquirit post transitum, ad secundam pertinent, ut notant Salmantic. Sed hic notandum cum Pelliz. Less. Sanch. Bon. quod, si quis religiosus fiat eo animo transeundi ad aliam religionem, cum studiorum cursum perfecerit, vel ad Ordines promotus fuerit, peccat mortaliter, quia in re gravi religionem decipit, & ad restitutionem tenetur expensarum, quia peccat contra justitiam. Cum quo tamen stat, quod adhuc postmodum licite possit transire, si expediens sit suæ saluti.

Sciendum VI. Quod in Clement. 1. Ut professores, de regular. plures quasi pœnæ assignantur pro transeuntibus, etiam de licentia Papæ, a religionibus mendicantibus ad non mendicantes. Prima est, privatio vocis activæ, & passivæ. Secunda, privatio loci in capitulo. Tertia, inhabilitas ad quascumque dignitates, & officia, etiam lectoris, Syndici, & hujusmodi. Quarta, privatio loci honorifici debiti ratione antiquitatis. Ex decreto item Concilii Trident. sess. 14. c. 11. translatus de una in aliam religionem inhabilis fit ad beneficia etiam curata extra religionem obtinenda. Denique transiens de una ad aliam religionem, etiam strictiorem, non servato ordine juris, non solum fugitivus cen-

fendus est, ut docent Sanch. Lez. Bonac. Pelliz. sed etiam apostata, ut docent Salmant. Suar. Pal. quia recedit a sua religione in perpetuum: & ut tales appellantur a Greg. XIII. Paulo III. & Pio V. in bullis expeditis pro Societate Jesu: & a Gregor. XIV. pro Carmelitis, ut testantur Salmanticenses.

C A P U T XXIII.

Utrum religiosis liceat appellare a sententiis suorum Prælatorum.

Consequenter ad ea, quæ pertinent ad ingressum religionis, considerandum est de his, quæ licite convenire possunt religiosis, vel non. Et primo, utrum eis licitum sit appellare a sententiis, & correctione suorum Prælatorum. Circa quod

Sciendum I. Quod appellatio, quæ est recursus rei ab interiori Prælato ad superiorem, causa gravaminis in sententia lati, vel ferendi, duplex est. Una proprie dicta, seu juridica, quia nimirum a jure introducta est quantum ad modum, & effectus illius, licet quantum ad substantiam sit de jure naturæ. Alia est improprie dicta, & est simplex querela, vel supplicatio facta a reo superiori Prælato, ut suam causam videat, & ad se advocet, inferiorem inhibeat ante sententiam, vel post illam rigorem temperet in totum, vel in partem. Hæc appellatio impropria nullo jure est prohibita religiosis, sed magis ipso jure naturali concessa: eamque proinde nullus Prælatus inferior licite impedire potest, nisi rationabilis causa adsit: quia ex una parte subditus jus ad illam habet, & ex alia parte Prælato inferiori nullam facit injuriam, cum ejus jurisdictionem non limitet, aut suspendat, cum ejus effectus non sit suspensivus, sed solum devolutivus, ut ex communi docent Sanch. Sayr. Rodr. Pelliz. Suar. Lez.

Sciendum II. Quod appellatio juridica ultra effectum devolutivum, habet etiam suspensivum. Sententiam enim, & jurisdictionem inferioris suspendit, taliter, quod, si aliquid postea in causa egerit, nullum sit, & irritum, l. Ex illa, l. Minime, Cod. de appellat. c. An sit, eod. tit. Excipitur censura jam lata absolute, quæ per appellationem subsequentem non suspenditur, ut patet ex cap. Pastoralis, §. verum, de appellat. cap. Is cui, §. fin. de sent. excom. in 6. Apud Ecclesiasticos, & regulares facienda est appellatio coram Judice, qui sententiam tulit, intra decem dies a manifestatione sententiæ: & ad prosequendam appellationem annus integer a jure conceditur, qui terminus justa de causa prorogari potest usque ad biennium, quod tempus non currit impedito.

Sciendum III. Quod a judicibus arbitris appellari non potest, ut probat D. Thom. 2. 2. q. 59. a. 3. ab aliis vero potest appellari tam a sententia interlocutoria, quando continet damnum irreparabile torturæ, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ut patet ex Trident. sess. 13. c. 1. de reform. imo etiam carceris, ut declaravit Sacra Congr. quam a sententia definitiva, quando reo constat certo, vel probabiliter esse injustam. Si vero constet certo, sententiam esse justam, peccabit mortaliter reus appellando juridice, quia judicem infamat in re gravi, & sine causa impedit ejus jurisdictionem, ut docet D. Tho. cit. Similiter peccat graviter Judex non admittens appellationem legitimam: quia & reo, & Superiori, ad quem est causa devolvenda, injuriam facit, ut notat Navar. In appellatione a sententia definitiva non est necesse exprimere in specie causam gravaminis, nisi in casibus, in quibus est interdicta appellatio: bene vero in appellatione a sententia interlocutoria, sive judicialis sit, sive extrajudicialis. Quibus suppositis,

Sciendum IV. Quod ex jure communi interdicta est religionis appellatio juridica a correctione suorum Superiorum, ut patet ex cap. ad nostram, de appellat. cap. reprehensibilis, cap. cum speciali in fin. eod. tit. Quæ jura intelligenda sunt, quando correctio legitime fit secundum regulam: secus vero quando modum excedit, quia tunc ex jure communi est illis permissa appellatio in cap. Super quæst. cap. de priori, & appellat. & docent Suar. Navar. Azor. Sanch. Ex multis autem privilegiis concessis religionibus a Bonif. VIII. Xisto V. Julio II. & aliis relatis a Sorb. Sanch. Lez. Omnis appellatio juridica, etiam ad sacram Congreg. etiam ad Sedem Apostolicam, religiosis interdicitur. Hoc

autem

autem intelligitur a correctione ordinaria Prælatorum, quamvis modum excedat, ut est certum apud omnes.

Sciendum v. Quod in causis gravissimis, & a sententiis infamiam, vel rigorosam pœnam continentibus, etsi licita non sit religiosis appellatio, quando solum dubium est, vel probabile, sententiam esse injustam, vel Prælatum modum religiosæ disciplinæ excedere, ut est certum, alias supradicta privilegia nihil supra jus commune operarentur: attamen, quando injustitia est manifesta, & alias per simplicem recursum, seu per viam simplicis querelæ, non potest religiosus gravamen evadere, licitum est ei, nec per talia privilegia prohibitum, appellationem juridicam interponere, ut optime probant Vega, Lez. Peyr. Pelliz. Lug. Bord. Quamvis Ban. Salon, & alii dicant, nunquam licere religiosis hujusmodi appellationem ex vi privilegiorum: sed talem appellationem illis concessisse Bonif. IX. Clem. VIII. Leon. X. & Xistum V. testatur Peyrin. falsitatis convincens illorum sententiam, juri naturali omnino contrariam, ut notant Salmant.

Sciendum vi. Quod dicta appellatio juridica in casibus, in quibus licita est, debet fieri hoc ordine, ut constat ex Bullis Pontificum, & declaravit sacra Congreg. pluries, ut refert Petrus ab Angelis: scilicet, ut a Priori appelletur ad Provincialem, ab isto ad Generalem, ab hoc ad Protectorem, & ab isto ad sacram Congregationem, & ab hac ad Pontificem. Qui ordo necessario observari debet, ut docent Petrus ab Angelis, Spatar. Peyr. Pelliz. Salmant. contra Dian. & Lezanam. Duæ tamen exceptiones fieri debent. Prima, quod non vitiatur appellatio ratione non servatæ gradationis, quando immediate a judice inferiori appellatur ad Papam, ut habetur cap. Ad Romanum 2. q. 6. Altera, quod, adveniente rationabili causa (puta, si judex intermedius sit reo suspectus) potest non servari prædictus ordo: quod est juri naturali conforme, ut videre est apud Ludovicum de Amico in sua practica criminali, tit. 3. §. 4.

Sciendum vii. Quod ad Nuncium Apostolicum non potest fieri appellatio a religiosis, nisi hic habeat specialem commissionem, & extraordinariam jurisdictionem a Summo Pontifice supra privilegia, & bullas de hac materia loquentes, ut docent supra citati Doctores. Appellare autem ad tribunalia sæcularia, vel etiam Ecclesiastica, quibus religiosi non subduntur, nullo modo possunt religiosi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex Bonif. IX. Leon. X. & Gregor. XIII. ut refert Confectins. Denique in casibus, in quibus licita est appellatio juridica, licita est etiam recusatio juridica, ante sententiam cujuscumque Prælati, etiam Generalis, quando in tali causa valde suspectus est, quod ob passionem, vel inimicitiam rei, vel amicitiam partis, sit excessurus graviter, vel certitudine morali timetur injuste vexaturus. Ita Sanch. Pal. Peyr. Lez. Pelliz. Quando autem fieri possit recusatio: Quæ causæ sufficiant ad recusandum judicem ordinarium, vel delegatum; Coram quo judice causæ illæ cognoscendæ sint: Quo modo se debeat gerere reus recusans, aut Judex recusatus, & alia huc pertinentia, late tractant Peyrinus, & Petrus ab Angelis.

CAPUT XXIV.

Utrum religiosis liceat docere, prædicare, & alia hujusmodi facere.
2. 2. q. 187. a. 1.

GRegorius dicit, & habetur 16. qu. 1. cap. *Ex auctoritate enim hujusmodi decreti, quod Apostolico moderamine, & pietatis officio nobis est constitutum, sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata absolvere.* Ad quorum evidentiam

Sciendum 1. Quod aliquid dicitur alicui non licere dupliciter. Uno modo, quia habet in se, quod contrariatur ei, quod dicitur non licere: sicut nulli homini licet peccare; quia habet in se quilibet homo rationem, & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum. Et hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid hujusmodi facere: quia habet in se aliquid, quod his repugnat, vel ratione præcepti, sicut his, qui sunt irregulares ex statuto Ecclesiæ, non licet ascendere ad sacros ordines: vel pro-

propter peccatum, secundum illud Ps. 49. *Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* Hoc autem modo non est illicitum religiosis prædicare, docere, & hujusmodi facere: tum quia ex voto, & præcepto regulæ ad hoc non obligantur, quod ab his abstineant: tum etiam, quia non redduntur ad hoc minus idonei ex aliquo peccato commisso, sed magis idonei exercitio sanctitatis, quod assumpserunt, ut dicit Bonif. Papa, & habetur 16. q. 1. cap. Sunt nonnulli.

Sciendum II. Quod alio modo dicitur aliquid non licere alicui, non propter contrarium, quod habeat, sed propter hoc, quod deficit ei, unde illud possit: sicut Diacono non licet Missam celebrare, quia non habet ordinem Sacerdotalem; & Presbytero non licet sententiam ferre, quia non habet Episcopalem auctoritatem. In quibus tamen est distinguendum, quia ea, quæ sunt ordinis, committi non possunt, nisi ei, qui ordinem habet: sicut Diacono non potest committi, ut celebret Missam, nisi fiat Sacerdos. Ea vero, quæ sunt jurisdictionis committi possunt eis, qui non habent ordinariam jurisdictionem; sicut prolatio sententiæ committitur ab Episcopo simplici Sacerdoti. Et hoc modo dicitur non licere monachis, & aliis religiosis prædicare, docere, & alia hujusmodi facere, quia status religionis non dat eis potestatem hujusmodi faciendi. Possunt tamen ista facere, si Ordinem accipiant, vel ordinariam jurisdictionem: aut etiam, si eis committantur ea, quæ sunt jurisdictionis. Quibus suppositis,

Sciendum III. Quod religiosi, etiamsi ad sacros Ordines non sint promoti, possunt prædicare in quibusvis locis, Ecclesiis, aut plateis, & viis publicis, ut concessit Clemens IV. Minoribus, Xistus IV. Carmelitis, & Paulus III. Jesuitis, quod est conforme juri communi, & declaravit sacra Congr. his verbis: *Munus prædicationis committi potest etiam Clericis, qui non sunt in sacris Ordinibus constituti: non enim alicujus Ordinis sacri videtur actus esse*. Ex decretis autem Concilii Trident. sess. 5. c. 2. & Concilii Lateran. sub Leone X. sess. 1. debet regularis examinari, & approbari a suis Prælatis circa mores, & scientiam, ut munus prædicandi exercere valeat: & sine illorum licentia nec etiam in Ecclesiis sui Ordinis prædicare potest: cum qua licentia se personaliter Episcopo præsentare, & ab eo benedictionem petere teneatur antequam prædicare incipiat. In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam licentiam Episcopi habere teneatur, sine qua in ipsius Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare potest. Petita autem benedictione, etiamsi illam non obtineat ab Episcopo, potest in propriis Ecclesiis prædicare, ut declaravit sacra Congregat. anno 1597. Cum licentia autem Episcopi potest in alienis Ecclesiis prædicare, etiamsi contradicentibus Parochis, tum quia Episcopus superior est Parochorum; tum quia ita concessit Alexand. IV. Minoribus, & Prædicatoribus per bullam, quod postea confirmavit Xistus IV. Carmelitis, ut refert Casarrubias.

Sciendum IV. Quod in duobus casibus certum est, regulares non posse prædicare etiam in propriis Ecclesiis, contradicente Episcopo, scilicet hora illa, in qua Episcopus voluerit prædicare, vel coram se facere solemniter prædicare, ut patet ex Clement. Dudum, & Extravag. Inter cunctas. Et licet extra hos casus possint libere prædicare ex dictis juribus; tamen ex Trident. sess. 24. c. 4. habetur: *Nullus autem sæcularis, aut regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat*. Et Greg. XV. in Constit. quæ incipit, *Inscrutabili*, dicit: *Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam sæculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia: & in Ecclesiis suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint*. Sed dicta decreta Trident. & Gregor. loquuntur conformiter ad jus commune, scilicet in supradictis duobus casibus, ut patet ex illorum contextu, & declaratione Sacræ Congr. supra citata.

Sciendum V. Quod licet in alienis Ecclesiis absque Episcopi licentia nullus prædicare possit, etiamsi a Parocho invitatus, ut declaravit Clem. VIII. apud Barbosam: potest

poteſt tamen Parochus dare licentiam viro docto, aut religioſo, ut bis, vel ter concionetur in ſua Eccleſia ex præſumpta licentia, & approbatione Epiſcopi, ut docet idem Barboſa, & cum eo Bord. Rodr. Navar. Salmant. Item aliqui dicunt, poſſe Epiſcopum examinare regularem antequam illi concedat licentiam prædicandi: & ita declaratum eſſe a Sacra Congr. anno 1628. teſtatur Barboſa. Sed hoc manifeſte contradicit decreto ſupra cit. Concil. Lateran. ſub Leone X. in quo examen expreſſe committit ſuperioribus regularium, & ſolum requirit, quod approbatio Superiorum authentica Epiſcopo præſentetur, cui decreto non poteſt derogare declaratio, ſi datur, Sacræ Congr. ut docent Pelliz. Bord. Peyrin.

Sciendum VI. Quod ſex caſus in jure aſſignantur, in quibus poteſt Epiſcopus ſuſpendere a prædicatione regulares, quorum tres habentur in cit. Concil. Lateran. Primo, ſi prædicent miracula falſa, aut incerta. Secundo, ſi prædicent prophetias, quæ in ſacra ſcriptura fundamentum non habent, aut a Sede Apoſtolica non ſunt approbatæ, aut ſaltem ab Ordinario, trium, aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, ſi tempus ad dictam Sedem accedere non permiſerit. Tertio, ſi prædicando, de Epiſcopis, vel de ſuis Prælatis detrahant. Alii tres caſus habentur in Trident. ſeſſ. 5. c. 2. quorum primus eſt, ſi prædicent propoſitiones erroneas. Secundus, ſi prædicent propoſitiones ſcandaloſas. Tertius, ſi prædicent propoſitiones hæreticas. Extra dictos caſus non poteſt Epiſcopus ſuſpendere prædicatorem regularem, aut contra illum procedere, & eum punire: ſed, ſi in aliquo exceſſerit, ad Prælatos regulares pertinet illum corrigere. Et ita declaraſſe Sacram Congr. anno 1602. teſtatur Cherub. quod etiam eſt conforme juri communi.

Sciendum VII. Quod Trident. ſeſſ. 5. c. 2. loquens de Prædicatoribus, dicit: *Plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quæ ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant*. Et ſeſſ. 24. c. 9. præcipit, ne indulgentias non publicatas, vel approbatas per Ordinarios locorum, prædicent. Et idem præcipitur in cap. Religioſi, Clemen. de privileg. Præterea prædicantes miracula falſa incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex Concil. Lateran. ſub Leon. X. ſeſſ. 11. Prohibitum eſt etiam eis a Sacra Congr. ut refert Gavantus, ne inter concionandum pauperes aliquos determinatos commendent ſine licentia Epiſcopi. Illicitum etiam eſt eis prædicare dum exiſtunt in peccato mortali, ut docet D. Thom. ſupra cit. præciſo tamen ſcandalo, non peccant mortaliter, ut notat in præſ. art. Cajet. quia prædicare non eſt actus Ordinis: & idem docent Sot. Lez. Med. Salmant. contra aliquos. Hæc quidem dicta ſunt de prædicatione. Nam circa adminiſtrationem Sacramentorum, præcipue Pœnitentiæ, dicam in tractatu ſequenti.

CAPUT XXV.

Utrum religioſis liceat ſæcularia negotia tractare. 2. 2. quæſt. 187. art. 2.

Deinde conſiderandum eſt, utrum licitum ſit religioſis ſæcularia negotia tractare. Circa quod

Sciendum I. Quod, ſicut ſupra dictum eſt, ſtatus religioſus eſt ordinatus ad perfectionem charitatis conſequendam. Ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio: ſecundario autem dilectio proximi. Et ideo religioſi præcipue, & propter ſe, debent intendere ad hoc, quod Deo vacent. Si autem neceſſitas proximis immineat, eorum negotia ex charitate agere debent, ſecundum illud ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti;* quia in hoc ipſo, quod proximis ſerviunt propter Deum, dilectioni divinæ obſequuntur. Unde dicitur Jac. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum*. Gloſſ. interl. ibid. *Succurrere eis, qui carent præſidio, in tempore neceſſitatis*. Eſt ergo dicendum, quod cauſa cupiditatis ſæcularia negotia nec Monachis gerere, nec Clericis licet. Cauſa vero charitatis ſe negotiis ſæcularibus

bus cum debita moderatione ingerere possunt secundum superioris licentiam in ministrando, & dirigendo: sicut dicitur in Decret. dist. 88. c. Decrevit. Unde

Sciendum II. Quod, sicut ex dictis colligitur, quatuor conditiones requiruntur ad hoc, ut religiosus licite tractet negotia sæcularia. Prima est, quod non ex cupiditate, hoc est propter lucrum, aut emolumentum, aut finem aliquem temporalem hoc faciat, cum sic prohibeatur etiam Clericis in cit. Decret. Secunda est, quod ex charitate hoc fiat: quia sic hujusmodi opera pertinent ad finem religionis. Tertia est, quod de licentia superioris hoc fiat: quia religiosus non est sui juris. Quarta, quod cum debita moderatione hoc fiat: non enim omnis modus ministrandi, & dirigendi decet religiosos; ipsos enim non decet esse exactores, & negotiorum gestores, sæcularibus tumultibus se immiscendo: sed ita oportet, dum necessitas charitatis urget, se exhibere, ut & ipsi se non implicent sæcularibus negotiis, quamvis tractent illa, & nomen Domini in servis suis non blasphemetur, ut bene notat Cajet. ex 2. ad Tim. 2.

Sciendum III. Quod frequentare palatia regum, vel magnatum propter delicias, vel gloriam, vel cupiditatem, non competit religiosis: sed ea adire propter pias causas, eis competit. Unde dicitur 4. Reg. 4. quod Helisæus dixit ad mulierem: *Numquid non habes negotium, & vis, ut loquar Regi, vel Principi militiæ?* Similiter etiam convenit religiosis adire regum palatia ad eos arguendos, & dirigendos, sicut Joannes Baptista arguebat Herodem, ut dicitur Matth. 14. Sed hic memento illud Apostoli. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, neque ædificant*. Adire curias, & palatia propter pias causas, licitum fatemur: sed timeamus damnum, ac ruinam. Nam Petrus, ut prænotavit D. Bernardus, semel palatium intravit, Christum sequendo captum, & ligatum, & ter Dominum negavit. Curiam Diogenes definivit, locum ad decipiendum, & prævalendum, qui sunt actus diabolo permissi a Deo 3. Reg. 22.

Sciendum IV. Quod officium Judicis, Procuratoris, & Advocati, tam in judicio Ecclesiastico, quam sæculari, licitum est omnibus religiosis (exceptis fratribus Minoribus) cum duabus tamen conditionibus, scilicet cum licentia Prælati, & cum utilitate monasterii: secus vero prohibetur in cap. Monachi 16. qu. 1. cap. ex parte, de postulando. Clement. Religiosus, de procuratorib. Clement. exivi, de verb. signif. Si autem exerceatur sine licentia Prælati, & utilitate monasterii, nullus erit actus, & irritus, ut docent Sanch. Laym. Pelliz. vel saltem irritabilis, ut docent Salmant. Pal. Probabile etiam est, una, vel altera vice intervenire, & exercere in judicio dicta officia, extra casum necessitatis, non esse peccatum mortale, ut docent Sayr. Navar. Sed probabilius esse, quod sit peccatum mortale, docent Salmant. Sylv. Sanch. Pelliz. Tabien. Pal.

Sciendum V. Quod officium tabellionis, seu notarii in causis sæcularibus, est omnibus religiosis prohibitum, etiam de licentia superioris, ut patet ex cap. Sicut nec Clerici, vel Monachi cap. ut officium inquisitor §. verum ab hæret. in 6. Cæterum ex Constit. Pii IV. quæ incipit, Pastoralis officii, possunt religiosi tale munus exercere in quibuscumque causis fidei, ac sanctæ inquisitionis: & ex privilegio Pii V. concesso Dominicanis in bulla incipiente, Debitum pastoralis, ad intimanda mandata, concessiones, privilegia, & indulta apostolica religioni concessa, quibuscumque personis ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam principibus, regibus, tale munus exercere poterunt, imo creari a suis superioribus notarii.

Sciendum VI. Quod possunt omnes religiosi esse testes, tam in judicio, quam extra, licite cum licentia, & valide sine illa, exceptis causis criminalibus, quando testimonium fit in damnum alterius, non vero ad damnum impediendum innocentis, ut notant Pelliz. & Lezan. Non est autem necessaria licentia ad testificandum extra judicium, puta, in testamentis, contractibus, ut docent Sanch. Pal. Lez. Denique in causis civilibus nequit religiosus ut actor, aut reus comparere nomine proprio, nec licite, nec valide: quia omnia bona, jura, & rationes transtulit in monasterium ratione voti paupertatis. In causis vero criminalibus intentare non potest religiosus actionem, nisi de superioris licentia

centia saltem præsumpta prudenter, quia sui juris non est. Dantur tamen aliquæ causæ, in quibus religiosus ut actor esse potest, tam in civilibus, quam in criminalibus, ut ad conservationem juris sibi competentis, puta, ne alimenta sibi denegentur, ne suffragio privetur, & hujusmodi: in quibus casibus nec licentia Prælati semper est necessaria, ut docent Salmant. Pelliz. Sanch. Laym. Less.

Sciendum VII. Quod tutoris, & curatoris munus omnino prohibitum est religiosis in cap. fin. dist.86. Authen. de Sanctis Episc. §. Deo autem amabiles, collat.9. Licet circa tutelam legitimam miserabilium personarum aliqui oppositum sentiant. Fidejussoris autem munus cum sola licentia Prælati, & majoris partis capituli potest religiosus suscipere, non autem sine illa: quia non habet de proprio aliquid, quod possit obligare cap. penult. de fidejussione l.2. tit.12. p.5. Depositum autem potest valide, non tamen licite suscipere sine licentia Prælati, quia est contractus onerosus gravem obligationem pariens. Munus item executoris testamentarii religiosi cum licentia possunt suscipere, exceptis fratribus Minoribus. Commissarius etiam ad condendum testamentum potest eligi religiosus, etiam sine licentia, quia nullum datur jus id prohibens, ut notant Pal. Salmant. contra Sanch. & Pelliz. quorum sent. probabilior videtur, cum religiosus non sit sui juris.

CAPUT XXVI.

Utrum religiosus manibus operari teneatur. 2. 2. quæst. 187. art. 3.

AD præcepta, quæ communiter omnibus proponuntur, eodem modo tenentur religiosi, ac sæculares. Sed præceptum de opere manuali communiter omnibus proponitur, ut patet 1. ad Cor. 7. *Si quis non vult operari, non manducet.* Non ergo religiosi magis tenentur manibus operari, quam sæculares. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod labor manualis ad quatuor ordinatur. Primo quidem, & principaliter ad victum quærendum. Unde primo homini dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Secundo ordinatur ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur. Unde dicitur Eccles. 33. *Mitte servum tuum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit otiositas.* Tertio ordinatur ad concupiscentiæ refrænationem, in quantum per hoc maceratur corpus. Unde 2. ad Cor. 6. dicitur: *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in castitate*. Quarto autem ordinatur ad eleemosynas faciendas. Unde dicitur ad Ephes.4. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti*. Secundum ergo quod labor manualis ordinatur ad victum quærendum, cadit sub necessitate præcepti, prout est necessarius ad talem finem. Secundum autem, quod ordinatur ad otium tollendum, vel ad corporis macerationem, aut ad eleemosynas faciendas, secundum se non cadit sub præcepto, nisi forte in casu necessitatis. Unde

Sciendum II. Quod id, quod ordinatur ad finem, a fine necessitatem habet, ut scilicet in tantum sit necessarium, in quantum finis sine eo esse non potest: & ideo, qui non habet aliunde, unde vivere possit, tenetur manibus operari, cujuscumque sit conditionis. Et hoc significant verba Apostoli. *Qui non vult operari, nec manducet*. Quasi diceret: ea necessitate aliquis tenetur ad operandum manibus, qua tenetur ad manducandum. Unde, si quis absque manducatione posset vitam transigere, non teneretur manibus operari, & eadem ratio est de illis, qui non habent alias, unde licite vivere possint. Non enim intelligitur aliquis posse facere, quod non licite facere potest. Unde & Apostolus non invenitur opus manuum præcepisse, nisi ad excludendum peccatum eorum, qui illicite victum acquirebant, aut furto, aut cupiditate alienarum rerum, aut turpibus negotiis.

Sciendum III. Quod secundum quod opus manuale ordinatur ad otium tollendum, vel ad corporis macerationem, non cadit sub necessitate præcepti secundum se consideratum: quia multis aliis modis potest vel caro macerari, vel etiam otium tolli, quam per opus manuale. Maceratur enim caro per jejunia, & vigilias: & otium

otium tollitur per meditationes sacrarum scripturarum, & laudes divinas. Et ideo propter has causas religiosi non tenentur ad opera manualia: sicut nec sæculares, nisi forte ad hoc per statuta sui ordinis obligentur, sicut Hieron. dicit in Epist. ad Rusticum monachum. *Ægyptiorum monasteria hunc tenent morem, ut nullum absque opere, aut labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus.*

Sciendum IV. Quod in quantum opus manuale ordinatur ad eleemosynas faciendas, non cadit sub necessitate præcepti: nisi forte in aliquo casu, in quo ex necessitate aliquis eleemosynas facere teneretur, & non posset alias habere, unde pauperibus subveniret, in quo casu obligarentur similiter religiosi, & sæculares ad opera manualia exequenda. Sciendum tamen, quod sub opere manuali intelliguntur omnia humana officia, ex quibus homines licite victum lucrantur, sive manibus, sive pedibus, sive lingua fiant. Vigiles enim, & cursores, & alii hujusmodi de suo labore viventes, intelliguntur de operibus manuum vivere. Quia enim manus est organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de qua aliquis victum licite potest lucrari.

Sciendum V. Quod præceptum de opere manuali, quod ab Apostolo proponitur, est de jure naturali. Unde & natura manus homini dedit loco armorum, & tegumentorum, quæ aliis animalibus tribuit, ut scilicet per manus hæc, & alia omnia necessaria conquirat. Ex quo patet, quod communiter ad hoc præceptum tenentur & religiosi, & sæculares, sicut ad omnia alia legis naturalis præcepta. Non tamen peccant, quicumque manibus non operantur, quia ad illa præcepta legis naturæ, quæ pertinent ad bonum multorum, non tenentur singuli, sed sufficit, quod unus vacet huic officio, & alius alii, puta, quod quidam sint opifices, quidam agricolæ, quidam Judices, quidam doctores, & sic de aliis, secundum illud Apostoli I. ad Cor. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus, si totum auditus, ubi odoratus?*

CAPUT XXVII.

Utrum religiosis liceat de eleemosynis vivere. 2. 2. quæst. 187. art. 4.

GRegor. dicit in 2. Dialog. cap. 1. *B. Benedictus tribus annis in specu permanens, de his, quæ a Romano monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum, parentesque reliquerat.* Et tamen validus corpore existens non legitur de labore manuum quæsivisse victum: ergo religiosi licite possunt de eleemosynis vivere. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod unicuique licet vivere de eo, quod suum est, vel sibi debitum. Fit autem aliquid alicujus ex liberalitate donantis: & ideo Religiosi, & Clerici, quorum monasteriis, vel Ecclesiis ex munificentia principum, vel quorumcumque fidelium sunt facultates collatæ, ut sustententur, possunt de eis vivere licite absque hoc, quod manibus laborent, & tamen certum est eos de eleemosyna vivere. Unde & similiter, si aliqua mobilia religiosis a fidelibus conferantur, possunt de eis licite vivere. Stultum est enim dicere, quod aliquis in eleemosynam possit accipere magnas possessiones, non autem panem, vel parvam pecuniam. Sed, quia hujusmodi beneficia religiosis videntur esse collata ad hoc, quod liberius religiosis actibus insistere possint, quorum cupiunt se fore participes, qui temporalia subministrant, redderetur eis usus prædictorum donorum illicitus, si ab actibus religiosis desisterent: quia sic, quantum est de se, defraudarent intentionem eorum, qui talia beneficia contulerunt.

Sciendum II. Quod debitum est alicui aliquid dupliciter. Uno modo propter necessitatem, quæ facit omnia communia, ut Ambros. dicit serm. 81. Ideo, si religiosi necessitatem patiantur, licite possunt de eleemosynis vivere. Quæ quidem necessitas potest esse tripliciter. Primo quidem propter corporis infirmitatem, ex qua contingit, quod non possint sibi labore manuum victum quærere. Secundo, si illud, quod ex opere manuali conquirunt, eis ad victum non sufficiat. Tertio propter pristinam conversationem eorum, qui non con-

conſueverunt manibus laborare, ut Auguſt. dicit in lib. de opere Monach. cap. 21. Alio modo efficitur aliquid alicui debitum ex eo, quod ipſe exhibet, ſive ſit aliquid temporale, ſive ſpirituale, ſecundum illud 1. ad Cor.9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus?* Et ſecundum hoc quadrupliciter poſſunt religioſi de eleemoſynis vivere, quaſi ſibi debitis. Qua de re

Sciendum III. Quod religioſis licitum eſt de eleemoſynis vivere, quaſi ſibi debitis, primo, ſi prædicent auctoritate Prælatorum. Secundo, ſi ſint miniſtri altaris: quia, ut dicitur 1. ad Cor. 9. *Qui altari deſerviunt, cum altari participant*. Ita & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Tertio, ſi miniſtrant ſtudio ſacræ ſcripturæ ad communem utilitatem Eccleſiæ, ut Hieron. dicit in Epiſt. 2. contra Vigilantium. Quarto, ſi bona temporalia, quæ habebant, monaſterio largiantur, de eleemoſynis monaſterio factis poſſunt vivere, ut Auguſt. dicit in lib. de operib. Monach. cap. 25. Si vero aliqui ſint religioſi, qui abſque neceſſitate, & utilitate, quam afferant, velint otioſi de eleemoſynis, quæ dantur pauperibus, vivere, hoc eſt eis illicitum: quia, ut Auguſt. dicit in cit. lib. *Neque propterea ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad ſuperbiam extollantur. Nullo enim modo decet, ut ad eam vitam, ubi ſenatores fiunt laborioſi, ibi fiant opifices otioſi; & quo veniunt, relictis deliciis ſuis, qui fuerunt prædiorum domini, ibi ſint ruſtici delicati.*

Sciendum IV. Quod religioſi illi, qui abſque neceſſitate, & utilitate, quam afferant, velint otioſi de eleemoſynis, quæ dantur pauperibus, vivere, hoc eſt eis illicitum, tum quia defraudant intentionem benefactorum, qui talia donarunt; tum etiam quia abutuntur rebus donatis. Sed, quia hujuſmodi fraus non conſiſtit in ablatione rei alienæ, ſed in abuſu rei jam factæ ſuæ per donationem, in quantum religioſus ea utitur non ad illum finem, propter quem fuit donata, ſcilicet, ut liberius Deo ſerviret; ideo non peccat contra juſtitiam tali dono abutendo, ſed contra beneficentiam donantis, peccato ſolum ingratitudinis, quod ad reſtitutionem non obligat: ſed ſolum meretur, quod ſuperiores tali uſu illum privent, ut deſiſtat a defraudanda pia intentione benefactorum. Nec eſt ſimile de ſtipendio militum, quod datur a principe ex contractu oneroſo, non vero ex donatione, & propterea miles volens eſſe otioſus, & officium ſuum non exequi, peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur. Ingratitudo autem, conſiſtens in abuſu beneficii collati, in duobus caſibus eſt peccatum mortale, uno modo formaliter, quando fit ex contemptu benefactoris, aut beneficii collati: alio modo materialiter, quando ex alia cauſa religioſus abutitur dono collato, vivendo contra ſtatuta ſui ordinis in eſſentialibus, ut bene notat Cajet.

Sciendum V. Quod, cæteris paribus, dare eſt perfectius, quam accipere, ut dicitur Act. 20. & tamen dare, vel relinquere omnia ſua pro Chriſto, & modica accipere ad ſuſtentationem vitæ, melius eſt, quam dare aliqua particulariter pauperibus, ut ex dictis conſtat. Nec accipere iſta modica ad victum, quando ſibi debentur ob neceſſitatem, & utilitatem, ſicuti faciunt religioſi, præſtat occaſionem peccandi: ſed ſolum quando accipiuntur munera ad divitias augmentandas, vel accipitur victus ab aliquo ſibi non debitus abſque utilitate, & neceſſitate. Nec, quando apparet manifeſta neceſſitas, & utilitas, propter quam aliqui religioſi de eleemoſynis vivunt abſque opere manuali, ex hoc ſcandalizantur infirmi, ſed ſolum malitioſi more Phariſæorum, quorum ſcandalum contemnendum Dominus docet, Matth. 15. Sed, ſi non eſſet evidens neceſſitas, & utilitas, poſſet exinde generari ſcandalum infirmis, quod eſſet vitandum. Idem tamen ſcandalum imminere poteſt de his, qui facultatibus communibus otioſe utuntur.

CAPUT XXVIII.

Utrum religioſis liceat mendicare.
2. 2. quæſt. 187. a. 5.

Religioſis competit vivere ad imitationem Chriſti, ſed Chriſtus mendicavit, ſecundum illud Pſalm. 39. *Ego autem mendicus ſum, & pauper.* Ubi dicit Gloſſ. Caſ-

Cassiodori. *Hoc dixit Christus de se ex forma servi.* Et infra; *Mendicus est, qui ab alio petit, & pauper, qui sibi non sufficit.* Ergo conveniens est religiosis mendicare. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod circa mendicationem duo possunt considerari. Unum quidem ex parte ipsius actus mendicationis, qui habet sibi quandam abjectionem conjunctam. Et secundum hoc causa humilitatis aliqui laudabiliter mendicant, sicut & alia assumunt, quæ ad abjectionem quandam pertinent, quasi efficacissimam medicinam contra superbiam, quam vel in se ipsis, vel etiam in aliis per exemplum extinguere volunt. Unde & in pœnitentiam pro gravibus culpis injungitur aliquibus, ut peregrinentur mendicantes. Sed, quia humilitas, sicut & cæteræ virtutes, absque discretione esse non debet: ideo oportet discrete mendicitatem ad humilitatem assumere, ut ex hoc homo notam cupiditatis non incurrat, vel cujuscumque alterius indecentis.

Sciendum II. Quod alio modo potest considerari mendicitas ex parte ejus, quod quis mendicando acquirit. Et sic ad mendicandum potest homo ex duobus induci. Uno modo ex cupiditate habendi divitias, vel victum otiose: & talis mendicitas est illicita. Alio modo ex necessitate, & utilitate. Ex necessitate quidem, sicut, cum aliquis non potest aliunde habere, unde vivat, nisi mendicet. Ex utilitate autem, sicut, cum aliquis intendit ad aliquid utile perficiendum, quod sine eleemosynis fidelium facere non potest: sicut petuntur eleemosynæ pro constructione pontis, vel Ecclesiæ, vel quibuscumque aliis operibus, quæ vergunt in utilitatem communem, sicut scholares, ut possint vacare studiis sapientiæ. Et hoc modo mendicitas est licita, sicut sæcularibus, ita religiosis.

Sciendum III. Quod duplex est turpitudo. Una inhonestatis. Alia exterioris defectus: sicut turpe est homini esse infirmum, vel pauperem. Et talis turpitudo mendicitatis non pertinet ad culpam, sed ad humilitatem pertinere potest, vel pœnam: Unde, cum prædicatoribus ex debito debeatur victus ab his, quibus prædicant, quod necessaria sumunt ab his, in quibus laborant, non est mendicitas, sed potestas. Si tamen non quasi sibi debitum, sed quasi gratis dandum mendicando petere velint, ad majorem humilitatem pertinet. Deuter. vero 15. dicitur: *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos;* non quasi lex divina prohibeat alicui mendicare, nam & Lazarus justus fuit mendicus: sed prohibet divitibus, ne tam tenaces sint, ut propter hoc aliquis egestate mendicare cogatur. Lex autem civilis imponit pœnam validis mendicantibus, qui non propter utilitatem, aut necessitatem mendicant. Cod. lib. 11. tit. 25.

Sciendum IV. Quod mendicantes cupiditate otiosi victus, ex quo in veritate sunt pauperes, nullam fraudem committunt in proximum, sed solum peccant in se ipsos, otiosam vitam, & abjectam absque ulla rationabili causa eligentes: & propterea nulla est hic ratio peccati mortalis, per se loquendo: nec etiam propter pœnam legis civilis, quæ non facit, sed suppositam punit culpam, quæ de se non est mortalis. Mendicans etiam ex cupiditate habendi divitias, si est infra latitudinem pauperum, peccat quidem indebito modo utens ad explendum improbum appetitum, sed quoniam nec contra charitatem Dei, aut proximi agit, & neminem decipit, quia vere pauper est, a mortali excusatur peccato. Mendicans autem ex cupiditate divitiarum, si extra pauperum latitudinem est, peccat mortaliter, & tenetur datum dare pauperibus: quia proximum decipit, & donatio procedit ex ignorantia, eleemosynamque sibi usurpat contra voluntatem dantis, sicut docent Scotus in 4. sent. dist. 15. qu. 2. & Cajet. in præsenti art. qu. 3.

CAPUT XXIX.

Utrum religiosus possit egredi claustrum absque licentia sui Prælati. S. Thom. quodl. 3. quæst. 6. art. 16.

Deinde considerandum est de clausura religiosorum. Et prius de clausura virorum, deinde sanctimonialium. Circa primum duo consideranda sunt. Primo, utrum liceat religiosis egredi claustrum absque licentia. Secundo, utrum sit prohibitus ingressus mulierum intra claustra

Re-

Religioſorum. Unde circa primum dubium

Sciendum I. Quod viri religioſi abſque licentia tacita, vel expreſſa, generali, vel particulari ſuorum Prælatorum e clauſtro licite exire non poſſunt, tum ex jure naturali, ratione cujus, ſuppoſito voto obedientiæ, Prælatorum gubernationi, & imperio ſubduntur: tum ex jure poſitivo pluribus in locis, & præcipue in Trident. ſeſſ.25. cap.4. de regular. Imo ex Decreto Clemen. VIII. approbato, & innovato ab Urbano VIII. non ſufficit licentia Generalis, ſed requiritur ſpecialis ſingulis vicibus obtinenda, & concedenda ex juſta cauſa, cum adjunctione ſocii. Qua de cauſa præcipitur, ut clauſtra conventus obſerventur, & diligenter cuſtodiantur, ut teſtantur Sanch. Pelliz. Salm.

Sciendum II. Quod licentiam prædictam, etiam ad longum tempus, ex jure communi dare poteſt quilibet Prælatus, etiam inferior: peccaret tamen, ſi abſque juſta cauſa talem facultatem concederet. Sed ex jure novo Clement. VIII. in Decretis pro reformatione regularium, approbatis, & innovatis a Sacra Congreg. Cardin. juſſu Urban. VIII. licentias ad longum tempus degendi extra clauſtra, vel ad longas peregrinationes, nonniſi ex graviſſima cauſa approbanda a Sede Apoſtolica, concedi poſſe. Quæ decreta, an ſint in uſu, quaſi præceptiva, vel potius directiva tantum, dubitant Pelliz. Anton. a Spiritu Sancto, Garc. Salmant. & alii. Unde

Sciendum III. Quod ſubditus, ſuppoſita licentia, etiam ſi data ſine cauſa juſta, non peccat contra hoc præceptum clauſuræ, illa utendo, cum talis licentia ſit valida. Non enim eſt diſpenſatio legis, quæ ad ſui valorem exigit juſtam cauſam, ſed conditio a lege requiſita ad exitum licitum, ut notant Salm. Pelliz. Peccaret tamen, ſi abſque licentia exiret, graviter, vel leviter, juxta quantitatem materiæ, quæ ex circumſtantiis judicari debet, puta, ſi egreſſus furtivus eſſet nocturnus, ſi ad longum tempus, & aliis hujuſmodi; etiam ſi fieret animo ad Superiores majores recurrendi, ut declaratum eſt in ſupradictis Decretis: in quibus etiam ſub gravibus pœnis prohibetur religioſis, ne ſub quocumque prætextu Romam veniant ſine Protectoris, vel Generalis licentia in ſcriptis obtenta, ut teſtantur Salmant. tract.15. c.5. n.160.

Sciendum IV. Quod, quamvis peccent religioſi ſine licentia exeuntes e clauſtris, tamen excommunicationem non incurrunt, niſi in quatuor caſibus. Primo exeuntes ad partes ultramontanas, ubi pauci ſunt fideles: & Prælati Generali inferiores, qui talem licentiam præſumunt concedere, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. Solus autem Generalis poteſt dare licentiam hanc religioſis prudentia prædictis, alias etiam ipſe incurrit dictam excommunicationem, ut habetur extra. Ad noſtram de regular. Secundo Monachi nigri, & Canonici regulares non habentes ullam adminiſtrationem temporalem, vel ſpiritualem, ſi ad aulas principum ſe conferant intentione nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſteriis, excommunicationem, non tamen reſervatam, incurrunt abſque licentia exeuntes, & tendentes, ut habetur in Clement. 1. de ſtatu Monachorum.

Sciendum V. Quod omnes religioſi extra oppidum ſui Monaſterii exeuntes, ſimul & accedentes ad ſtudia legum, vel canonum, abſque licentia ſui Prælati, & majoris partis capituli, incurrunt excommunicationem non reſervatam, ut patet ex cap. periculoſa, ne Clerici, vel Monachi. Quarto incurrunt excommunicationem nemini reſervatam religioſi exeuntes extra Monaſterium ad audiendas leges, aut medicinam, niſi intra duos menſes redeant ad ſua Monaſteria: qui tamen menſes, non a die exitus, ſed a die auditionis computari debent, ut notant cit. Salmanticenſes.

Sciendum VI. Quod eſt prohibitum religioſis, ſive extra, ſive intra Monaſterium, ſtudium juris civilis, ſi illi principaliter incumbant, ex cap.2. ne Cler. vel Monach. Item officium Medici, vel Chirurgi, ſi cum inciſione, vel aduſtione fiat: & ſine illis, niſi cauſa pietatis, vel neceſſitatis, juxta dicta ſupra in cap.25. Datur tamen privilegium conceſſum Societati Jeſu a Gregor. XIII. & per communicationem aliis religionibus, ut poſſint mederi domeſticos, & extraneos, de licentia Superioris, quando commode medicus ſæcularis haberi non poteſt; dummodo per ſe ipſos inci-

incisionem, aut adustionem non faciant, ut testantur Pelliz. Lezan. Sanch.

CAPUT XXX.

Utrum sit prohibitus ingressus mulierum intra claustra religiosorum.

Deinde considerandum est de prohibito ingressu mulierum intra claustra religiosorum. Circa quod

Sciendum I. Quod ex constit. Gregor. XIII. edita anno 1575. quæ incipit, Ubi gratia: excommunicationem Papæ reservatam incurrunt omnes fœminæ septennio majores, quæ prætextu alicujus facultatis, aut indulti, ab eo revocati, ingrediuntur monasteria virorum. Prælati vero, & alii religiosi, qui prætextu alicujus indulti præsumunt illas introducere, ultra excommunicationem reservatam, incurrunt privationem officiorum, inhabilitatem ad illa, & suspensionem a divinis ipso facto. Ex constit. vero Pii V. expedita anno 1570. quæ incipit, Romanum Pontificem; omnes, & quæcumque mulieres septennio majores, etiam sine prætextu facultatis, præsumentes ingredi monasteria virorum, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt: religiosi vero, tam subditi, quam prælati illas introducentes, non incurrunt excommunicationem, sed solum privationem officiorum, inhabilitatis in posterum ad illa, & alia obtinenda, & suspensionem a divinis ipso facto, sine alia declaratione. Sed, quia in dictis constit. præsumptio, audacia, & scientia requiruntur, & aliquæ exceptiones ponuntur, ideo ad horum evidentiam

Sciendum II. Quod quævis ignorantia, etiam crassa, dummodo non sit ingens temeritas, excusat a talibus pœnis incurrendis, ut notant Sanch. Barb. Bonac. Insuper dictæ pœnæ, præter censuras, ut ex praxi constat, non incurruntur ante sententiam Judicis, saltem declarativam criminis, ut notant Pelliz. Lez. Salmant. Nomine autem officiorum aliqui intelligunt, non solum dignitates, aut prælaturas; sed etiam quælibet officia, puta, lectoris, concionatoris, Confessoris, & hujusmodi. Ita Lez. Pelliz. Bonac. Alii mitius intelligunt solas dignitates, & prælaturas, & ita declaravit Xistus V. in constit. contra illegitimos explicatione: & docent Sanch. Rodr. Pal. Item sola excommunicatio est Papæ reservata, non vero suspensio, aut aliæ pœnæ, ut docent Cand. Rodr. Salmant.

Sciendum III. Quod excipiuntur in dicta prohibitione reginæ, & earum filiæ cum decenti earum comitatu, ut docent Suar. Sanchez. Lez. Pal. Probabile etiam est excipi fundatrices, ut docent Pelliz. Garc. Pal. Suar. contra Rodr. Bonac. Sanch. Laym. Similiter excipiuntur aliæ fœminæ, quæ ratione necessitatis salvandæ vitæ, vel medendi, vel ratione pietatis ingrediuntur monasteria ad comitandam processionem, audiendam concionem, vel ad audienda officia divina, quando intra claustrum aliqua festivitas fit, ut declaravit Pius V. vel quando ratione magni concursus non possunt ingredi e porta Ecclesiæ, licitum est e porta claustri ingredi, & exire, ut notant Salmant.

Sciendum IV. Quod licet mulieres, semel licite ingressæ, peccent, si diutius, quam par est, detineantur, finita processione: vel ad alias partes interiores clausuræ divertant; tamen non incurrunt excommunicationem, quæ lata est contra præsumentes ingredi, non vero contra immorantes, aut discurrentes post licitum ingressum, ut docent Sanch. Bonac. Pelliz. Probabile tamen est, peccare mortaliter prælatum ordinantem processionem intra claustra eo solo fine, ut mulieres intra claustra ingrediantur: quia Papa solum permittit ingressum rationi consonum. Ita Sanch. Rodr. Pal. Villal. Sed probabilius est, peccare solum venialiter: quia imprudenter permittit ingressum cum tali circumstantia licitum, ut docent Portel. Bonac. Garc. Salmant. Denique mulieres, quæ post dictas Constitutiones Pontificium privilegium obtinuerunt, possunt licite ingredi monasteria virorum, juxta tamen tenorem privilegii.

Sciendum V. Quod nomine clausuræ in dictis constit. veniunt solum monasteria, in quibus religiosi permanenter degunt, vitam communem acturi, & omnes illius officinæ, & loca, quæ sub eorum ambitu continentur, & porta communi clauduntur: non vero prædia, domus rusticæ,

cæ, aliaque loca a monaſterio ſeparata, nec infirmariæ, aut domus deputatæ ad recipiendos hoſpites religioſos, vel infirmos, & non habentes conventum, nec eccleſiam. Secus vero dicendum eſt de illis hoſpitiis, in quibus religioſi conventum, & eccleſiam habent, quamvis non habeant Euchariſtiam, ſi communiter recitent divinum officium, & in eis permanenter ſaltem aliqui vivant, ut docent Pelliz. Lez. Rodr. Sanch. De hortis conjunctis monaſterio, probabilius eſt ſubjici clauſuræ, ut docent Bonac. Sanch. Laym. Item de choro, & ſacriſtia, quæ ingreſſum habent ex utraque parte in conventum, & eccleſiam. Ita Sanch. Pal. Lez. Rodr. Salmant. contra Bonac. Garc. Bord.

Sciendum VI. Quod clauſuram, & terminos ejus conſtituere non poſſunt ſuperiores locales, ſed majores, cum ſit res magni momenti, ut docent Pelliz. & Anton. a Spiritu Sancto: qui etiam docent, quod quando nullus religioſus eſt intra conventum, poſſunt licite mulieres ingredi, quia ceſſat finis legis. Sed probabilius eſt oppoſitum, quia non ceſſat adæquate finis legis, ut docent Salmant. tract. 15. cap. 5. in fin. Hoc certum eſt, quod, ſi monaſterium tradatur militibus ad habitandum cum eorum mulieribus, ceſſat pro illo tempore clauſura.

CAPUT XXXI.

De clauſura ſanctimonialium.

DEinde conſiderandum eſt de clauſura mulierum ſanctimonialium. Circa quod tria conſideranda ſunt. Primo de ipſo egreſſu a clauſura ſanctimonialibus prohibito. Secundo, de prohibito aliorum ingreſſu intra clauſuram. Tertio, de prohibito acceſſu ad colloquendum cum ſanctimonialibus, aliiſque degentibus intra clauſuram. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod, ut periculoſa ſanctimonialium evagatio caveatur, ſtatuta eſt clauſura, ad quam profeſsæ tenentur, non ſolum ex vi regulæ, & voti, ſed etiam ex præcepto Eccleſiæ, ut diſponitur in Concilio Trident. ſeſs. 25. c. 5. de regular. Unde violantes talem clauſuram, per hoc, quod egrediantur terminos illius præfixos, etiam ſi egreſſio fiat intra propriam Eccleſiam, peccant mortaliter, & etiam incurrunt excommunicationem ipſo facto Papæ reſervatam: quam etiam incurrunt omnes illi, qui ad earum egreſſum cooperantur extra caſus permiſsos, ut diſponitur in bulla octava Pii V. quæ incipit: Cura paſtoralis: ac ejuſdem declaratione, quæ incipit: Decori, & honeſtati. Quibus ſuppoſitis,

Sciendum II. Quod ſanctimoniales profeſsæ violant clauſuram, quando egrediuntur perfecte, id eſt toto corpore, terminos clauſuræ perfectos: non autem, ſi egrediantur imperfecte, id eſt aliqua parte corporis: quia, cum materia ſit odioſa, ſtricte interpretanda eſt. Semel autem, quod egrediuntur perfecte, etiam ſi per tempus breviſſimum, peccant mortaliter, & excommunicationem incurrunt: quia in Trident. eis prohibetur egreſsus etiam per breve tempus: & gravitas materiæ in hoc præcepto non deſumitur ex mora temporis, ſed ex totalitate egreſsus, id eſt ex perfecto egreſſu.

Sciendum III. Quod tunc egreſsus ſanctimonialium intelligitur eſſe ultra terminos perfectos clauſuræ, quando fit, vel intra propriam Eccleſiam, ut declaravit Gregor. XIII. in bulla octava, quæ incipit, Deo Sacris: vel extra ambitum exteriorem portæ communis monaſterii, aut alterius partis, puta feneſtræ, vel tecti, ut colligitur ex decreto Sacræ Congr. quæ mandavit, abſolvendas eſſe moniales egreſsas ſupra tectum, in una Comen. 18. Septembris: & in una Licien. 16. ejuſdem menſis 1609. ut teſtatur noſter Clemens Piſelli, par. 1. tract. 18. cap. 1. §. 1.

Sciendum IV. Quod ſanctimoniales, quæ ſine licentia legitima, vel abſque periculo non patiente moram, egrediuntur clauſtrum, peccant mortaliter, & excommunicationem incurrunt. Idem dicendum eſt, ſi egrediuntur ex cauſa juſta, ſed, ea ceſsante, non redeunt, vel ſuperiorem non monent: quia tunc, quamvis egreſsus fuerit licitus, non regreſsus tamen eſt illicitus. Ita Zechius, de rep. eccleſ. tit. de regular. c. 3. n. 15. v. 9. Item ſuperiores omnes inferiores Summo Pontifice licentiam concedentes abſque juſta cauſa, & cæteri omnes cooperantes ad illarum illicitum egreſsum, vel perſeverantiam in

illo: auxilium, vel favorem præstantes, aut consulentes, graviter peccant, & excommunicationem incurrunt. Secus autem, si hoc faciunt ex urbanitate, amicitia, consanguinitate, aut alio modo non dante causam egressui, aut perseverantiæ in illo. Ita Sanch. in opere morali, l. 6. c. 15. n. 75. & deducitur ex declarat. supra dictæ bullæ Pii V.

Sciendum V. Quod licet quam plurimæ causæ assignentur, ob quas moniales egredientes a clausura monasterii excusantur a culpa, & per consequens ab excommunicatione, ut patet ex cap. periculosa, de statu regular. in 6. & ex bulla supra cit. Pii V. omnes tamen reducuntur ad duo capita, scilicet ad licentiam legitimam, & ad necessitatem urgentem. Licentia a solo Episcopo potest legitime concedi, stante justa causa, & in scriptis: quia ita disponitur in declarat. bullæ 8. Pii V. Necessitas autem urgens, quæ scilicet moram non patitur, puta, fugiendi incendii, terræmotus, & hujusmodi, ex jure ipso naturæ licentiam secum affert, quando consensus superioris expectari non potest; tunc enim, ut docet D. Tho. opus est executione, non vero consultatione. Ita Sanch. in opere moral. lib. 6. c. 12. nu. 29. Sylv. ver. religio 7. q. 15. Vide Castropal. tr. 16. disp. 4. par. 9.

CAPUT XXXII.

De prohibito ingressu in Monasteria sanctimonialium.

DEinde considerandum est de prohibito ingressu in monasteria sanctimonialium. Circa quod

Sciendum I. Quod ingressus in monasteria monialium est omnibus utriusque sexus, septennio majoribus, prohibitus sine licentia, quæ superioribus monasterii conceditur a jure cum hac restrictione, ut prælatus regularis possit solum ingredi ex causa visitationis semel in anno, & unica die incipienda post ortum, & complenda ante solis occasum, cum duobus sociis, si est Generalis, alias cum uno. At, si urgeat necessitas pluries ingrediendi, non potest ingredi, nisi cum præsentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici sæcularis ab Episcopo deputandi, ex constit. 156. Alexan. VII. quæ incipit, Felici: & alias incurrit, etiam pro prima vice, privationem officiorum, & excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reservatam. Episcopus vero potest ingredi cum decenti comitatu, non solum causa visitationis, sed etiam quoties necessitas urgens adest, extra quam, si ingrediatur, incurrit pro prima vice interdictum ab ingressu Ecclesiæ; pro secunda suspensionem a munere pontificali, & a divinis; pro tertia excommunicationem, non tamen reservatam, ex constit. 29. Gregor. XIII. quæ incipit: Ubi gratiæ.

Sciendum II. Quod cæteris, qui non sunt superiores, licentia ingrediendi potest dari a prælatis monasterii cum hac restrictione, ut detur in scriptis, saltem Abbatissæ, & ex sola necessitate præstandi ea, quæ a monialibus physice, vel moraliter præstari non possunt; alias, si ingrediantur, ipso facto incurrunt excommunicationem, quæ in duobus casibus est Papæ reservata: si scilicet ingressus fiat ad malum finem, vel prætextu facultatis a Papa, vel ab aliis concessæ; cum quælibet facultas sit revocata quoad omnes, exceptis personis regalibus, ut colligitur ex dicta constit. Gregor. XIII. In his duobus casibus incurrunt excommunicationem Papæ reservatam etiam Moniales admittentes; in aliis vero, etsi peccent admittentes, nullam tamen excommunicationem incurrunt. Sed, quia eatenus culpam gravem, statutasque pœnas ingredientes, & admittentes incurrunt, quatenus ingressus sine licentia, vel etiam cum ipsa est illicitus; ideo.

Sciendum III. Quod, si ingressus in monasteria fit sine necessitate, est illicitus semper: quia etiam habentibus licentiam prohibetur ingressus sine necessitate a Gregor. XIII. in declaratione supra cit. constit. quæ incipit, Dubiis, §. 1. Si autem ingressus fit ex necessitate, est illicitus, quoties fit sine licentia, quæ expectari potest: vel fit ad malum finem. Ratio est, quia in tantum permittitur ingressus sine licentia in necessitate, in quantum necessitas est urgens, quæ non patitur dilationem, cum periculum sit in mora: talis autem non censetur, quando licentia potest expectari. Quod, si adsit

in

in ſimul malus finis, ingreſſus cenſetur violativus clauſuræ ſub excommunicatione reſervata, juxta decretum Sacræ Congr. regular. editum 26. Novembris 1602. Unde

Sciendum IV. Quod, qui habent licentiam ingrediendi in monaſteria, ut ſunt Confeſſarii, Medici, artifices, bajuli, aliique operarii, ſi ingrediantur quando, vel non eſt opus eorum miniſterio, vel hoc præſtari poteſt extra clauſuram, peccant, & excommunicationem incurrunt, ob ingreſſum illicitum, quia fit ſine neceſſitate. E contra, ſi ingrediantur, quando opus eſt eorum miniſterio, & eo completo non egrediuntur pro tempore notabili, quamvis peccent, non tamen excommunicationem incurrunt: quia licet non egreſſus, utpote moroſus abſque neceſſitate, ſit aliquo modo illicitus, ingreſſus tamen fuit licitus, quia factus fuit ex neceſſitate. Sanch. in opere moral. l. 6. c. 16. n. 40. & 68.

Sciendum V. Quod, qui ſine licentia ingrediuntur in monaſteria ad liberandas moniales ab aliquo periculo gravi, ſed non tam cito imminente, ita, ut poſſit adiri ſuperior, peccant graviter, & excommunicationem incurrunt, quia licet ingrediantur ex neceſſitate, licentia tamen poteſt expectari. Secus autem, ſi periculum ſit ita imminens, ut, ſi adeatur ſuperior, interim moniales moraliter cenſeantur perituræ, ut in incendio, vel terræmotu: quia tunc licentia non poteſt expectari. Navar. de regul. commentar. 4. n. 60. verſ. 4.

Sciendum VI. Quod, qui ex neceſſitate urgenti ingreditur monaſterium ad aliquod opus præſtandum, & ex hac occaſione intendit cum moniali aliquid inhoneſte tentare, incurrit excommunicationem: quia per hoc, quod ingrediatur ex neceſſitate, non tollitur, quod ingreſſus non ſit etiam ad malum finem. E contra, ſi prava intentio ei ſuboriatur poſt ingreſſum, ideoque opere completo non egrediatur poſt tempus notabile, quamvis peccet graviter, non tamen excommunicationem incurrit, quia non egreſſus, non autem ingreſſus fuit ad malum finem. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 100. nu. 58. Vide Bonac. de clauſura, q. 4. p. 3. & noſtrum Piſelli, part. 1. tr. 18. c. 3.

CAPUT XXXIII.

De prohibito acceſſu ad monaſteria Monialium.

Denique conſiderandum eſt de prohibito acceſſu ad monaſteria ad colloquendum cum monialibus. Circa quod

Sciendum I. Quod acceſſus ad colloquendum cum monialibus, ſi prohibeatur a prælato monaſterii, eſt illicitus omnibus, qui accedendo contra prohibitionem peccant graviter, & incurrunt cenſuras ab eo latas, etiam ſi ſint religioſi, juxta decretum Congr. Concil. 26. Junii 1627. ut teſtatur noſter Piſelli, p. 1. tr. 18. c. 4. An vero hujuſmodi decretum derogare poſſit privilegio bullato, in quo expreſſe habetur, Epiſcopos non poſſe compellere regulares per cenſuras, niſi in caſibus in jure expreſſis, ex dicendis in tract. ſeq. manifeſtum fiet. Si vero non prohibeatur a prælato, ſaltem ex conſuetudine non cenſetur illicitus ſæcularibus, etiam eccleſiaſticis, ſi frequentia deſit: ſed ſolum religioſis ob ſpecialem prohibitionem. Ad cujus evidentiam

Sciendum II. Quod allocutio cum monialibus ſtrictiſſime religioſis prohibetur a Summo Pontifice ſub gravi peccato, ac pœnis privationis officiorum, vociſque activæ, & paſſivæ, juxta decretum Congr. regular. 7. Maii 1590. quoties fit ſine licentia expreſſa, & legitima cum qualibet degente intra clauſtra. Quam licentiam, licet ſæcularibus poſſit pro libito dare quilibet prælatus monaſterii, religioſis tamen non poteſt dare, niſi Epiſcopus loci cumulative cum prælato monaſterii, ſi hoc eſt exemptum: non tamen omnibus, ſed ſolis conſanguineis monialium in primo, & ſecundo gradu: nec ſemper, ſed ſolum quater ſingulis annis: nec quolibet anni tempore, ſed ſolum extra adventum, quadrageſimam, dies Sabbati, feriæ ſextæ, vigiliarum, ac feſtorum, juxta decretum Congregat. Concil. 19. Decemb. 1623. Ubi ergo hæc decreta ſunt recepta, nec conſuetudine abrogata, omnino ſervari debent. Quibus ſuppoſitis,

Sciendum III. Quod religioſus (cujus nomine non venit novitius) ſi ex feneſtra,

ſtra, ex tecto, vel ex alio loco extra monaſterium adhibet voces, geſtus, nutus, vel aliud ſignum cum aliqua in monaſterio degente, peccat graviter: quia licet non accedat ad monaſterium, loquitur tamen cum aliqua degente intra monaſterium. Nomine enim locutionis veniunt, non ſolum verba voce expreſſa, ſed ſcripto, aut quolibet alio ſigno manifeſtantia ſenſum, ſeu conceptum mentis: muti enim nutibus loquuntur. Tamen videtur probabilis ſententia Lezanæ, & noſtri Piſelli, qui dicunt non peccare religioſum, qui mittit epiſtolam, aut nuncium ad aliquam intra monaſterium degentem.

Sciendum IV. Quod religioſus, qui expleta concione habita ad moniales, cum ipſis loquitur ſine licentia (etiam ſi de materiis ſpectantibus ad eamdem concionem, vel ad eas inſtruendas in via perfectionis) peccat, ut conſtat ex deciſione Congr. Concil. 21. Maii 1678. Idem dicendum eſt, etiam ſi ex quacumque occaſione eas alloquatur paucis verbis (niſi ſit per modum ſalutationis, vel reſalutationis ex urbanitate) quia in hoc parvitas materiæ ſublata eſt ex decreto Congr. Concil. 11. Maii 1669. ut teſtatur noſter Piſelli. Quod tamen non eſt intelligendum de materia, quæ attentis omnibus circumſtantiis, levis eſt, cum ſuperior non poſſit imponere obligationem gravem in materia levi, ut dictum eſt in tract. de legibus: ſed debet intelligi de materia ſecundum ſe parva, ſed graviter conducente contra finem legiſlatoris: vel de materia determinata ab aliquibus indiſcrete, tamquam ſit parva, cum vere parva non ſit.

Sciendum V. Quod religioſus, qui ſine licentia loquitur cum educanda, novitia, vel Abbatiſſa, peccat graviter: quia licet educanda, & novitia non ſit monialis, degit tamen intra clauſuram: & licet Abbatiſſa non veniat nomine monialis in odioſis, tamen in hac comprehenditur prohibitione, ut diſponitur in conſtit. 50. Papæ Alexan. VII. quæ incipit, Sacroſancti, §. 6. Secus autem eſt, ſi religioſus loquatur etiam cum profeſſa a monaſterio licite, vel illicite egreſſa: vel cum quacumque degente in conſervatoriis mulierum: quia non verificatur, quod loquitur cum aliqua degente intra clauſuram alicujus Monaſterii. Lezana verſ. Monialis, n. 20.

Sciendum VI. Quod religioſus monialem alloquens cum licentia Epiſcopi, quem ſcit in ea concedenda non ſervaſſe conditiones præſcriptas a Congr. Concil. peccat graviter: quia ſcit licentiam eſſe contra formam decreti, adeoque non eſſe legitimam. Idem dicendum eſt, etiam ſi habeat licentiam a Sacra Congr. ſed ſubreptitie obtentam, quia adhuc ſcit eſſe nullam, & contra formam decreti, ut conſtat ex deciſione Sacræ Congr. Concil. 19. Decembr. anni 1623. De his agit Fœlix Poteſt. in examine Confeſſ. t. 1. p. 2. cap. 5. pag. 154. ubi refert decreta Congr. per extenſum.

TRACTATUS NONUS.

De privilegiis ſtatui religionis annexis.

DEinde conſiderandum eſt de privilegiis ſtatui religionis annexis. Circa quod triplex conſideratio occurrit. Prima, de ipſis privilegiis in communi, ſecundum ſe. Secunda, de privilegiis in ſpeciali, quæ ad communitatem pertinent. Tertia, de privilegiis in ſpeciali, quæ religioſis competunt in particulari. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quæ privilegia regularium, & qualiter ſint revocata.

CIrca privilegia regularium in communi quatuor examinanda ſunt. Primo de illorum revocatione. Secundo, de illorum interpretatione. Tertio, de illorum mutua communicatione. Quarto, de eorumdem uſu. Circa primum igitur in præſenti,

Sciendum I. Quod Gregor. XV. anno 1622. in bulla, quæ incipit, Romanus Pontifex in ſpecula, revocavit omnia oracula viva voce a ſe, vel ſuis prædeceſſoribus uſque ad illud tempus religionibus conceſ-

ſa,

sa, nisi illa, quæ authentica essent, & manu alicujus Cardinalis subscripta, vel concessa ad instantiam regum. Sed, quia circa hoc plures difficultates insurgebant, postea Urban. VIII. anno 1631. in Constit. quæ incipit, *Alias fœlicis recordat.* confirmavit, & ampliavit eandem revocationem, revocando etiam oracula, quæ Gregor. exceperat. Quam constitutionem postea idem Urbanus in appendice ejus temperavit, declarans, suam revocationem non comprehendere oracula expedita per illos Pontificis officiales, quibus ratione munerum suorum antea de summi Pontificis oraculis fides præstari solebat, ut in ipsa Constit. videri potest. Dicti autem officiales in extrav. Ad regimen, de præben. & dignit. sunt Camerarii, Vicecancellarii, Notarii, & hujusmodi, inter quos connumerandus est etiam Cardinalis protector, ut notant Peyrin. & Donatus. Quibus suppositis,

Sciendum II. Quod sub dictis revocationibus non comprehenduntur oracula, quæ sunt meræ declarationes decretorum Papalium, vel Concil. Trident. in favorem religionum: neque comprehenduntur indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ, quia non veniunt nomine privilegii, ut docent Rodr. Pelliz. Peyr. Bord. Lez. Neque oracula pro omnibus fidelibus, aut Ecclesiasticis aliquod privilegium continentia: sed solum regulares concernentia, ut patet expresse ex dictis revocationibus. Neque privilegia uni religioni per bullam concessa, & alteri per oraculum vivæ vocis communicata, quia jam non sapiunt naturam oraculi. Neque oracula concessa postea absolute per bullam, nulla mentione facta concessionis per vivæ vocis oraculum: quia tunc, quatenus vim habent ex bulla, non revocantur in dictis constitutionibus; Immo ab exclusione confirmata manent cum omnibus privilegiis bullatis, ut optime notant Lez. Peyr. Bord. Salmant. Solum difficultas est, an privilegia vivæ vocis oraculo concessa regularibus, & postea confirmata per bullam, cum expressa mentione oraculi vivæ vocis, sive in generali confirmando omnes gratias oretenus solum concessas, vel de novo concedendo: sive in specie hoc, vel illud oraculum nominando, vel illius tenorem in bulla recitando, intelligantur revocata. Circa quod

Sciendum III. Quod circa propositum dubium duplex datur sententia, utraque satis probabilis. Una affirmat, fuisse revocata cujus ratio est, quia confirmatio facta per bullam relinquit illa privilegia in sua natura, in qua erant; adeoque non mutant naturam oraculi oretenus concessi. Deinde, cum plures Pontifices, etiam post dictas revocationes confirmaverint, & innovaverint omnia privilegia, etiam oretenus solummodo concessa religionibus: & ipse Gregorius XV. anno 1621. in bulla, quæ incipit, *In Apostolica*, Theatinis confirmaverit omnia privilegia, etiam oretenus pro illis, aut aliis religionibus concessa, ut refert Pelliz. & hoc ex certa scientia, & de plenitudine potestatis; sequeretur, quod dictæ revocationes essent frustraneæ, & nugatoriæ. Ita Quintanad. Dian. Bord. Donat. Prad. Portel. Altera sententia negat, dicta privilegia fuisse revocata: quia jam desinunt esse mera oracula per hoc, quod sint per bullam confirmata: sicut privilegium insertum in corpore juris communis, induit rationem canonis, & legis communis. Ita Pelliz. Lez. Peyr. noster Thomas Hurtado, Salmant. & alii.

Sciendum IV. Quod inter dictas duas sententias media via incedendum videtur, & dicendum cum prima, quod oracula vivæ vocis in genere solum confirmata per bullam, remanent revocata per supra dictas constitutiones Gregorii, & Urbani. Cum secunda vero dicendum, quod oracula vivæ vocis in species confirmata, nominando in bulla hoc, vel illud oraculum, vel illius tenorem in bulla recitando, non intelliguntur revocata. Ratio autem videtur manifeste deduci ex intentione Pontificum revocantium oracula vivæ vocis, & præcipue ex appendice Constit. Urbani. Nam finis revocationis, seu causa motiva revocandi fuit, quia non erant authentica, & per officiales Pontificis expedita, quibus ratione suorum munerum antea de summi Pontificis oraculis fides præstari solebat. Sed eo ipso, quod oracula in specie exprimuntur in bulla, jam authentice constat de illis, sive retineant naturam oraculi, sive non: ergo non intelliguntur revocata in dictis constitutionibus.

Sciendum V. Quod non comprehendun-

I 4 tur

tur in dictis revocationibus oracula vivæ vocis, quæ jam erant antea sortita suum effectum, ut in ipsis expresse declaratur, & responsum est a Sacra Congr. Cardin. anno 1625. Tunc autem intelligitur oraculum fuisse sortitum suum effectum, quando in suo effectu principali unicum tantum habet actum, licet successive transeuntem, vel certe unum principalem effectum cum pluribus actibus secundariis cum illo necessario connexis, & in futurum succedentibus, ut pluribus exemplis explicant Peyr. Lez. Bord. Castel. Petrus ab Angelis, & Salmant. quamvis alii aliter hoc explicent, ut videre est apud ipsos Salmant. tract. 18. cap. 2. qu. 6.

CAPUT II.

Quomodo, & a quibus interpretari possint privilegia regularium.

Deinde considerandum est, qualiter, & a quibus interpretari possint privilegia regularibus concessa. Circa quod

Sciendum I. Quod interpretatio duplex est. Una doctrinalis, alia authentica, seu juridica. Doctrinalis fieri potest a quolibet viro docto, secundum scientiam tamen, non autem ex arbitrio. Authentica, seu judicialis non potest fieri, nisi a Principe concedente privilegium, sicut dictum est in part. prima, tract. 4. de legibus. Unde privilegia concessa regularibus a Sede Apostolica, a nullo possunt juridice interpretari, nisi a solo Summo Pontifice, vel ab eo, cui ipse commiserit. Quapropter Clem. IV. concessit Prædicatoribus, & Minoribus: Alexand. VI. Congregationi S. Benedicti: Paulus III. Societati Jesu, ne prælati Ecclesiarum privilegia eorum interpretentur, sive clara sint, sive dubia: sed Sedes Apostolica supra his consulatur.

Sciendum II. Quod Generales religiosorum Ordinum interpretari possunt eorum privilegia, cum dubia sunt, pro toto ordine, etiam juridice, ut concessit Julius secundus Generali Prædicatorum: & pro foro conscientiæ, adhibito consilio peritorum, omnes prælati, etiam immediati, ut concessit Xistus IV. Canonicis regularibus S. Salvatoris in bulla, quæ incipit, *Ad universos*: Paulus V. Præposito, aut Deputato Oratorii Neapolitani; quorum interpretationi omnes subditi stare debent, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 88. a. 12. qui hanc facultatem dicit illis a jure competere. Et ita tenent Cajet. Lez. Nav. Tol. Salmant.

Sciendum III. Posse prælatos regulares, non solum interpretari, sed limitare, & restringere, imo etiam pro suis subditis tollere usum privilegii alicujus: (exceptis privilegiis, quæ sunt inserta in corpore juris, quæ vim legis habent, quam abrogare non potest inferior legislatore) Imo & quorumcumque a Sede Apostolica dimanantium, tum ex concessione Leon. X. facta Minoribus, & Augustinianis: & Clement. IV. Cisterciensibus: & Gregor. XIII. Societati Jesu: tum, quia subditi stare debent obedientiæ prælatorum in omnibus. Sic Miran. Lez. Rodr. Portel. Addit Suarez, posse capitulum generale tollere pro tota religione aliquod, vel aliqua privilegia, illis renunciando.

Sciendum IV. Quod privilegia regularibus concessa in nullius revera cedunt præjudicium, sed potius in bonum omnium, ut probat D. Thom. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. quæst. 1. ad 1. & per consequens sunt late interpretanda, attenta materia, & mente Principis concedentis privilegium. & ita concesserunt Alexan. VI. Congregationi S. Justinæ de Padua, & Congregationi Vallis Oleti: Julius II. Congregationi Vallis Umbrosæ: & Paulus III. Societati Jesu; scilicet, quod in dubiis, privilegia regularium semper in illorum favorem sint interpretanda. Sic Portel. Rodr. Brun. Leza. Cætera, quæ pertinent ad interpretationem privilegiorum in communi, dicta sunt in tract. de legib. c. 20.

CAPUT III.

De mutua communicatione privilegiorum inter Ordines regulares.

Deinde considerandum est de mutua communicatione privilegiorum inter Ordines regulares. Circa quod

Sciendum I. Quod communicatio privilegiorum in eo consistit, quod jus uni concessum per aliquod privilegium, alteri etiam concedatur per novam communicationem,

qua

qua illud ipſum iſti conceditur, vel certe per quandam extenſionem talis privilegii, proportione ſervata. Talis autem proportio in eo conſiſtit, ut conceſſum uni religioni, ad aliam religionem extendatur: conceſſum uni provinciæ, ad aliam: conceſſum Generalibus, aut Provincialibus unius religionis, Provincialibus, aut Generalibus aliarum deſerviant: conceſſum capitulis pro capitulis: & conceſſum ſingularibus religioſis, ut partes ſunt communitatis, non prout ſingulares perſonæ, pro aliis ſingularibus alterius religionis vim habeant: ut, puta, conceſſum prædicatoribus, confeſſariis, procuratoribus unius religionis, hujuſmodi perſonis alterius religionis deſerviant: & conceſſum pro feſtivitatibus unius Ordinis, pro alterius Ordinis feſtivitatibus reſpective conceſſum ſit. Qua de re verba indulti attente conſideranda ſunt, tam ex parte ejus, cujus privilegium communicatur, an perpetuum ſit, an totale, an conditionatum: quam ex parte ejus, cui communicatur, an extendatur ad conceſſa dumtaxat, an etiam ad concedenda: quam etiam ex parte modi, quo communicatur, an cum aliqua circumſtantia, limitatione, vel modo, an abſolute.

Sciendum II. Quod omnes religiones mendicantes, & Societas Jeſu: imo omnes fere religiones inter ſe communicant in eorum privilegiis: ut de noſtra Clericorum regularium Minorum fidem facit Benedict. XIII. in bulla expedita die 13. Junii 1725. quæ incipit, *Sacroſanctum*. Tanta autem eſt vis hujus communicationis, ut, ſi privilegium pereat primæ religioni, cui fuit primo conceſſum, imo ipſa deſtruatur, non ideo perit ſecundæ, cui communicatur: quia per communicationem fuit factum proprium communicantis, & omnino independenter a priori religione: ita, ut, licet ab illius privilegio in impetrari, & in fieri dependeat, non tamen in conſervari, ſicuti docent Suar. Sanch. Lez. Bord. Miran. Salmant. & communiter Doctores. Etiam ſi autem alicui religioni concedatur communicatio cum aliis in privilegiis conceſſis; adhuc tamen participat cum aliis in concedendis: quia plures ſunt religiones, quibus fuit jam conceſſum privilegium communicationis in conceſſis, & concedendis: ut conceſſit Leo X. Dominicanis, & Minoribus: Clemens VII. Carmelitis: Greg. XIII. Ciſtercienſibus: Paulus V. Societati Jeſu: & alii Pontifices pluribus religionibus.

Sciendum III. Quod non communicantur privilegia, quæ ſtatutis religionum ſunt contraria: quia, ſecundum quod opponuntur inſtituto, ſunt odioſa, adeoque reſtringenda, ut notant Lez. Portel. Pelliz. Similiter non communicantur privilegia in odioſis, & pœnalibus, niſi hoc cedat in favorem communem religionis: quia Pontifices favorem præſtare potius volunt, quam onus imponere in communicatione privilegiorum, quam concedunt, ut notant Bord. Lez. Miran. Unde ſequitur, quod privilegia conceſſa Societati Jeſu cum dependentia a ſuo Generali, ab aliis religionibus participantur abſque tali dependentia: quia hujuſmodi limitatio non eſt privilegium, ſed onus, & reſtrictio, adeoque odium, quod Societati propter ejus ſpeciale inſtitutum expediens eſt, ſed non extendendum ad alios Ordines, ſicuti docent Pal. Pelliz. Rodr. Baſſæus Salmant.

Sciendum IV. Quod privilegia conceſſa cum clauſula incommunicabilitatis, communicantur etiam aliis religionibus, quibus poſtea idem Pontifex, vel ejus ſucceſſores abſolutam communicationem omnium privilegiorum concedunt, etiam ſi de illa clauſula fiat mentio: quia Summi Pontifices, poſita illa clauſula, non potuerunt ligare manus ſucceſſorum, aut illorum poteſtatem coarctare: maxime, cum in bullis communicationum frequenter apponant clauſulam derogatoriam omni clauſulæ reſiſtenti, & tollant omnes derogatorias derogatoriarum per clauſulam: Quorum tenores. Sic Donat. Urban. Brun. Rodr. Salmant. Mirand.

Sciendum V. Quod communicantur etiam omnes indulgentiæ perpetuæ, quæ generaliter alicui religioni conceduntur intuitu religionis, niſi fuerint de his, de quibus ſpecialis mentio requiritur. Non tamen communicantur indulgentiæ, quæ ob ſpecialem, & ſpecificam rationem, alicui Ordini, vel Eccleſiæ, vel Monaſterio conferuntur, & quæ raro, & nonniſi cum magna difficultate ſolent concedi, ſicuti eſt indulgentia Altaris privilegiati; & ideo ſub generali communicatione non compre-

hen-

henduntur, ut practicatur de stylo Curiæ, & docent Salmant. Peyrin. Merol. Similiter non communicantur indulgentiæ ad tempus: quia communicatio est solum de privilegiis, quæ sunt perpetua, ut notant Lez. Bordon. Salmant.

CAPUT IV.

De usu privilegiorum pro utroque foro.

DEinde considerandum est de usu privilegiorum, tam pro foro interno, quam pro foro externo. Circa quod

Sciendum I. Quod, ut privilegiatus possit uti privilegio in foro conscientiæ, debet sibi constare de validitate, aut firmitate ejus: vel saltem debet circa hoc habere opinionem vere, & practice probabilem. Hoc enim sufficit, ut sit tutus in conscientia illo utendo: vel etiam sufficit, quod per consuetudinem illud acquisierit. In foro autem externo requiritur, quod illud exhibeat in scriptis, vel in forma probante: quia in hoc foro nulli creditur sine probatione, ut habetur ex cap. Tua nos de sponsalib. cap. Accepimus 4. de privileg. Episcopus autem dubitans de validitate privilegii regularium, non potest impedire illos, ne interim utantur tali privilegio, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam, ut docent Rodr. Pelliz. Salmant. Imo addit Garcia, posse religiosos uti suis privilegiis adversus quemcumque Papa inferiorem: qui, si ab oppositione non desistat, potest eum religio excommunicare per Judicem conservatorem, ut dicetur in cap. seq. & interim, quod factum fuerit contra illos, erit nullum, ob indultum Julii II. concessum religiosis de Monte Oliveti, & Leon. X. Augustinianis. Nec privilegia regularium cessant per usum contrarium, ob privilegium bullatum Eugen. IV. concessum Congr. S. Benedicti, ut referunt Portel. & Dian. & ab eodem concessum Congr. S. Justinæ, quod referunt Bord. & Tamb. Qualiter autem privilegiatus possit uti privilegio adversus alium privilegiatum, dictum est in tract. de legib. cap. ult.

Sciendum II. Quod regulares uti possunt privilegiis, quæ sunt contra decreta Trident. & per Trident. non fuerunt revocata, cum adhuc remaneant in suo robore, & firmitate, ut ex se constat, & est certum apud omnes. Non autem possunt uti illis privilegiis, quæ fuerunt revocata per Trident. per clausulam revocatoriam illorum. Nam, quamvis Pius V. concesserit regularibus, ut possent uti privilegiis revocatis per Trident. tamen postea Greg. XIII. in bulla, quæ incipit: In tanta rerum, & negotiorum mole; tale indultum revocavit: & ex praxi expediendi bullas, hoc idem constat, cum in illis fere semper apponatur clausula hæc: dummodo decretis Tridentini non sint contraria: Quod, non solum de foro externo, sed etiam de foro interno intelligi debet. Unde ab Alexand. VII. damnata fuit hæc prop. 36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.* Possunt tamen regulares uti aliis privilegiis revocatis per alia Concilia generalia antecedentia: quia Trident. cætera, non revocando, tacite confirmavit, ut ostendunt Salmantic. in præf. tract.

Sciendum III. Quod regulares, & quilibet alius privilegiatus, possunt uti privilegio, sibi absolute concesso sine limitatione aliqua, in quolibet loco, nisi de mente concedentis aliter constet: vel, nisi speciali lege, consuetudine, aut statuto fuerit materia ejus prohibita in aliquo loco, & absit scandalum. Quia ex una parte privilegium reale sequitur personam, & non afficitur loco: ex alia parte non derogat consuetudini, aut statuto particulari. Ita Bonac. Pal. Suar. Unde, qui habet privilegium ab Episcopo audiendi confessiones suorum subditorum, ubilibet poterit illas audire intra ejus Diœcesim; non autem extra territorium, ob bullam Innocent. XII. quæ incipit: Cum sicut non sine animi nostri dolore; de qua dictum est in tract. de pœnitent. & iterum infra dicetur. Item si es dispensatus in jejunio, vel habes privilegium comedendi lacticinia, vel carnes ob infirmitatem, ubicumque fueris, poteris tali privilegio uti, secluto scandalo. Sic Laym. Azor. Salmant. Si autem aliter constet de mente legislatoris, seu concedentis, non potest quis uti privilegio, sicut dictum est in tract. de legib.

Cap.

cap. ult. Qua de re vide Salmant. in tr. de privileg. regular. cap. 4.

CAPUT V.

De privilegio eligendi Judicem conservatorem.

DEinde considerandum est de privilegiis in speciali, quæ totam concernunt communitatem regularium. Et primo de electione Judicis conservatoris. Secundo, de exemptione a Jurisdictione Episcopali. Tertio, de facultate nova Monasteria fundandi. Quarto de facultate sepeliendi sæculares in propriis Ecclesiis. Quinto, de privilegio non solvendi portionem canonicam, & quartam funeralem. De aliis autem privilegiis dictum est suis locis. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod conservator, ut in præsenti accipitur, est Judex a Papa delegatus ad tuendos regulares ab injuriis illis illatis, illorum bona, jura, & privilegia defendendo. Omnes autem regulares utriusque sexus habent a Sede Apostolica facultatem nominandi, & designandi Judices conservatores, ut concessit Xistus IV. Carmelitis in bulla, Dum attenta: Pius V. Dominicanis in bulla, Ad hoc nos Deus. Julius II. Minimis in bulla, Alias venerabilem: & Gregor. XIII. Societati Jesu in bulla, Æquum reputantes. De quibus, & aliis privilegiis late agit Barbosa, asserens, declaratum fuisse a Sacra Congreg. omnes religiones in illis communicare.

Sciendum II. Quod Judex conservator potest aliis suas vices subdelegare, ut patet ex citatis bullis, & etiam, quia est electus ad universitatem causarum, & ideo Ordinarius est. Nec ejus munus cessat quoad negotia non cœpta ob mortem Pontificis, ut docent Rodr. Lez. Probabilius tamen est oppositum, quod docent Barb. & Cochier, attento cap. fin. de offic. Judic. deleg. in 6. quod & confirmavit Greg. XV. & innovavit. Jus eligendi hujusmodi Judicem, de jure communi competeret Prælatis cum suis Capitulis: sed attentis privilegiis competit etiam Prælatis localibus. Electus autem tenetur ostendere Ordinario suam facultatem, juxta Constitut. Gregorii XV. ut notat Peyrin. qui etiam ponit formulam eligendi Judicem conservatorem.

Sciendum III. Quod quæcumque persona in dignitate Ecclesiastica constituta potest eligi in Judicem conservatorem, ut patet ex supradictis privilegiis. Possunt igitur eligi Episcopi, Abbates, Cardinales, Vicarii generales Episcoporum, Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpositi, Decani; siquidem hi omnes habent dignitatem Ecclesiasticam. Possunt etiam eligi Canonici cujuscumque Ecclesiæ Cathedralis ex Clemente VIII. in Constit. edita anno 1592. Nemo potest esse Conservator sui Conservatoris ex jure communi; nec substitutus, sive in temporali, sive in spirituali jurisdictione, potest esse conservator sui Domini, vel Superioris, exceptis Regibus, & Regnis. Ita Barb. Lez. Pelliz. Prælati regulares possunt institui conservatores ex privilegio Clem. VIII. apud Rodr. Peyr.

Sciendum IV. Quod præterea ad hoc, ut aliquis possit eligi in Judicem conservatorem, requiritur a Trident. sess. 25. c. 10. quod fuerit electus Judex Synodalis, seu designatus a Synodo ad hoc munus, seu, ut possit eligi in conservatorem: quod decretum innovavit Clem. VIII. & Gregorius XV. adeoque debet omnino observari. Aliud decretum ejusdem Gregorii referunt Salmant. continens, quod regulares intra quinquennium debent eligere Judices conservatores, quos nonnisi elapso quinquennio mutare non possint: quod, si non eligant, coram Ordinariis possunt conveniri, quamdiu non elegerint. Electi in conservatores tenentur munus acceptare sub pœna excommunicationis, & suspensionis latæ sententiæ soli Papæ reservatæ ex decreto Julii II. & Pii V. sicuti notant Rodr. Pelliz. Portel. Salmant. Excipe tamen, nisi sint religiosi, hi enim acceptare non tenentur.

Sciendum V. Quod amplissima est Judicum conservatorum potestas, ita, ut a nullo impediri possit, nec etiam a legato a latere: contra quos, si opus est, potest religiosos tueri etiam per censuras, tum ex jure communi, tum ex privilegiis supra citatis, quando sibi fuerint inobedientes, etiam appellatione quacumque postposita, quando causa est notoria. Et non solum religiosos, sed etiam illorum familiares, aut Syndicos, Procuratores, & alios hujus-

hujusmodi possunt auctoritate sibi collata defendere contra quoscumque, ut patet ex dictis privilegiis. Sed, loquendo de rebus, causis, & negotiis, ad quæ Judicum conservatorum jurisdictio se extendit, quamvis ex supradictis privilegiis ad omnes causas se extendat, sive cum judiciali indagine, sive absque illa, tamen ex Constitut. Greg. XV. adeo restricta, & limitata est, ut pene ad nihilum sit redacta. Pro cujus notitia

Sciendum VI. Quod potestas Judicum conservatorum ex Constit. Greg. XV. solum se extendit ad causas, in quibus religiosi sunt rei: in causis vero, in quibus sunt actores, non possunt procedere, nisi in manifestis injuriis, ac violentiis, ut declaravit Sacra Congr. anno 1624. Nec procedere possunt extra civitates, aut Diœceses, in quibus fuerint deputati; licet vocare possint extra illas existentes per duas dietas, seu 60. milliaria, & sola indagine judiciali, ut patet ex dicta Constitut. quæ incipit: Sanctissimus. Si vero excedant suæ jurisdictionis metas, incurrunt suspensionem ab officio per annum, ut habetur in cap. fin. de offic. delegati in 6. Pars vero, quæ procuravit, quod Judex excedat, excessu secuto, excommunicationem incurrit, a qua absolvi non potest, nisi satisfacta parte integraliter de expensis. Impedientes vero, vel molestantes conservatores, incurrunt excommunicationem, vel suspensionem ex concessione facta a Pio V. Dominicanis.

CAPUT VI.

De privilegio exemptionis regularium a jurisdictione Episcopali.

Deinde considerandum est de privilegio exemptionis regularium a jurisdictione Episcopali. Circa quod

Sciendum I. Quod omnes fere regulares exempti sunt a potestate ordinaria omnium Prælatorum, Papa inferiorum, ex variis privilegiis, quæ videri possunt apud Catarrub. Quare omnes Prælati regulares habent in propriis Monasteriis, & Ecclesiis jurisdictionem pleno jure quasi Episcopali, juxta doctrinam Glossæ communiter receptam in Clement. de rebus Eccles. non alien. verb. proprii, ut notat Barbosa. Sunt autem exempti regulares, tam in civilibus, quam in criminalibus: tam quoad personas, quam quoad loca, Monasteria scilicet, & Ecclesias, ut constat ex Constitut. Bonif. IX. quæ incipit: Sacræ religionis; apud Confect. & Nicol. V. Etsi cunctorum: & Xisti IV. apud eundem. Unde Episcopi, & alii Prælati, nullam jurisdictionem ordinariam, aut præeminentiam exercere valent in eorum bonis, personis, locis, sicut ex infra dicendis magis constabit. Hæc autem exemptio, quamvis tam ampla, & generalis, non tollit, quin in aliquibus rebus, & casibus limitetur, & in illis ex jure divino, vel humano regulares Episcopis subjiciantur. Qua de re

Sciendum II. Quod regulares subjiciuntur Episcopis in administratione Sacramentorum, de qua infra erit sermo: Quantum vero ad susceptionem Ordinum, dictum est in part. 1. tr. 14. Quoad renunciationem faciendam a Novitiis, dictum est in tract. ant. Item regulares exempti non possunt erigere nova Monasteria sine licentia Episcopi, ut dicam in cap. seq. Neque possunt sine ejus licentia recipere Ecclesias a sæcularibus, ex cap. Decimas, 16. q. 7. cap. Nullus, de jure patronat. Neque imprimere libros sine licentia Episcopi in scriptis, ut cautum est in Concil. Lateran. sub Leon. X. sess. 10. Insuper possunt ab Ordinariis compelli ad restituenda Novitiis, egredientibus a religione, ea omnia, quæ tempore ingressus secum detulerunt, etiam per censuras ex Trid. sess. 25. c. 16. Habet etiam potestatem Episcopus cognoscendi de nullitate professionis, ut dictum est in tract. ant.

Sciendum III. Quod insuper Episcopus habet auctoritatem explorandi voluntatem Virginis ingressæ Monasterium, aut professuræ: & statuendi numerum Monialium in Monasteriis, etiam exemptis, ex Trident. sess. 25. c. 3. & 7. & ex variis declarat. S. Congr. Potest etiam procedere contra regulares in causis miserabilium personarum, quando degunt extra Monasterium, ex Trident. sess. 7. c. 14. & declaravit S. Congr. anno 1573. Subjiciuntur etiam regulares Ordinariis quoad publicas processiones, ex Trident. sess. 25. c. 13. excipiuntur tamen plures religiones habentes privilegium

Pos-

Poſſunt tamen ſine licentia Epiſcopi proceſſiones facere intra Eccleſiam, ejuſque Monaſterii ambitum, ut pluries declaravit S. Congr. Circa vero id, quod poſſunt regulares in ſuis Eccleſiis, magnæ exortæ ſunt inter illos, & Parochos controverſiæ, ob quas conſulta fuit S. Congr. anno 1520. cujus reſponſa authentica legi poſſunt apud Salmant. tr. 18. cap. 3. n. 9.

Sciendum IV. Quod in tribus caſibus poſſunt Ordinarii compellere regulares exemptos ad obediendum per cenſuras. Primo in ordine ad reſtituendum Novitiis exeuntibus ea, quæ attulerunt, ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. Secundo contra Moniales clauſuram non obſervantes, ſeſſ. ead. c. 5. Tertio contra celebrantes in Oratoriis privatis, ſeſſ. 12. de celebr. Miſſar. Ultra hos caſus, nullus datur in jure expreſſe, in quo regulares poſſint ab Ordinariis per cenſuras compelli. Plures autem Doctores dicunt, quod in omnibus caſibus, in quibus regulares Ordinariis ſubjiciuntur, poſſunt compelli per cenſuras, alias fruſtranea eſſet Ordinarii juriſdictio, ut docent Riccius, Barb. Rodr. Bord. Probabilius tamen eſt oppoſitum, quia jus, ubi vult concedere talem facultatem, id exprimit, ut colligitur ex jure communi, cap. Nolentes, de privil. in 6. & ex variis privilegiis id declaratur: ex quibus unum ſufficiat conceſſum a Paulo III. Societati Jeſu, ut videre eſt in bullario ejuſdem Societ. fol. 35. & docent Lez. Sanch. Brun. Pelliz. Cord. Salmant. In caſu autem notorietatis cenſuræ incurſæ a regulari, in quo non requiritur citatio, poſſe Epiſcopum declarare regularem excommunicationem incurriſſe, docent Dian. Pelliz. Garc. ut notant Salmant.

Sciendum V. Quod in cauſis criminalibus non poſſunt Ordinarii contra regulares procedere, niſi in caſibus in jure expreſſis: &, ſi ſecus fecerint, incurrunt ipſo facto cenſuras, & irritum, & inane erit quidquid contra eos facere attentaverint, ut patet ex bulla Clem. IV. quæ eſt 4. in bullario Cherub. & Xiſti IV. in bulla, quæ incipit: Mare magnum. Nec obſtat decretum Innoc. IV. editum in Concil. Lugdun. & innovatum in Trident. ſeſſ. 7. c. 14. quia in illo non comprehendi regulares exemptos, declaravit idem Innoc. in bulla, quæ incipit: Cum olim duxerimus: & in alia, quæ incipit: Cum nuper: & Pius V. in bulla, Et ſi mendicantium, confirmata in ſpecie ab Urban. VIII. in bulla, quæ incipit: In plenitudine. In duobus tamen caſibus a Tridentino datur facultas Ordinariis procedendi contra regulares exemptos. Primo contra eos, qui extra clauſtra degentes (permanenter tamen, & longe a correctione Prælatorum) delinquunt, ut habetur in ſeſſ. 6. c. 3. Secundo contra eos, qui degentes intra clauſtra, extra illa cum ſcandalo populi notorio delinquunt, quando inſtante Epiſcopo, a ſuo Superiori non puniuntur taliter, ut punitio innoteſcat Epiſcopo, ut habetur ſeſſ. 25. c. 14.

Sciendum VI. Quod non poteſt Epiſcopus viſitare Monaſteria, nec Eccleſias regularium exemptorum, nec Capellas, aut Confraternitates proprias religionis, niſi reſcriptum particulare Papæ ad hoc oſtendant, ut manifeſte colligitur ex Trident. ſeſſ. 25. c. 20. Circa quod dantur plures declarationes, quas referunt Lez. Rodr. Barb. In caſu autem, quo regulares habeant in ſuis Eccleſiis res prohibitas, aut indecentes, tunc Concilium provinciale poterit illas viſitare, & etiam cenſuris contra regulares procedere, ſecundum quandam declarationem S. Congr. quam refert Barboſ. Nec etiam poteſt Epiſcopus viſitare Eccleſias Parochiales ſubditas regularibus, quæ adminiſtrantur per Parochum religioſum: nec iſtum punire poteſt in defectibus ſuum officium concernentibus, ut ſæpius declaravit Sac. Congr. apud Barboſ. Probabilius etiam eſt, non poſſe Epiſcopos viſitare Monaſteria Monialium exemptarum, ut videre eſt apud Salmantic. tr. 18. c. 3. & licet ex jure communi poſſint viſitare teſtamenta, in quibus regulares conſtituuntur hæredes, ad cognoſcendum, ſi ſatisfaciant legatis; tamen ex privilegio Eugen. IV. conceſſo Benedictinis, & Xiſti V. conceſſo Clericis Congr. de Somaſcha anno 1585. illa amplius viſitare non poſſunt.

Sciendum VII. Quod regulares exempti non tenentur intereſſe Conciliis Provincialibus, aut Synodis Diœceſanis, niſi ſint Parochi, ut patet ex Trident. ſeſſ. 14. c. 2. & ex privileg. Eugen. IV. conceſſo Benedictinis, relato a Rodr. in ſuo Bullario: & a Leon. X. Camaldulenſibus Bulla 2. apud Cherub. & declaravit S. Congreg. anno

anno 1124. ut refert Barbosa. Neque vi coactiva obligantur ad observandas leges Synodales Diœcesis, aut Provinciæ, ut est certum: Imo nec vi directiva, seu in conscientia, nisi in casibus expressis in jure, ut patet ex cap.1. de privilegiis in 6. Sed in jure non habetur expressum, nisi, quod regulares tenentur observare interdictum ab Episcopo impositum, quando observatur a matrice, & festa Diœcesana indicta pro tota Diœcesi ab Episcopo, ut patet ex Trident. sess. 25. cap. 12. & ex Clement. 1. de sent. excomm. Ergo ad nihil aliud tenentur, maxime cum ad alia onera sint obligati. Ita Salmant. Lez. Portel. Bonac. Bord. contra Vasq. Sanch. Rodr. Ratione tamen officii dependentis ab Episcopo (puta, Parochi, Concionatoris, Confessoris), erunt obligati in conscientia ad observandas leges diœcesanas: quia in condendis legibus Diœcesanis, procedunt Episcopi tanquam ordinarii, non vero tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

Sciendum. VIII. Quod hoc privilegio exemptionis a jurisdictione Episcopali gaudent omnes religiosi professi, sive viri, sive fœminæ: novitii etiam, & tertiarii cujuscumque ordinis collegialiter viventes, si sint viri: si autem fœminæ, vitam cœlibem expresso voto sub habitu tertii ordinis ducentes, ut concessit Sixtus IV. & Leo X. Imo etiam famuli regularium quoad aliqua sunt exempti a jurisdictione ordinarii, si actu serviant, & resideant in Monasteriis, nimirum, quoad Sacramentorum administrationem, & quoad censuras, juxta concessionem bullatam Alex. IV. quam refert Cherubin. ex dictis colligitur, quod Monasteria, & Ecclesiæ regularium se habent sicut alia loca extra Diœcesim existentia, in quibus sæculares delinquentes non incurrunt censuras latas ab Episcopo, nec ad statuta Diœcesana obligantur, uti docent Salas, Alter. Peyr. Laym. Bordon. Pelliz. Salmant.

CAPUT VII.

De privilegiis nova Monasteria fundandi, mutandi, transferendi &c.

Deinde considerandum est de potestate, quam habent regulares nova monasteria fundandi, mutandi, transferendi, deserendi, & alia hujusmodi faciendi. Circa quod

Sciendum I. Quod, quamvis olim regulares plura haberent privilegia fundandi nova monasteria, nullius ad hoc requisita licentia: modo tamen omnia revocata sunt ab Urban. VIII. in Const. quæ incipit, Romanus Pontifex, in qua confirmat Constit. Clem. VIII. quæ incipit, Quoniam ad institutam: & Greg. XV. juxta formam etiam requisitam a Trident. Ex quibus tres nunc conditiones requiruntur ad nova Monasteria fundanda. Prima est Episcopi Diœcesani, seu ordinarii loci expressa licentia. Secunda, quod ad eam concedendam vocentur Priores, & Procuratores Monasteriorum, aliique in eo interesse habentes, & audiantur, an ipsis incommoda sint, & nociva nova erigenda Monasteria. Tertia, quod nova non erigantur Monasteria, nisi in eis ex reditibus, & aliis consuetis eleemosynis commode duodecim religiosi sustentari possint, alias correctioni, visitationi Ordinarii loci, atque omnimodæ jurisdictioni talia Monasteria erecta, absque eo, quod duodecim fratres in eis valeant habitare, & de facto habitent, subjecta esse intelligantur. Multi quartam conditionem requirunt, scilicet, Sedis Apostolicæ facultatem: atque ita declarasse S. Congr. referunt Barbos. Pelliz. Campanil. Alii oppositum probabilius judicant, inter quos Suar. Bord. Sorb. Brun.

Sciendum. II. Quod, si alii regulares irrationabiliter, aut ex mala voluntate consensum negant, poterit Episcopus, non expectato illorum consensu, concedere talem licentiam, ut notant Lezan. Pelliz. Imo, si Episcopo constiterit novum Monasterium nullum detrimentum aliis afferre, non tenebitur modo dicto aliorum ordinum convocare Prælatos, ut declarasse Sacram Congr. anno 1642. refert Lezana. Circa tertiam conditionem notandum, quod ex Decreto S. Congr. 29. Novemb. 1657. Sufficit, quod in Monasterio de facto degant permanenter sex saltem religiosi, quorum quatuor sint Sacerdotes, ad hoc, quod non esse subjecta correctioni, visitationi, & jurisdictioni Ordinarii intelligantur: alias, subjecta esse intelligantur omnimodæ jurisdictioni Ordinarii, & statutis Synodi Diœcesanæ.

celanæ ligantur in his, quæ regulari obſervantiæ non opponuntur, ut decrevit Innoc. X. die 10. Februar. 1654. & Alexand. VII. die 30. Martii 1661. ut refert Fœlix Poteſtas p. 1. tom. 1. c. 2. num. 66. Quod tamen intelligendum non eſt de religioſis exiſtentibus in grangiis, vel in aliis partibus dependentibus a Monaſterio pro ſervitio religionis, quia ſunt partes Monaſterii, cap. Recolentes §. Monaſterium, de ſtatu Monach. Sic Sanch. Salmantic. Barb. & Bellarm. qui adducit declarationem S. Congr.

Sciendum III. Quod in dictis prohibitionibus non comprehenduntur hoſpitia, etiam ſi Eccleſiam habeant, ad quorum proinde conſtructionem non requiruntur prædictæ conditiones, & ſolemnitates, ut docent Riccius, Tambur. Peyr. Bord. Debent tamen obſervari prædictæ ſolemnitates in conſtructione novi Monaſterii monialium, ut declaravit S. Congr. anno 1620. apud Barboſ. Quarum inſuper Monaſteria ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 5. intra urbes, aut oppida conſtrui debent: & ex Decreto Sacræ Congr. ut refert Barboſa, non niſi in locis, in quibus adeſt Presbyterorum, & regularium copia, ad audiendas earum confeſſiones. Ita Lezan. Ugolin. Vener. Salmant.

Sciendum IV. Quod in conſtructione novi Monaſterii ſervari debet certa diſtantia inter Monaſterium, quod de novo fundatur, & alia jam fundata. Circa quod plura extant privilegia: nam Clemen. IV. ut refert Portel. conceſſit Minoribus, ne reliquæ Mendicantes, aut quæcumque aliæ religiones quæſtuantes, poſſent ædificare Monaſteria intra ſpatium 300. cannarum a ſuis Conventibus, menſurandarum per aerem. Conſimile privilegium conceſſit idem Pontifex Prædicatoribus, ut teſtatur Joan. a Cruce. Et Carmelitis minus amplum 140. cannarum. Item ex conceſſione Urban. IV. nulla ædificia conſtrui poſſunt intra unum milliare ab Abbatiis, & locis Ordinis Ciſtercienſium, & Siſtus IV. pro Carthuſianis ſtatuit, ne intra dimidiam leucam a terminis poſſeſſionis illorum alicui religioni liceat quodlibet ædificium conſtruere, vel poſſeſſiones acquirere. Sed Minimi habuerunt facultatem fundandi Monaſteria etiam in diſtantia a Monaſteriis aliorum Ordinum per 140. cannas, a Julio II. Quod etiam Societas Jeſu obtinuit a Gregor. XIII. Spatium autem cannarum menſurandum eſt a janua antiquæ Eccleſiæ ad alteram recenter ædificandæ, licet aliunde horti eſſent contigui, ut ex declaratione Pontificis facta Minoribus, & Prædicatoribus, teſtatur Bruno.

Sciendum V. Quod licet ex jure antiquo in cap. 1. de exceſſib. Prælat. in 6. & Clement. Cupientes de pœnis, & cap. un. de relig. domib. in 6. non liceret Mendicantibus Monaſteria mutare ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, niſi mutatio ad eremos facienda eſſet; at ex privilegio nunc poſſunt Monaſteria ad alia loca magis idonea transferre cum ſuis reditibus, fructibus, privilegiis, quæ habebant, ut plures Pontifices conceſſerunt variis religionibus, ſicut referunt Salmantic. Ad hanc autem mutationem non eſt neceſſe ſervare conditiones requiſitas pro conſtruendo novo Monaſterio, dummodo intra eandem urbem, vel prope illam, aut oppidum, vel villam fiat translatio. Sic Bord. Lez. Miran. Barb. Navar. Similiter, licet ex jure antiquo abſque expreſſa licentia Papæ non poſſent Mendicantes totaliter deſerere Monaſteria, ex privilegio tamen Siſti IV. Urban. VIII. & Siſti V. Minoribus, & Benedictinis conceſſo, poſſunt ſine tali licentia. Quod, ſi Monaſteria derelicta velint de novo recuperare, non eſt neceſſe, ut obſervent conditiones requiſitas pro conſtructione novi Monaſterii, ſive coacte illa dereliquerint, ſive ſponte: quia non novum Monaſterium, ſed antiquum acquirunt, ut probabilius docent Lez. Rodrig. Miran. Salmant. contra Cherub. Peyr. & Ceſped. Denique ex privilegiis Joan. XXIII. Pii II. Innoc. VIII. & Urban. VIII. poſſunt conventus tenues, & pauperes, & eorum bona cum aliis Conventibus incorporare, in quibus ſufficiens numerus fratrum ali poſſit: & onera omnia in illos transferendo, & providendo, ut in Eccleſiis derelictis quandoque divina celebrentur; Ad quod tamen licentia Diœceſani non requiritur, ut notant Salmant.

CA-

CAPUT VIII.

Qualiter eligentes sepulturam in Ecclesiis regularium, possint ab eis sepeliri.

DEinde considerandum est de privilegio regularibus concesso, ut possint sepelire in propriis Ecclesiis sæculares. Circa quod

Sciendum I. Quod, præsuppositis his, quæ dicta sunt in tract. de testam. cap. 15. quando quis sponte eligit sepulturam apud regulares, vel in eorum Ecclesia habet sepulchrum majorum suorum, poterit ibidem sepeliri, sive cum habitu religionis, sive absque illo, ut habetur ex cap. ubicumque 13. quæst. 2. cap. Agapitus 16. qu. 1. Clement. Dudum, de sepult. & ex pluribus privilegiis, ut videre est apud Barb. Cherub. & Lezan. Quæ privilegia conveniunt etiam Monialibus, ut declaravit S. Congr. sub Greg. XV. Nec Parochi possunt plus exigere pro associandis corporibus ad Ecclesias regularium, quam si ad Parochiam ducerentur, ut patet ex cap. Audivimus 41. de Simonia cap. Nos sunt 8. cap. Cum in Ecclesia eod. tit. & ex Clem. VIII. in Bulla, quæ incipit, Expositum: apud Rodr. in qua id prohibet sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ Parochis Indiarum, ut referunt Portel. & Lezan.

Sciendum II. Quod quando Parochi non interveniunt associationi cadaveris sepeliendi apud regulares, etsi possint habere emolumenta, quæ illis propter jus Parochiale conveniunt: sed non illa, quæ propter associationem debentur, ut declaravit S. Congreg. anno 1640. & juxta Decretum Urban. VIII. ut refert Peyrin. hæredes defuncti non tenentur convocare ad associandum corpus tot Clericos, quot regulares: nec prius totum Capitulum, quam religiosos: nec dare tot candelas Parocho, quot regularibus: sed convocare possunt Clericos sibi bene visos, & cuilibet dare ceram sibi bene visam: revocans in hoc quælibet instituta, & consuetudines, seu abusus. Ex Decreto tamen Leon. X. in Bulla, Dum intra: tenentur regulares prius vocare, & expectare Parochum defuncti, quo renuente, possunt cum Cruce levare corpus defuncti, ut declaravit Sac. Congr. anno 1614. & ad propriam Ecclesiam recto tramite deferre processionaliter, absque eo, quod illud teneantur prius deferre ad Ecclesiam Parochialem, ut ex declarat. S. Congr. referunt Peyr. & Lezan. Qui addit ex alia declarat. S. Congr. ad regulares spectare, determinare per quam viam sit asportandum cadaver. Officium vero super cadaver omnino debet fieri ab ipsis regularibus, non vero a Parocho, nec a Canonicis, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, ut declaravit eadem S. Congr. anno 1629. apud Barbos. & Peyrin.

Sciendum III. Quod in casu, quo cadaver publici excommunicati, usurarii, aut interdicti, sepultum fuerit intra Ecclesiam regularium, potest Episcopus illius exhumationem præcipere: quia ipsi ita conceditur a jure in dictis tribus casibus tantum, abrogatis omnibus privilegiis in contrarium, ut patet ex Clement. Eos, de sepult. Absolute tamen in omnibus casibus recensitis in Rituali Romano, debet cadaver sepultum, si ab aliis discerni possit, exhumari, in quocumque loco sacro sepultum sit, vel per præceptum Ordinarii, vel Prælati regularis respective. Sepelientes vero hæreticos, eorumque fautores, & receptatores, incurrunt excommunicationem ipso facto, ex cap. Quicumque 2. de hæret. in 6. Insuper sepelientes in loco interdicto in casibus non concessis a jure, vel publice excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter tamen, & cum præsumptione, ipso facto sunt excommunicati: nec possunt absolvi, nisi satisfactione præstita ad arbitrium Episcopi Diœcesani, ex Clement. 1. de sepult. quas excommunicationes incurrunt etiam mandantes, & procurantes, & authentice concurrentes ad sepeliendos supra dictos, ut dictum est in tract. de Censuris 1. part. & docent Ugol. Pal. Suarez, & Salmanticenses.

CA-

CAPUT IX.

Utrum regulares teneantur solvere portionem Canonicam, quartam funeralem, & decimas.

DEinde considerandum est, an regulares exempti sint a solvenda portione Canonica, quarta funerali, & decimis. Circa quod

Sciendum I. Quod portio Canonica debetur Episcopis ex omnibus legatis, & donationibus causa mortis, quæ fiunt Ecclesiis suæ Diœcesis, aut aliis locis piis, in recognitionem suæ superioritatis, & ob pabulum spirituale, quod illis præbet, ut patet ex cap. de his 20. quæst. I. cap. Constitutum 16. quæst. I. Clement. Dudum, de sepult. apud Barbos. Hæc aliquando erat tertia pars, aliquando quarta, & ob id quarta Canonica dicebatur legatorum, & aliorum, quæ Ecclesiis relinquebantur. Sed in hoc, standum esse consuetudini, decrevit Innoc. III. in cap. Requisitis de testament. & ult. volunt. Quæ consuetudo vix est amplius in usu. Cæterum sive sit in usu, sive non, Monasteria regularium exemptorum, tam virorum, quam mulierum, eam solvere non tenentur, tum ex extrav. Inter cunctas §. de quibuscumque, de privileg. tum, quia plura dantur privilegia regularibus concessa cum revocatione cap. Dudum, eximentia illos a solutione quartæ Canonicæ Episcopis debitæ, ut concessit Julius II. Dominicanis, & Minoribus: Eugenii IV. Benedectinis. Sistus IV. Carmelitis in eorum mari magno. Qua de re Rodr. Garc. Lezan.

Sciendum II. Quod portio Parochialis, seu funeralis, debetur Ecclesiæ Parochiali, seu Rectori illius de funeralibus, & legatis relictis Ecclesiæ, apud quam Parochianus eligit sepulturam: & de omnibus, quæ adveniunt ratione funeris, seu in die funeris, ut patet ex pluribus capit. sub tit. de sepult. Aliquando fuit tertia pars, aliquando dimidia, sed frequenter quarta, & ob id quarta funeralis communiter dicitur, ut constat ex Clement. Dudum, de sepult. extra communi. Super Cathedram, de sepult. Sed in hoc standum est omnino consuetudini legitime introductæ, ut probat Gloss. in cap. I. de sepult. ver. tertiam partem. Hæc portio est magis in usu; &, secundum jus commune, eam tenentur solvere omnes regulares, quantumcumque exempti, nisi speciali privilegio a solutione quartæ funeralis eximantur, ut constat ex dicta Clem. Dudum. Non enim in hac parte Generalis communicatio privilegiorum suffragatur, ut aliqui prætendunt, quia est in præjudicium tertii: pro quo plures decisiones affert Barbos. Quamvis oppositum probabilius videatur Salmant. pro quo alias decisiones adducunt Bonac. Lezan. Molphes. Quarant. & Garc.

Sciendum III. Quod omnes fere religiones exemptæ, propter specialia privilegia illis concessa, sunt exemptæ a solutione quartæ funeralis. Nam Gregor. XI. Martin. V. & Sistus IV. hoc concessit, cum derogat. Clement. Dudum, Minoribus, & Prædicatoribus, apud Confect. imposita excommunicatione cunctis cogentibus regulares ad eam solvendam. Julius II. & Julius III. idem concessit Minoribus; Eugen. IV. Benedectinis S. Justinæ, ut refert Rodr. Julius II. Congregationi Vallis Umbrosæ. Leo X. Alex. VI. & Paulus V. Minoribus. Sed, quia plures religiosi incuria, vel ignorantia ducti, hanc quartam funeralem solvebant, Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. statuit primo, Monasteria, quæ per quadraginta annos ante Concilium solita erant solvere quartam funeralem, teneri in posterum eam solvere, non obstantibus quibuscumque privilegiis. Secundo, quod illa Monasteria fundata ante Concilium, quæ solita non erant per quadraginta annos ante quartam funeralem solvere, in posterum etiam non tenentur ad illam solvendam. Tertio, quod Monasteria fundata ante Concilium citra quadraginta annos, non tenentur ad illam solvendam. Quarto, quod Monasteria fundata post Concilium, aut in posterum fundanda, non tenentur illam solvere.

Sciendum IV. Quod pro illis, qui quartam funeralem solvere tenentur, plures Pontifices, & præcipue Pius V. in Bulla, Et si mendicantium; statuerunt, ut regulares non tenerentur solvere quartam funeralem, requisitam a Trident. nisi de cera, & aliis, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum cor-

pora ad sepulturam deferuntur: non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, fratribus ipsis, seu monialibus hujusmodi relictis pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, & pannorum, vel pro victu fratrum. Sic Covar. Lez. Bord. & Barb. qui plures referunt declarationes Sacræ Congr. Denique addo, quod novissime Benedictus XIII. in Concilio Romano obligavit omnes regulares ad solvendam parochis quartam funeralem, revocando circa hoc omnia privilegia. Ubi ergo acceptata sunt decreta hujus Concilii, regulares quartam funeralem solvere tenentur.

Sciendum v. Quod Monachi, & Religiosi, aut Clerici in communi viventes jure antiquo exempti erant a decimis solvendis: postea vero Innoc. III. in Concil. Lateran. cap. Nuper, de decimis, privilegia dicta limitavit, statuens, eos teneri ad solvendas decimas de prædiis, ac terris post prædictum Concilium ab eis possidendis, si novalia non fuerint, sed ex eis antea decimæ solvebantur, sive per colonos, sive propriis manibus, aut sumptibus eas excoluerint. Cæterum post dictum Concilium, virtute suorum privilegiorum, religiosi omnino exempti sunt a decimis solvendis, sive personalibus, sive realibus, seu prædialibus, uti videre est apud Lez. Azor. Tamb. Salm. Hujusmodi autem privilegiis non gaudent illæ religiones militares, quibus concessum est uxores ducere, nisi tantum, quantum ad fructus suarum commendatarum, ut testatur ipsa consuetudo.

CAPUT X.

De potestate, quam habent prælati regulares absolvendi, & dispensandi.

Denique considerandum est de privilegiis, quæ competunt religiosis in particulari, ratione officii. Et primo de illis, quæ competunt illis ratione prælationis. Secundo, de illis, quæ competunt ratione muneris ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, vel illud suscipiendi. Tertio de illis, quæ competunt ratione muneris Sacerdotalis in ordine ad Missæ celebrationem, & ministrationem sacramentorum. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod prælati regulares habent jurisdictionem quasi Episcopalem, seu ordinariam in suos subditos: ac per consequens possunt illos absolvere, sive per se, sive per suum delegatum, ab omnibus casibus, & censuris, a quibus Episcopi possunt respective ad suos subditos. Similiter etiam dispensare possunt in omnibus irregularitatibus, & pœnis, inhabilitatibus, votis, juramentis, & legibus, in quibus possunt Episcopi. Imo ex variis privilegiis ampliorem potestatem habent in suos subditos, quam Episcopi in suos, & multo magis ratione potestatis dominativæ, quam non habent Episcopi erga suos subditos: sicuti ex dicendis fiet manifestum. Interim tamen notare oportet, quod nomine prælati regularis in præsenti, non solum veniunt Generales, Provinciales, Priores, Præpositi, Guardiani, vel quocumque alio titulo nuncupati superiores: sed etiam in eorum absentia illorum Vicarii, Præsidentes, vel alio nomine appellati, qui locum, & jura superioris habent, & vices supplent, seu sustinent, sicuti docent ex communi Salmant. Unde

Sciendum II. Quod prælati regulares possunt absolvere subditos ab omnibus casibus, & censuris, quæ Papæ non sunt reservatæ: & etiam a censuris ab homine latis, etiam specialibus, & per sententiam specialem publice declaratis, ut ex privilegiis concessis a Paulo V. Xisto IV. & Eugen. IV. docent Pelliz. Lez. Cand. Fragos. Possunt etiam illos absolvere ab omnibus casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis extra bullam cœnæ Domini, ex privilegio Xisti IV. & Gregor. XIII. Item possunt eos absolvere a casibus, & censuris occultis, quæ continentur in bulla Cœnæ Domini, excepta hæresi, etiam occulta, ut ex probabiliori sententia docent Salmant. Quamvis non desint, qui dicant, posse absolvere subditos regulares etiam ab hæresi, quando est occulta; non autem sæculares, ut dicebat proposit. 4. damnat. ab Alex. VII. Possunt etiam absolvere subditos ab excommunicatione contracta ob percussionem gravem, etiam publicam alterius religiosi, vel etiam Clerici sæcularis, ex privilegio Bonif. IV. & Clement. VIII. Respectu vero sæcularium eandem potestatem habent, ac alii confessarii regula-

gula-

gulares, de quibus infra sermo erit. Qua de re vide nostra privilegia verb. Absolutio a casibus in bulla cœnæ.

Sciendum III. Quod prælati regulares possunt absolvere subditos ab omnibus casibus, & censuris Papæ reservatis, a quibus possunt Episcopi ex vi Concil. Trident. ut illis concessit Pius V. die 21. Julii 1571. ut referunt Rodr. & Pal. An vero dicta facultas sublata sit quoad casus contentos in bulla cœnæ: (sicut de facto sublata est Episcopis, etiam si casus sint occulti, ut colligitur ex prop. 3. damn. ab Alex. VII.) Affirmant Lez. Dian. Trull. Tamb. Bord. quod probant ex clausulis revocatoriis ipsius bullæ, quibus omnia privilegia regularium in hoc revocantur, & ex decreto Clem. VIII. & Urban. VIII. prohibentibus hoc idem regularibus. Alii vero, & probabilius, id negant: quia prælati regulares habent plura privilegia concedentia facultatem expressam absolvendi a casibus bullæ cœnæ, quando sunt occulti, quæ privilegia non revocantur per annuam publicationem ejusdem bullæ, in qua expresse excipiuntur illi, qui ad hoc habent a Papa speciale privilegium: quæ exceptio, etiam si non exprimatur, subintelligitur, ut in simili de bulla cruciatæ declaravit Julius II. apud Peyr. & Suar. Declarationes vero in contrarium adductæ, solum loquuntur de absolutione in ordine ad sæculares, non vero regulares subditos: vel de delictis publicis, sicuti docent Rodriq. Peyr. Cand. Sanch. Bord. Salmant, & alii.

Sciendum IV. Quod prælati regulares possunt cum suis subditis dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & quæ ad forum contentiosum non sunt deductæ, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario: quia talis facultas competit Episcopis jure ordinario ex Trident. sess. 24. c. 6. Insuper possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, sive ex delicto, sive ex defectu provenientibus, etiam bigamiæ, & homicidii voluntarii, dummodo notorium non sit, ex privilegio Martin. V. Imo ex privilegio Pauli III. & Xisti IV. possunt prima die lunæ Quadragesimæ dispensare cum subditis in omnibus irregularitatibus, etiam bigamiæ, & homicidii voluntarii, etiam si publicis, & notoriis. Denique ex concessione Pii V. possunt toties, quoties suos subdito liberare ab omni irregularitate ex delicto, etiam homicidii voluntarii, & publici, dummodo tale homicidium factum non fuerit post ingressum religionis, & semper sint in illa permansuri donec vixerint. Ex concessione vero Xisti IV. Pii V. & Greg. XV. dispensare possunt in omnibus pœnis, & inhabilitatibus contractis ob quæcumque delicta, etiam si sint Papæ reservatæ. Qua de re Lezana tom. 1. p. 1. c. 18. & Salmant. tr. 4. c. 8.

Sciendum V. Quod prælati regulares habent potestatem irritandi vota subditorum, & etiam dispensandi, sicut & relaxandi eorum juramenta, exceptis tamen votis substantialibus statum constituentibus, ut patet ex Trident. sess. 25. c. 1. exceptis etiam votis, & juramentis cum statu annexis, puta, non procurandi dignitates, ut declaravit Paul. V. in const. edita die 16. Febr. 1610. & Urban. VIII. anno 1643. Possunt tamen dispensare votum ingrediendi arctiorem religionem, ut patet ex bulla 2. Eugen. IV. apud Suarez: quamvis tale votum irritare non possint, ex cap. licet de regular. De privilegiis vero dispensandi in recitatione officii canonici cum infirmis dicetur in tract. seq. & alia alibi dicta sunt. Possunt etiam dispensare in omnibus legibus pontificiis, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis; quia, supposita exemptione regularium a jurisdictione Episcoporum, prælati eorum cum omni jurisdictione loco Episcoporum succedunt, ut habetur in Clement. Ne Romani, de elect. in 6. & in bulla Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis*. Quapropter,

Sciendum VI. Quod possunt prælati regulares dispensare cum suis subditis, etiam novitiis, & commensalibus, in jejuniis, esu carnium, observantia festorum, & in omnibus casibus frequenter occurrentibus, vel in quibus non est facilis recursus ad Pontificem, sicut possunt Episcopi, ut dictum est in tract. de legib. Solum addo, ex privilegiis non posse prælatos dispensare sæculares, ut laborent intra monasterium in diebus festis. Cæterum ex jure communi excusantur a peccato sæculares, qui gratis laborant in diebus festis pro Ecclesiis, & locis piis, pro monasterii pauperum religiosorum ædificatione, vel re-

paratione, vel in alio opere necessario, dummodo prius audiant Missam, uti docent Fag. Sylv. Lean. Salmant. & infra dicetur in tract. 14. Possunt etiam prælati regulares benedicere vasa, & vestimenta sacra, imagines, sepulturas, & omnia, ad quorum benedictionem non requiritur unctio Chrismatis, sicut dictum est in prima parte, in tractatu de sacrificio Missæ.

CAPUT XI.

De privilegiis Confessariorum regularium respectu religiosorum sui Ordinis.

DEinde considerandum est de privilegiis, quæ competunt regularibus in ordine ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ: & primo religiosis sui Ordinis. Secundo sæcularibus. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod ad hoc, ut confessarii regularium possint valide ministrare Sacramentum pœnitentiæ religiosis sui Ordinis, non sufficit, quod sint approbati ab Episcopo: imo hæc approbatio nullo modo requiritur; sed omnimode requiritur approbatio, & deputatio prælatorum sui Ordinis, ad quos juxta statuta cujusvis religionis pertinet approbare, vel deputare confessarios pro suis religiosis. Approbati ergo, & deputati a prælatis libere possunt uti omnibus privilegiis, infra adducendis, in ordine ad absolvendum religiosos sui Ordinis, etiam novitios, donatos, & famulos commensales: & dispensandum cum illis, nisi alias hujusmodi facultas restringatur a constitutionibus, vel consuetudine, aut a prælatis per reservationem.

Sciendum II. Quod confessarii regularium possunt illos absolvere toties, quoties ab omnibus casibus a jure, vel ab homine Episcopis reservatis, ex privilegio bullato Xisti V. quod refert Rodr. ex quo fit, quod possint ab omnibus absolvere, a quibus possunt Episcopi jure ordinario. Quinam vero sint isti casus, dictum est in tract. de censuris, cap. 8. Insuper possunt toties, quoties absolvere ab omnibus casibus, censuris, & pœnis, etiam publicis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis his, qui in bulla cœnæ Domini continentur, ex privilegio Pauli III. pro Societate Jesu, quod refert Lezana: & ex alio Xisti IV. pro monialibus S. Claræ, quod refert Rodr. Item deputati a Generali, vel Provinciali pro confessionibus religiosorum possunt toties, quoties illos absolvere ab omnibus casibus Papæ reservatis, etiam publicis, etiam contentis in bulla cœnæ, exceptis hæreticis relapsis schismaticis, apostolicarum litterarum falsariis, & ad infideles prohibita deferentibus, ex concessione Xisti IV. in mari magno Carmelitarum, confirmantis aliam bullam Eugen. IV. quam postea extendit ad moniales, ut refert Lez.

Sciendum III. Quod religiosi semel in vita possunt eligere confessarium ex approbatis a suis prælatis, qui eos plenarie absolvat ab omnibus casibus, nullo excepto, ut concessit Xistus IV. Minoribus in bulla, quam refert Lez. & Gregor. IX. in bulla 17. Leo X. in alia bulla concessa religiosis de Ucles, quam refert Joan. a Cruce. Idem concessit Eugen. IV. bulla prima apud Rodr. & Innocent. VIII. in bulla, quam adducit Lez. Item quater in vita eligere possunt ex Confessariis approbatis a suis prælatis, qui eos plenissime absolvant, ut concessit Paulus III. in bulla adducta a Joan. a Cruce. Idem possunt in omnibus festivitatibus Domini Sabaoth, B. Mariæ Virginis, S. Fundatoris Ordinis, & omnium Sanctorum, ut concessit Leo X. in bulla 47. apud Rodr. monialibus S. Claræ: & in bulla 20. apud eund. Aneillis B. Mariæ Virg. addens festum SS. Petri, & Pauli, & totam hebdomadam Sanctam. Denique Innoc. VIII. in bulla, quam refert Rodr. & Xistus IV. in bulla 45. quam refert Pellin. concedit religiosis, ut in articulo mortis eligere possint confessarium, quemcumque vellent, sive regularem, sive sæcularem, qui ab omnibus casibus eos absolveret, nullo excepto, & concederet illis sanctum Jubilæum, seu omnes, & singulas indulgentias, quæ per omnes Romanos Pontifices prædecessores suos concessæ fuerunt Christi fidelibus personaliter euntibus Romam anno Jubilæi, & visitantibus Ecclesias ad hoc determinatas.

Sciendum IV. Quod confessarii regularium dispensare possunt omnia vota, & juramenta, in quibus possunt cum sæcularibus dispensare, ex privilegio Eugen. IV. Loquendo autem de irregularitatibus (nisi in religione detur statutum, lex, aut consue-

suetudo in contrarium) possunt toties, quoties dispensare in omnibus, in quibus possunt Episcopi cum suis subditis, scilicet, in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, ut concessit Xistus IV. in bulla 2. quam refert Peyrin. & Eugen. IV. in bulla prima pro Benedectinis, & Minoribus, ut refert Rodrig. concessit, quod possint dispensare cum fratribus in omnibus irregularitatibus, & inhabilitatibus quovis modo contractis, sive ex delicto, sive ex defectu, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, excepta irregularitate bigamiæ, homicidii voluntarii, & voluntariæ membrorum mutilationis.

Sciendum v. Quod confessarii regularium ex concessione Eugen. IV. facta fratribus S. Hieronymi in Hispania, quam refert Rodriquez, possunt semel in vita dispensare in foro conscientiæ super omnem irregularitatem, quacumque occasione contractam: quæ formula comprehendit etiam irregularitatem bigamiæ, & homicidii voluntarii, uti docent Rodr. Salmantic. & Anton. a Spir. Sancto. Denique possunt cum illis in foro conscientiæ dispensare in omnibus pœnis, ex quibuscumque delictis provenientibus, quales sunt inhabilitates ad officia, privationis dignitatum, vocis, & loci, & hujusmodi, ex bulla Xisti IV. exceptis quatuor delictis, scilicet, ob relapsum in hæresim, schisma, falsificationem litterarum Apost. & delationem prohibitorum ad infideles, ut docent Sorb. Portel. Peyr. Lezzana, Salmant.

CAPUT XII.

De privilegiis regularium in ordine ad audiendas confessiones sæcularium.

Deinde considerandum est de privilegiis regularium in ordine ad ministrandum sæcularibus Sacramentum pœnitentiæ. Et primo de facultate illud ministrandi. Secundo de casibus, censuris, & pœnis, a quibus possunt sæculares absolvere. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod, quamvis olim regulares haberent plura privilegia, etiam in corpore juris inserta, ut absque approbatione Ordinarii possent sæcularium audire confessiones; tamen post Decretum Trident. sess. 23. cap. 11. de quo dictum est in tract. de Sacram. pœnit. cap. 15. Omnino debent præsentari, & approbari ab Ordinario, ut possint sæcularium confessiones excipere, nisi Parochi sint. Unde Urban. VIII. in bulla edita anno 1629. revocavit, & annullavit omnia, & quæcumque privilegia, quibuscumque religionibus, & societatibus quoad hoc concessa. Quare nullo modo, nec valide, nec licite possunt nunc audire confessiones sæcularium sine approbatione Episcopi, seu Ordinarii, nisi Parochi fuerint. Ordinarius autem, cujus approbatio necessaria est, est solum Ordinarius loci, in quo audiuntur confessiones: &, quod ita debeat intelligi Decretum Tridentin. expresse declarat Innoc. XII. in bulla edita die 19. April. 1700. quæ incipit: Cum sicut, non sine animi nostri dolore; quam per extensum referunt Salmant. in tract. 18. cap. 4. Hinc probabilior sent. affirmat, nec etiam Prælatos regulares posse sine approbatione Episcopi Diœcesani audire confessiones sæcularium: quia in hoc non veniunt nomine Parochi, ut docent Lug. Dicast. Leand. Ledes. Suar. Bord. contra plures, quorum sententiam probabilem judicant Salmanticenses.

Sciendum II. Quod, secundum probabiliorem sententiam, regularis approbatus ab Ordinario Diœcesis ad audiendas confessiones sæcularium, etiam, si a suis Superioribus præsentatus non sit, imo a suis statutis sit prohibitus, tamen valide potest absolvere: quia habet omnia requisita ad valide ministrandum Sacramentum, scilicet potestatem ordinis, & jurisdictionis. Ita Cand. Graff. Zerol. Pelliz. Lezan. aliique. Opposita tamen sent. valde probabilis est, & in praxi securior, quam tenent Henriq. Fagun. Pal. Bord. Portel. Sylvest. & alii apud Salmant. Hoc certum est, quod in dicto casu regularis non potest uti privilegiis suæ religionis in ordine ad absolvendum a reservatis, vel censuris, aut ad dispensandum in votis: quia hoc solum possunt regulares a religione expositi. Respectu etiam ad religiosos sui ordinis, si sint professi, nec etiam valide potest ministrare Sacramentum cum sola approbatione Episcopi, quæ non confert jurisdictionem in non subditos.

Sciendum III. Quod regularis approbatus ab Episcopo in sua Diœcesi, potest in illa omnium fidelium undequaque venientium confessiones excipere, etiam si per multos annos ab illa absens fuerit, & postea redeat: non enim tunc indiget nova approbatione, etiam si mortuus fuerit Episcopus, qui illum approbavit, & alius loco ejus successerit, ut concessit Eugen. IV. Minoribus, & Clem. VIII. ut refert Rodrig. quod & praxis testatur, cum per mutationem domicilii non perdat approbationem, ut notant Bonac. Boss. Bordon. Pelliz. Regularis vero, quamvis injuste reprobatus ab Episcopo, non potest valide sæcularium confessiones audire, quia deficit ei conditio essentialiter requisita a Tridentino, unde damnata fuit ab Alexan. VII. hæc prop. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Qua de re vide dicta in part. 1. tract. 12. cap. 15.

Sciendum IV. Quod idem Episcopus non potest regulares semel approbatos absolute, & illimitate, iterum ad examen vocare absque justa causa, eaque ad confessiones pertinente: quod, si secus fecerit, revocatio erit nulla, ut habetur expresse in Clement. Dudum, de sepult. & Extra. Super Cathedram, eod. tit. & ex bulla Pii V. quæ incipit: Romani Pontificis provident. Et ex declarat. S. Congr. quam adducunt Bord. Lez. & Bassæus. Et insuper, quia neque a Trident. neque ex aliquo decreto colligitur, hoc posse Episcopum, imo contrarium expresse habetur in jure. Quamvis autem, justa causa interveniente, eaque ad confessionem pertinente, possit Episcopus unum, vel alterum regularem suspendere, aut ad examen revocare, quia ad officium pastoris pertinet ab ovili arcere lupos, non tamen potest regulares in communi per edictum universale ad examen vocare, nec omnes confessores unius conventus indiscriminatim suspendere, quia justam causam in omnibus reperiri, iniquum est judicare: & ita expresse declaravit S. Congr. die 20. Novemb. 1615. uti refert Gavant. Peyr. & Lezz. Neque capitulum Sede vacante potest indiscriminatim regulares suspendere, vel ad examen generaliter vocare, ut concessit Clemen. IV. & Clem. V. Dominicanis, sicut refert Brun. & Confect. & etiam, quia capitulum succedit loco Episcopi, qui id facere non poterat, ut ex communi notant Salmant. tr. 18. cap. 4.

Sciendum V. Quod regulares absolute approbati ab uno Episcopo, possunt a successore in eadem diœcesi iterum examinari, approbari, vel reprobari ex eo præcise, quod vultum gregis sui velit agnoscere, ut sciat quos ministros pro suis ovibus habeat: quia ita expresse declaratur in bulla Piii V. supra cit. & a Sacra Congr. cujus decretum adducit Lezana: & ita tenent Bord. Riccius, Mirand. Dian. Pelliz. Fag. Alii vero id negant ex Clement. Dudum: & extrav. 2. de sepult. Nec obstat bulla Pii V. cum in primis fuerit moderata a Gregor. XIII. & reducta ad terminos Tridentini in bulla, quæ incipit: In tanta negotiorum mole: quam refert Navar. in suo Manual. Insuper, quia Pius V. & S. Congr. citati, dicunt hoc posse fieri a successore pro majori quiete suæ conscientiæ, ad quod nullo modo conducit generalis revocatio regularium ad examen: imo ad perturbationes, & scandala, ut experientia ipsa testatur. Poterit ergo Episcopus unum, vel alterum regularem, justa interveniente causa, ad examen vocare pro quiete suæ conscientiæ, absque eo, quod omnes inquietet. Sic Salmant. Navar. Dicast. Vasq. Veg. Villal. & Vivald. qui adducit quamdam declarationem Sacræ Congr. anno 1587. editam.

CAPUT XIII.

De casibus, censuris, & pœnis, a quibus Confessarii regulares possunt sæculares absolvere.

Deinde considerandum est de casibus censuris, & pœnis, a quibus confessarii regulares possunt sæculares absolvere. Circa quod

Sciendum I. Quod confessarii regulares, a prælatis suis expositi, & ab ordinario loci approbati, possunt sæculares absolvere ab omnibus casibus, & censuris, quæ sunt reservatæ Summo Pontifici, exceptis illis, quæ in bulla Cœnæ Domini continentur, ut concessit Xistus IV. Dominicanis,

canis, ſicut refert Rodr. Leo X. Minoribus bulla 9. apud Confect. Clemen. VII. bulla 2. apud Bord. & Paulus III. Societati Jeſu, bulla 7. quam refert Lezana. Excipiuntur etiam ſex caſus, a quibus intra Italiam, & extra Urbem, non poſsunt regulares abſolvere ſæculares, ex decreto S. Congr. juſsu Clemen. VIII. edito anno 1601. quod decretum non extendi ultra Italiam, declaravit S. Congr. de mandato Urban. VIII. anno 1628. Dicti autem caſus ſunt. I. Violatio immunitatis eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias, juxta conſtit. Gregor. XIV. cum alias. II. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem. III. Duellum in terminis Concil. Trident. IV. Simonia realis ſcienter commiſsa. V. Confidentia beneficialis. VI. Percuſsio violenta Clerici, vel Monachi, ſive læſio fuerit levis, ſive gravis.

Sciendum II. Quod poſsunt etiam Confeſsarii regulares cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus, quando ſunt occultæ, nec ad forum contentioſum deductæ, excepto homicidio voluntario, eo modo, quo poſsunt Epiſcopi. Sic enim conceſſit Minimis Xiſtus IV. bulla 9. quam poſtea confirmavit Julius II. in conſt. quæ incipit: Dum ad ſacrum ordinem Minimorum: apud Peyrin. In qua bulla confeſſariis illorum concedit facultatem his verbis. *Ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, & ſuper quacumque irregularitate ordinaria, tam a jure, quam ab homine reſervatis, toties quoties opus fuerit abſolvendi, & diſpenſandi, ac vota quæcumque permutandi, ſicut poteſt Diœceſanus*. Denique poſsunt cum ſæcularibus diſpenſare in omnibus pœnis eccleſiaſticis, dummodo ſint occultæ, & extra bullam cœnæ contentæ, ut conceſſit Eugen. IV. Benedictinis, & Paulus II. Societati Jeſu; ut referunt Lez. Salmant. Fragos. Diſpenſare etiam poſſunt, & commutare vota, exceptis quinque reſervatis, ut dictum eſt in tr. 5. & impedimentum petendi debitum, contractum ob affinitatem in primo, & ſecundo gradu, poſt matrimonium, ut dictum eſt in 1. part. tract. 15.

Sciendum III. Quod, ſicut ex dictis colligitur, poſsunt regulares abſolvere ſæculares a criminibus, & cenſuris, quæ ſunt tribunali Sacræ Inquiſitionis reſervata, & extra bullam cœnæ contenta: adeoque quoties ex errore contra fidem non procedunt. Item poſſunt abſolvere ſæculares ab omnibus caſibus, qui ſunt jure ordinario Epiſcopis reſervati, & extra bullam cœnæ, dummodo non ſint ab Epiſcopo ſibi ſpecialiter reſervati, unde damnata fuit ab Alexan. VII. hæc prop. 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta eorum ad id facultate*. Poſſunt etiam abſolvere non ſolum ab excommunicatione lata per ſententiam generalem a jure, vel ab homine: ſed etiam nominatim, & ſpecialiter excommunicatos, vel aliis cenſuris ligatos, dummodo hoc fiat, prius ſatisfacta parte.

Sciendum IV. Quod ab omnibus prædictis caſibus, & cenſuris regulares poſſunt abſolvere toties quoties, etiam ſi caſus publici ſint: imo etiam ſi deducti ſint ad forum contentioſum: quia privilegia abſolute, & ſine ulla reſtrictione facultatem concedunt. Unde abſolutio a dictis cenſuris, ſive ab homine, ſive a jure latis, prodeſt etiam pro foro externo. Requiritur tamen, quod pœnitens in ſcriptis afferat teſtimonium confeſſarii, quod debet acceptari a prælato, & interim debet ſe gerere tamquam excommunicatus, ne tribunal externum perturbetur: Semper etiam debet præcedere ſatisfactio partis. Sic docent Sanchez. Delben. Pelliz. Pal. Salmant. Ab irregularitatibus vero, aliiſque pœnis, quando publicæ ſunt, abſolvere non poſſunt regulares, ut ſupra dictum eſt.

Sciendum V. Quod circa caſus contentos in bulla cœnæ, in primis certum eſt, quod ab hæreſi, nec etiam occulta, poſſunt abſolvere regulares, etiam ſi ſint prælati: unde damnata fuit ab Alexan. VII. hæc prop. 4. *Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa*, ſecundo circa alios caſus, certum eſt, regulares intra Italiam, & extra Urbem non poſſe abſolvere ſæculares, etiamſi tales caſus ſint occulti, ob decretum Clement. VIII. editum anno 1601. Tertio, certum

est, quod quando Summus Pontifex adiri non potest ob aliquod impedimentum, & alias urget necessitas, etiam si casus bullæ cœnæ sint publici, possunt Episcopi, & regulares, vel etiam quilibet confessarius approbatus sæculares absolvere, præstita tamen juxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicantis mandato parebit, ut patet ex cap. Nuper, cap. de sent. excom. sicut dictum est in tr. de censuris.

Sciendum VI. Quod plures dicunt, posse regulares extra Italiam ex vi suorum privilegiorum absolvere sæculares a casibus bullæ cœnæ occultis, hæresi excepta: quia tales casus desinunt esse papales, & fiunt ipso jure episcopales, ut patet ex Trident. sess. 24. cap. 6. Nec obstat revocatio, quæ fit quotannis per novam publicationem bullæ: quia revocatio privilegiorum solum intelligitur de dictis casibus quando publici sunt. Nec obstat, quod Alex. VIII. damnavit hanc prop. 3. *Sententia asserens, bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julii, in consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est*. Non inquam obstat, quia solum damnatur, quod sententia visa, & tolerata est, non autem damnatur ipsa sententia. Ita Sanch. Trull. Pal. Peyr. Lean. Sed, ut bene notat P. Viva super theses damnatas, sententia supradicta absoluta, & cathegorica, licet damnata non sit, in damnatione tamen propositionis hypotheticæ, probabilitatem ex parte magna amittit, unde remanet tenuis probabilitatis, quæ in praxi tute sequi non potest, ut patet ex damnat. prop. 3. proscriptæ ab Innoc. XI.

CAPUT XIV.

Qualiter unius ordinis religiosi possint cum extraneis confiteri.

Consequenter considerandum est de privilegiis regularium in ordine ad susceptionem Sacramenti pœnitentiæ. Et primo, qualiter possint confiteri cum extraneis. Secundo de his, qui possunt sibi eligere confessarium. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod, si religiosus habuerit copiam confessarii sui ordinis, nec intra, nec extra suos conventus potest cum religiosis alterius ordinis, aut sacerdotibus sæcularibus confiteri, nisi de licentia expressa, vel tacita suorum prælatorum, ut patet ex cap. Omnis, 12. de pœnitent. & ex privileg. Innoc. VIII. bulla 3. Clement. VIII. bulla 4. Greg. XIII. & extrav. Benedict. XI. Cum inter cunctas, de privileg. & Xisti IV. in mari magno. Excipiuntur prælati ab hac generali regula; hi enim possunt sibi eligere confessarium, ut infra dicetur. Itinerantes vero, vel extra domum existentes, qui non habent sui ordinis confessarium idoneum, possunt confiteri cuicumque sacerdoti simplici, sive sæculari, sive regulari, etiam alterius ordinis, etiam si non approbato, dummodo non sit suspensus, aut excommunicatus, vel interdictus: & etiam sacerdoti sui ordinis non approbato, dummodo non detur statutum speciale religionis id prohibens. Ratio est, quia licentia itinerandi, vel extra monasterium commorandi, imbibit tacite licentiam sic confitendi, & hoc ex jure communi, & insuper ex privilegiis Xisti IV. & Innoc. VII. quorum verba adducit Bordon.

Sciendum II. Quod possunt etiam regulares, etiam Moniales, tam intra, quam extra conventum, confiteri cum confessario sæculari, vel alterius ordinis sine licentia suorum prælatorum (non obstantibus constitutionibus, & præceptis, aut privilegiis sui ordinis) tempore magnorum Jubilæorum, quæ solent Summi Pontifices concedere toti Ecclesiæ, præcipue quando ad pontificatum assumuntur, etiam si copiam confessarii sui ordinis habuerint, juxta tenorem bullæ Jubilæi. Ita Navar. Sot. Rodr. Bord. Lug. Pal. Peyr. Salmant. An vero possint regulares uti privilegiis bullæ cruciatæ ad eligendum confessarium extra suam religionem, sine licentia suorum prælatorum; non est concors Doctorum sententia. Multi id affirmant apud Salmant. Sed probabilius est non posse, quia ita declaravit Clem. VIII. Greg. XIII. Urban. VIII. & alii Pontifices, ut referunt Salmant. Cum licentia tamen suorum prælatorum tacita, vel ex-

pressa possunt uti tali privilegio cum omni amplitudine, ut absolvantur etiam a reservatis juxta tenorem bullæ, ut omnes concedunt.

Sciendum III. Quod omnes Episcopi, & alii superiores, nec non minores prælati exempti, etiam sine sui superioris licentia, providum, & discretum possunt sibi eligere confessarium, qui eos absolvat a casibus reservatis etiam, & censuris, a quibus ipsi possunt absolvere subditos, etiam si sit simplex sacerdos non approbatus ab ordinario, nisi alias habeant statutum speciale in contrarium. Quod indultum illis concessum in cap. ult. de pœnit. & remiss. non fuit revocatum a Trident. Unde fit posse modo omnes prælatos regulares, & in eorum absentia vicarios, & quoscumque præsidentes conventus, eligere sibi confessarium, quem voluerint, etiam simplicem sacerdotem non approbatum, sive sui ordinis, sive extraneum sæcularem, aut alterius Ordinis regularem, ut ex communi sententia docent Salmant. Suar. Lug. Rodr. Bord. Pasochi tamen, quia non veniunt nomine prælatorum inferiorum, vel saltem non sunt de numero prælatorum exemptorum, non gaudent hoc privilegio, ut patet ex prop. 16. dam. ab Alex. VII.

Sciendum IV. Quod religiosi omnes de licentia expressa, vel tacita suorum prælatorum possunt cuilibet simplici sacerdoti confiteri, sive sæculari, sive regulari sui, vel alterius ordinis, etiam si non approbato ab ordinario: quia hoc poterant ante Tridentinum ex suis privilegiis. Trident. autem nihil innovavit circa religiosos in hac parte, ut docent communiter Doctores. Hoc privilegio gaudent etiam novitii, & famuli commensales conventus, ut patet ex Trident. sess. 24. cap. 11. Licet hi, quia non sunt absolute religiosi, poterunt sine licentia cuilibet extraneo ab Episcopo approbato confiteri, sicut alii sæculares. Excipiuntur Moniales, etiamsi regularibus subjectæ, quæ non possunt confiteri, nisi sacerdoti approbato ab Episcopo diœcesano, ex decreto Greg. XV. in bulla, quæ incipit: Inscrutabili, edita 1. Febr. 1622. adeoque ubi publicata, & recepta est ista bulla, debet omnino observari.

Sciendum V. Quod omnes alii fideles, qui vel a Summo Pontifice, vel a suo proprio prælato facultatem obtinent, ob speciale indultum, seu privilegium eligendi sibi idoneum confessarium, debet omnino talis esse approbatus ab ordinario, etiam si hoc in bulla, aut privilegio non exprimatur: quia semper subintelligitur ob decretum Tridentini, cui numquam derogatur, nisi fiat expressa mentio illius in derogatione, ut ex communi sententia docent Suar. noster Thomas Hurtad. & Salmanticenses.

CAPUT XV.

De privilegiis regularium in ordine ad celebrationem Missæ, & Sacramenta suscipienda, & ministranda.

Denique considerandum est de privilegiis regularium in ordine ad celebrationem Missæ, & in ordine ad Sacramenta suscipienda, vel ministranda. Circa quod

Sciendum I. Quod circa tempus celebrationis, possunt regulares per tres horas ante ortum solis celebrare: imo ex justa causa immediate post duas horas a media nocte Missas dicere possunt, in propriis tamen ecclesiis, ut constat ex privilegiis concessis a Greg. XIII. Alexan. VI. & Clem. VIII. quæ privilegia non esse revocata, docent Rodr. Lug. Lean. & alii apud Salmant. Extenduntur dicta privilegia etiam ad sacerdotes sæculares celebrantes in ecclesiis regularium. An vero ex privilegio Eugen. IV. possint regulares differre inceptionem Missæ usque ad nonam, id est tres horas post meridiem. Negant aliqui, arbitrantes revocata fuisse privilegia circa hoc, ut declaravit S. Congr. Ita Lez. Azor. Fag. Henriq. Alii vero asserunt non constare de dicta revocatione, nec de hac declaratione: quia solum loquuntur de Missis celebratis de sero, forsan etiam circa solis occasum: & ideo standum est privilegio Eugen. Ita Salmant. noster Aversa, Dicast. Lug. Dian.

Sciendum II. Quod circa locum, possunt regulares celebrare in oratoriis locorum, ubi degunt, etiam in grangiis, & locis ubi non sunt ecclesiæ, vel capellæ,

ex privilegio Xisti IV. In mari magno. Alex. VI. Urban. VIII. Xisti V. & aliorum Pontificum, ut referunt Rodr. Lez. Prad. qui dicunt valere dicta privilegia post Trident. etiam in casu, quo Episcopus repugnet: quia Trident. solum concedit Episcopis, ut prohibere possint regularibus celebrare in privatis domibus, aut omnino extra Ecclesiam: hæ vero grangiæ sunt bona ecclesiæ, & partes ipsius monasterii. Ita Peyr. Dian. Vercell. Salmant. qui addunt, in dictis oratoriis posse etiam celebrare sacerdotes sæculares, & satisfacere præcepto omnes, qui ibi Missam audiunt. Insuper Pius V. concessit, ut religiosi infirmi possent celebrare, aut facere celebrare in suis cellis, si commode inde exire non possunt. Dantur alia privilegia regularibus concessa ab Honot. III. Alex. VI. Xist. IV. & Urban. V. ut sine parochialis juris præjudicio possent regulares ubilibet, sive in castris, sive in plateis, sive in privatis domibus sæcularium, altaria erigere, & ibi Missas celebrare: quæ jam esse revocata per Trident. sess. 22. evidenter constat ex Decreto Clement. XI. die 15. Decemb. 1703. quod per extensum retuli in fine tomi secundi.

Sciendum III. Quod religiosi non tenentur sub mortali Missam applicare secundum intentionem prælati, nisi de hoc detur speciale mandatum, sive statutum. Qui vero omittunt offerre Missam pro defunctis sui ordinis secundum regulam, quæ non obligat sub mortali, reprehensibiles quidem sunt, non tamen mortaliter delinquunt: quia talis obligatio solum oritur ex illa lege, vel statuto, quæ sub mortali non adstringunt. Ita Pelliz. Salmant. & Ant. a Spir. Sancto. Subditi etiam sacerdotes, qui vel ex mandato Superioris, vel ex regula tenentur Missas applicare secundum intentionem Prælati; si pro aliis applicent, probabile est non valere eorum applicationem, sed applicationem Prælati: sicuti, si oblivione naturali illam non applicarent, adhuc valeret applicatio Prælati. Sic Confect. Barb. Cord. Gavant. Probabilius tamen est oppositum, Sacerdos enim est minister sacrificii, a cujus intentione sacrificium dependet, & quantum ad consecrationem, & quantum ad applicationem; non autem Prælatus. Ita Henriq. Fag. Villal. Suar. Ledesm. Peyr. Salmant. Sufficit tamen, quod subditus applicet sacrificium saltem habitualiter pro intentione Prælati, ut valeat Prælati applicatio, uti docent Suarez, Bonacina, & Salmanticenses. De aliis privilegiis regularium circa susceptionem Ordinum, & administrationem aliorum Sacramentorum, vel susceptionem eorumdem, dictum est satis in propriis tractatibus in prima parte hujus operis: unde ne dicta repetamus, ad alia explicanda procedamus.

TRACTATUS
DECIMUS.

De his, quæ pertinent ad statum Clericorum.

Consequenter considerandum est de his, quæ pertinent ad statum Clericorum. Circa quod quadruplex consideratio occurrit, distinctis tractatibus explananda. Prima est, de obligationibus statui Clericorum annexis. Secunda, de beneficiis Ecclesiasticis. Tertia, de Vitio Simoniæ, quod res Ecclesiasticas inficere solet. Quarta, de Immunitate Ecclesiastica, quæ Clericorum privilegia complectitur. Circa primum igitur in præsenti tractatu sit.

CAPUT PRIMUM.

De tonsura, & habitu Clericorum.
Suppl. 3. part. quæst. 40.

Secundum Greg. cit. a Mag. in 4. sent. dist. 24. §. B. *Servire Deo regnare est*; sed corona, seu tonsura, est signum regni: ergo illis, qui ad divinum ministerium applicantur, corona competit. Ad cujus evidentiam:

Sciendum I. Quod eis, qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura & tonsura ad modum coronæ, ratione figuræ: quia corona est signum regni, & perfectionis, cum sit circularis: Illi autem, qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in

virtu-

virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum, & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retrahatur: & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur. Nazaræi vero, sicut & conversi regularium tonduntur ad significandum renunciationem, & contemptum temporalium, sed non raduntur, nec in modum coronæ capillos deponunt, quia non occupantur divinis ministeriis, in quibus divina oporteat eos aperta mente contemplari.

Sciendum II. Quod Ministri Ecclesiæ a populo separantur ad vacandum divino cultui: in cultu autem divino quædam sunt, quæ per potentias determinatas sunt exercenda, & ad hoc datur spiritualis potestas Ordinis: quædam autem sunt, quæ communiter a toto ministrorum collegio fiunt, sicut dicere divinas laudes, & ad hoc non præexigitur aliqua potestas Ordinis, sed solum quædam deputatio ad tale officium, & hoc fit per coronam, seu rasuram in modum coronæ, & tonsuram: & ideo non est Ordo, sed præambulum ad Ordinem. Unde in collatione tonsuræ, seu coronæ non fit mentio de aliqua potestate, sicut fit in collatione cujuslibet Ordinis: propter quod etiam datur absque officio Missæ; nullus autem Ordo datur, nisi in Missæ celebratione, ad quam omnis Ordo refertur.

Sciendum III. Quod ex hoc, quod aliquis est Clericus, est in altiori statu, quam laicus; non tamen habet ampliorem potestatis gradum, qui ad Ordinem requiritur; & ideo per coronam non imprimitur character, nec est Ordo. Unde Trident. sess. 23. c. 2. dicit: *Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Quamvis autem per coronam non imprimatur character, tamen deputatur homo ad divinum cultum, ut dictum est; & ideo talis deputatio debet fieri per Summum ministrum, scilicet per Episcopum, qui etiam vestes benedicit, & vasa, & alia omnia, quæ ad divinum cultum applicantur.

Sciendum IV. Quod Clerici in hoc, quod coronam accipiunt, non renunciant patrimonio, nec aliis rebus temporalibus: quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem Clerici deputantur, sed nimia eorum solicitudo. Quia, ut dicit Greg. 10. Moral. c. 17. *Affectus in crimine est, non sensus.* Dominus autem non dedignatur pars fieri hæreditatis eorum, qui res mundi ita possident, ut per eas a cultu divino non retrahantur: sed eorum, qui ex æquo finem suum ponunt in Deo, & in rebus mundi, volentes simul servire Deo, & mammonæ. Unde & error Joannis Vicleff, asserentis, Ecclesiasticos possessiones habentes esse hæreticos, damnatus fuit in Concil. Constant. sess. 8. & Trident. sess. 21. c. 2. decernit, nullum deinceps debere ad sacros Ordines promoveri, si Clericus sit, nisi habeat unde decenter sustentari valeat, cum non deceat Clericos mendicare.

Sciendum V. Quod habitus dupliciter potest considerari. Uno modo, prout est signum quoddam dispositionis, vel status humani: quia, ut dicitur Eccles. 19. *Amictus hominis annunciat de illo.* Quandoque vero est signum, vel contemptus mundani fastus, vel ambitionis. Sicut enim ex splendore vestium animus hominis elevatur: ita ex humilitate vestium humiliatur. Secundum autem doctrinam Domini, in operibus sanctitatis nihil homines facere debent propter apparentiam, quod præcipue contingit, quando aliquis aliquid novum facit, ut Chrysost. dicit hom. 19. in Matth. Et ideo habitus Clericorum, attenta consuetudine cujuslibet provinciæ, talis esse debet honestatis, ut nec novitate oculos attrahat in admirationem, nec sorditate in despectionem status intuentes inducat: sed moderatione, & compositione sit in exemplum simul aliorum, & in signum Ecclesiasticæ professionis. Unde Hieronym. dicit Epist. 26. ad August. *Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapis, nos esse debere, nec rursus comam demittere, quod proprie luxuriosum est, & militantium: sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur.* Quapropter

Sciendum VI. Quod Clerici, qui non sunt in sacris constituti, nec beneficiati, si habitum, & tonsuram non deferant, etiamsi absque ulla causa id faciant, non pec-

peccant, ut declaratur in cap. Ut consultationi, de Cler. conjug. amittunt tamen privilegium canonis, & fori, quibus Clerici gaudent, ut colligitur ex cap. perpendimus, de sent. excom. & ex Trid. sess. 23. c. 6. Si autem solam tonsuram omittant, privilegia non amittunt, ut ex eod. Trid. colligitur. Clerici vero in sacris constituti, vel beneficiati, dimittentes habitum, & tonsuram, si post trinam monitionem sibi factam a Judice Ecclesiastico, habitum non reassumunt, peccant mortaliter propter contumaciam, & contemptum, propter quod etiam excommunicari possunt, ut est certum apud omnes: & insuper amittunt ipso facto privilegium tam fori, quam canonis, ut disponitur in cap. In audientia, & in cap. contingit 2. de sent. excom. Solum difficultas est, an, præcisa temeritate, contumacia, & contemptu, peccent mortaliter. Ad cujus rei evidentiam

Sciendum VII. Quod Abbas in cap. Si quis num. 1. de vita, & honest. Clericor. Navar. c. 15. n. 110. Angel. ver. Clericus 4. n. 1. dicunt esse mortale, Cajet. vero ver. Clericus, negat, nisi interveniat temeritas, contumacia, & contemptus, ita, ut post canonicam monitionem Clericus etiam excommunicari possit. Sylvester vero, Armilla, & Vasquez, dicunt non esse mortale (seclusa contumacia, & contemptu) nisi notabilis excessus fiat ultra modum consuetum; quorum sent. probabilior videtur. Si enim, spectatis circumstantiis personæ, loci, diuturnitate temporis, Clericalis tonsuræ, & habitus neglectus notabiliter repugnet honestati, & bono exemplo Clericorum, cujus gratia talis habitus lege Ecclesiastica præcipitur, certe erit peccatum mortale. Sin vero ex justa causa, vel ad tempus breve, sine honestatis detrimento, habitus deponatur, nulla omnino culpa erit: qua de re spectanda est cujusque Diœcesis consuetudo, ut bene notat Layman lib. 5. tr. 9. cap. 12. n. 3. Similiter etiam peccat mortaliter quicumque Clericus, qui taliter in cultu habitus Clericalis excedit, ut valde honestati status repugnet, tum propter scandalum, tum propter Ecclesiæ præceptum, imo propter præceptum naturale honestatis. Qua de re vide, quæ dixi in tract. de temperantia, cap. 33.

CAPUT II.

De cœlibatu sacrorum Ministrorum. 2. 2. quæst. 88. a. 11.

Clerici statim ac ordinantur in sacris, juxta ritum Ecclesiæ latinæ, tenentur ad vitam cœlibem, seu ad continentiam ab omni actu venereo, ut patet ex Trid. sess. 24. can. 9. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod juxta sententiam D. Tho. a. cit. communiter receptam, debitum continentiæ non est essentialiter annexum Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Unde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri Ordinis. Est autem debitum continentiæ essentiale statui religionis, per quem homo abrenunciat sæculo, totaliter Dei servitio mancipatus: quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, & prolis, & familiæ, & rerum, quæ ad hoc requiruntur. Unde Apost. dicit 2. ad Cor. 7. *Qui est cum uxore, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Unde nomen Monachi ab unitate sumitur per oppositum ad divisionem prædictam. Et ideo in voto solemnizato per professionem religionis, non potest per Ecclesiam dispensari, & rationem assignat Decretalis, Cum ad Monasterium, lib. 3. tit. 36. c. 6. dicens: *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo annexa est regulæ Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Sciendum II. Quod debitum continentiæ in sacris ordinato provenit ex duplici capite, scilicet ex lege Ecclesiæ, & ex voto, ex lege Ecclesiastica sacro Ordini annexo. Unde Trident. sess. 24. can. 9. dicit: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit.* Licet enim vovere absolute non cadat sub præcepto, sed sub consilio: tamen in Ordine sacro, quem Ecclesia libere confert, quibus vult, potest conditionem apponere, & de facto adjecit, ut qui talem

talem Ordinem suscipiunt, eo ipso tacite continentiam profiteantur, sicuti colligitur ex cap. 1. & seqq. dist. 28. cap. Cum olim, de Cler. conjug. & cap. un. de voto: & tenet sentent. communior, & probabilior cum D. Tho. cit. contra Scotum in 4. d. 37. q. un. Palud. Guttier. & alios apud Sanch. l. 7. de matrim. d. 27. q. 2. qui dicunt, debitum continentiæ ex solo præcepto Ecclesiæ provenire in suscipientibus Ordinem sacrum, non autem ex voto, quod non tenetur emittere.

Sciendum III. Quod prædictæ duæ sententiæ Scoti, & D. Thomæ in uno conveniunt, & in altero differunt. Conveniunt quidem in eo, quod Clericus in susceptione sacri Ordinis, sive intendat emittere votum continentiæ, sive non: imo positive intendat non emittere tale votum, adhuc debitum contrahit continentiæ perpetuæ ex præcepto Ecclesiæ, taliter, ut susceptio sacri Ordinis impediat matrimonium valide contrahendum, ut constat ex canone cit. Trid. Discrepant vero in hoc, quod, si debitum continentiæ servandæ provenit ex solo præcepto Ecclesiæ, poterit Papa in eo valide dispensare, etiam nulla justa causa interveniente, cum dispenset in sola lege Ecclesiastica, cujus valor ab ejus voluntate dependet. Si vero debitum continentiæ provenit etiam ex voto, non poterit Papa in eo valide dispensare absque justa causa, cum obligatio voti ex jure divino proveniat, in quo Summus Pontifex non habet potestatem dispensandi absque justa causa, cum dispenset in lege Superioris.

Sciendum IV. Quod susceptio Ordinis sacri tam in Ecclesia latina, quam in Ecclesia græca impedit matrimonium contrahendum ex lege Ecclesiæ, & contractum post susceptionem Ordinis sacri invalidum est, ut expresse habetur ex cit. can. Trid. & solum hæc differentia intercedit, quod in Ecclesia græca matrimonium legitime contractum ante susceptionem Ordinis cum unica, eaque virgine, non impedit susceptionem Ordinis sacri, sicut in Ecclesia latina, nec vicissim impeditur quoad usum ab Ordine sacro: in Ecclesia vero latina habens uxorem ordinari non potest absque consensu ipsius, alias fit irregularis: si vero ex consensu uxoris Ordinem sacrum suscipiat, debet ab ea in perpetuum separari. Quam autem antiqua sit in Ecclesia lex cœlibatus, constat ex Concil. 2. Carthagin. cap. 2. ubi legimus: *Placuit, & condecet, Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Qua de re vide Layman lib. 5. tract. 9. cap. 11. num. 3. & seqq.

CAPUT III.

De obligatione, quam habent Clerici, recitandi horas canonicas.

Debitum recitandi horas canonicas ex triplici capite oriri potest. Primo ex susceptione Ordinis sacri. Secundo ex professione religionis, quæ choro addicta est. Tertio ex beneficio Ecclesiastico, de quibus distinctim considerandum est. Igitur circa primum in præsenti

Sciendum I. Quod horæ canonicæ dicuntur illæ sacræ preces, quæ horis diurnis, ac nocturnis, ex sacrorum canonum decreto, ab Ecclesiasticis personis, nomine Ecclesiæ ad Deum persolvendæ sunt. Alias Officium divinum, aut Ecclesiasticum, dicitur, uti videre est in cap. Dolentes, 9. de celebr. Missar. & Clement. 1. eod. tit. quia præcipuum, ac maxime proprium Clericorum munus est, divinis precibus apud Deum nomine Ecclesiæ insistere, ut dictum est in cap. 1. Ecclesiasticum porro officium dividitur in diurnum, & nocturnum, sicut videre est in cit. cap. Dolentes, ubi dicitur: *Præcipientes, ut Clerici divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, ac devote*. Communiter autem dici solet, universim esse septem horas canonicas, sive Ecclesiastici officii partes: pro quo numero plures congruentias congerit Gloss. in cit. cap. 1. de celebrat. Missar. sicuti videri potest apud Laym. lib. 4. tr. 1. cap. 2. n. 2. His igitur præsuppositis,

Sciendum II. Quod omnes Clerici, qui in sacris Ordinibus constituti sunt, licet nul-

nullum beneficium Ecclesiasticum obtineant, ad horas canonicas recitandas, sub culpa mortali obligati sunt, ut est communis Doctorum sententia, quæ sumitur cap. 1. de celebrat. Missar. quod sumptum est ex cap. Presbyter dist. 91. Sed, quia in canone isto de solis Presbyteris fit mentio, ideo obligationem hanc, quatenus omnes Clericos in majoribus Ordinibus constitutos astringit, potius in generali Ecclesiæ consuetudine fundatam esse, notavit Navar. cap. 7. n. 2. Azor. c. 5. qu. 1. Adde, Clericum non liberari hac obligatione, tametsi sit excommunicatus, suspensus, depositus, aut degradatus: sicut ex communi sensu docet Navar. c. 7. n. 17. ne ex propria iniquitate commodum reportet. Quamvis de damnatis ad triremes, aliqui merito dicant, ab hac obligatione liberari, quia cederet in dedecus Ordinis Ecclesiastici. Ita Less. Sot. Sanch. Pelliz. Salmant. Et idem dicunt de ordinatis per vim, & metum, Sanchez, & Castropal.

Sciendum III. Quod Clerici in minoribus dumtaxat Ordinibus constituti nullo jure, vel consuetudine universali obligantur ad officium, vel psalmos, vel alias certas preces recitandas, ut docent Sot. Medin. Tolet. Suar. & alii communiter contra Abb. in c. 1. de celebr. Missar. nu. 2. Si vero in aliqua Diœcesi vigeat consuetudo, sub peccato obligans Clericos in minoribus constitutos ad recitandum quotidie psalmos, vel quid simile, observanda erit: & ad officium Episcopi, ejusque Vicarii, vel Ministri spectabit, ordinandos memores reddere hujusmodi obligationis: cui etiam parere, & satisfacere debent, quamdiu in ea Diœcesi commorantur. Cæterum, cum non pauci Doctores existiment, Episcopum non posse in Ordinatione, præter universalis Ecclesiæ consuetudinem, imponere novum onus, sive obligationem perpetuam, cum talis facultas ad Summum Pontificem proprie spectare videatur; ideo ad pariendam obligationem non sufficit, quod Episcopus in ordinatione ita præcipere soleat, nisi etiam adsit consuetudo temporis diuturnitate præscripta, ut ordinati talem præcepti obligationem acceptent, & impleant. Ita Med. Laym. Salmanticenses.

Sciendum IV. Quod obligatio hæc recitandi divinum officium incipit ab hora correspondente tempori ordinationis, quæ regulariter est Nona: Unde non tenentur illa die ordinati in Subdiaconos recitare totum officium, sed solum Nonam, Vesperas, & Completorium. In hujusmodi autem obligatione nequit Episcopus dispensare ad longum tempus cum aliquo, cum sit lex superioris. Potest tamen in aliquo casu particulari, & frequenter occurrente, in quo non sit facilis ad Summum Pontificem recursus, ex justa causa ad breve tempus dispensare, sicut etiam in jejuniis, & aliis legibus canonicis, ut dictum est in prima parte, cum de legibus ageretur, ex doctrina Divi Thomæ communiter recepta.

CAPUT IV.

De obligatione, quam habent religiosi, recitandi horas canonicas.

Deinde considerandum est, utrum religiosi, tam viri, quam mulieres, ex vi professionis habeant obligationem recitandi horas canonicas. Circa quod

Sciendum I. Quod certum est, religiosos in sacris ordinibus nondum constitutos, sed choro deputatos, ac professos, (& idem dic de Sanctimonialibus) nullo modo teneri ad divini officii recitationem ex vi alicujus præcepti positivi humani, vel divini, cum hoc nullibi reperiatur expressum: Neque ex vi suæ professionis, qua tenentur tendere ad perfectionem, cum plura alia dentur media ad perfectionem charitatis tendendi. Solum difficultas est, an ex vi consuetudinis jam introductæ, & firmatæ, teneantur officium divinum recitare quotidie sub gravi obligatione peccati. Non est autem hic sermo de illis religionibus, in quibus, vel est regulæ, vel superiorum præceptum formale graviter obligans ad talem recitationem: neque de illis, quæ non sunt choro addictæ, ut sunt religiones militares, & Societas Jesu: neque de illis, in quibus, quamvis sint choro addictæ, expresse tamen ab initio fundationis non fuit acceptata obligatio recitandi officium divinum quoad non ordinatos in sacris, ut est nostra religio Clericorum regularium Minorum: sed de illis

illis ſolum religionibus, in quibus non datur ſtatutum, aut præceptum graviter obligans, nec ſtatutum deobligans, ſed ſunt choro addictæ, & habent conſuetudinem jam a multis annis receptam, & firmatam, ut omnes profeſſi choriſtæ officium divinum recitent, etiam privatim.

Sciendum II. Quod de his aliqui dicunt, talem conſuetudinem non habere vim legis, ideoque non obligare ſub gravi peccato; tum quia non conſtat introductam fuiſſe animo graviter ſe obligandi: tum etiam, quia introducta fuit ſolum ex vi regulæ cujuslibet religionis non obligantis ſub gravi, quamvis poſtea ex ignorantia multorum hæc obligatio præſuppoſita ſit: quod non ſufficit, ut conſuetudo ſit graviter obligans, ut dictum eſt in tract. de legib. cap. 23. Hanc ſententiam eſſe valde probabilem docent Pal. Sà, Veg. Bord. Armil. Leſſ. & plures alii apud Salmant. Probabilior tamen ſententia docet, talem conſuetudinem habere vim legis, ideoque obligare ſub gravi culpa ad quotidianam recitationem horarum canonicarum: quia jam ab immemorabili, & cum animo ſe obligandi fuit introducta; cum ſit in materia gravi, & continuo cum tanta firmitate obſervata, & ſuperiores graviter reprehendant, & puniant contrafacientes: omnes etiam timorati, ac prudentes male ſentiunt de his, qui non obſervant talem conſuetudinem; ideoque habet omnes conditiones requiſitas ad obligationem legis inducendam. Ita cum communi Laym. Val. Salmant. Portel. Regin. Malder. Sanch. Trull.

Sciendum III. Quod, quia prædicta obligatio eſt ſolum ex conſuetudine introducta, poſſunt Prælati regulares cum non ordinatis in ſacris facilius diſpenſare, ſicut poſſunt in aliis obſervantiis regularibus, quantumvis gravibus: non enim eſt lex Superioris, ut notant Bonac. Leſſ. Gavant. Ex quo etiam ſequitur, quod, ſi religioſus extrahatur a ſtatu, in quo viget hujuſmodi conſuetudo tam pia (puta, tranſferatur ad ſtatum laicorum, ſeu converſorum; vel ejiciatur in perpetuum a religione; vel damnetur ad triremes) non remanet amplius obligatus ad recitationem officii divini, ſicut nec ad alias obſervantias regulares, ut docent Sanch. Bonac. Lez. Leſſ. Pelliz. Atque idem dicunt de illis, qui ex legitima licentia degunt in perpetuum extra Monaſterium: ſed de his probabilius eſt oppoſitum, quia per ſe ſunt choro deputati, & pars communitatis, ſicut illi, qui de licentia choro non interſunt, ut docent Pal. Suar. Navar. & idem eſt de fugitivis, & apoſtatis, ut docent Salmant. Leſſ. Azor. & alii contra Bonac. Sot. Ang.

Sciendum IV. Quod, attentis privilegiis, poſſunt Prælati regulares diſpenſare religioſos ſubditos legitime occupatos, vel impeditos. *Ad hoc, ut ipſi occupati, vel impediti certum Pſalmorum numerum, per ipſos Superiores eis aſſignandum, non minus ſeptem, aut ſex, cum diviſione, ut orationem dominicam ſepties, Symbolum Apoſtolorum bis: graviter autem ægrotantibus, orationem Dominicam ſemel, & ſalutationem Angelicam ſepties in die recitando, ſeptem horis Canonicis, & toti divino officio ſatisfeciſſe cenſeantur.* Ita conceſſit per bullam Clem. VII. Theatinis. Hoc privilegium referunt, & approbant, docentque eo tuta conſcientia uti poſſe Superiores ad diſpenſandum etiam cum conſtitutis in ſacris ordinibus, Rodriq. noſter Thomas Hurtad. Lezan. Pelliz. Salmant. Aliud privilegium bullatum conceſſit Monialibus S. Claræ Innoc. IV. bulla 10. tenoris ſequentis: *Ut quæ occaſione rationabili non poſſunt aliquando legendo dicere horas ſuas, liceat eis, ſicut aliæ ſorores, dicere Pater noſter.* Omitto plura alia privilegia, quæ, quia ſunt vivæ vocis oracula, in dubium vertuntur, ut dictum eſt in tract. ant. cap. 1. & videri poſſunt apud Salmant. tractat. 17. cap. 3. in fin.

CAPUT V.

De obligatione, quam habent beneficiati, recitandi horas canonicas.

Deinde conſiderandum eſt de obligatione, quam habent Clerici beneficiati, recitandi horas canonicas. Circa quod

Sciendum I. Quod beneficiati, etiam ſi in ſacris non ſint ordinati, tenentur quotidie ſub gravi culpa recitare horas canonicas, ut conſtat ex Concil. Lateran. ſub Leon. X. ſeſſ. 9. & ex motu Pii V. edito

anno

anno 1572. & ex cap. per ambitiosam, de rescript. in 6. & aliis juribus. Nomine beneficii veniunt etiam præstimonia illa, quæ sunt portiones ex beneficii reditibus deductæ, illas enim ad hunc effectum Pius V. sub nomine beneficii comprehendit. Intelligitur etiam Capellania collativa, etiam si sit manualis, ea videlicet, quæ auctoritate Episcopi instituta est; & ab Episcopo confertur, quamvis sit ad nutum amovibilis; & jus præsentandi sit apud laicos, ut docent Suar. Pelliz. Villal. Pensiones vero Clericales secum habent annexam obligationem recitandi officium parvum B. Mariæ Virg. si officium divinum non recitetur, ut statuit Pius V.

Sciendum II. Quod Coadjutoria, quæ aliquibus conceditur pro futura successione, ad nihil obligat; quando Coadjutori non assignantur aliqui fructus beneficii per modum pensionis, quamvis aliquid assignetur per modum stipendii: quod, si ad titulum ei conceditur, ut ordinari possit, tenetur recitare officium divinum, tam coadjutor, quam pensionarius, ut docent Bonac. Pelliz. Pal. Salmant. Pensiones autem illæ, quæ conferuntur titulo sæculari, puta, ad pulsandum organa, ad docendam theologiam, ad sacristiam custodiendam, vel ob alia officia non ecclesiastica, non veniunt nomine beneficii in ordine ad inducendam obligationem recitandi horas canonicas: quia ut stipendium sæculare solent concedi. Quod, si ut beneficia conferuntur, ut exigant ordinem in susceptione, obligationem officii divini secum afferunt, ut docent Salmant. Bonac. Sylv. Suar.

Sciendum III. Quod, qui juste duo beneficia possidet, ad unum tantum officium divinum recitandum tenetur, etiam si sit ordinatus in sacris. Si autem beneficiatus ordinatus in sacris omittat absque justa causa recitationem, duo peccata committit, unum contra religionem, alterum contra justitiam, ut docent Navar. Bonac. Sanch. Laym. Suar. quod verum est, si nolit fructus restituere: si vero habeat intentionem restituendi fructus, non peccabit contra justitiam, ut est certum. An vero in tali casu peccet contra religionem, si non sit ordinatus, dubium esse videtur: sed, ut certum tenendum est, quod peccat etiam contra religionem, ut notant Lug. & Salmant. Nam agit contra finem primario intentum ab Ecclesia in collatione beneficii, quod institutum est ad servitium Ecclesiæ, ut recitet saltem officium. Duplex ergo datur præceptum, unum antiquum, quo obligantur omnes beneficiati recitare officium: aliud novum de restitutione fructuum, impositum a Concil. Lateran. & Pio V. adeoque licet in tali casu, quo velit fructus restituere, non peccet contra secundum, peccat tamen contra primum.

Sciendum IV. Quod, si beneficiatus sua culpa non acquirit possessionem beneficii, tenetur ad recitandum horas canonicas: quia ob culpam illius æquum non est beneficium debito obsequio privari, ut est certum. Certum est etiam contra nonnullos, quod habens titulum beneficii, sed impeditum a possessione absque sua culpa, non est obligatus ad recitationem: quia fructus non sunt omnino certi. Sic Rodr. Suar. Lug. Bonac. Si vero habeat titulum, & possessionem, sed non pacificam, quia ob litem fructus non percipit; vel, si illos percipit, est cum onere restitutionis, si perdat litem, adhuc non teneri ad recitationem, docent Rodr. Suar. Barb. Bonac. Vega; quia adhuc non censetur possidere perfecte beneficium. Alii vero dicunt, quod tenetur, si beneficium administret, cum morali certitudine, quod fructus sibi applicandi sunt: quia jam perfecte beneficiatus censeri debet: multo magis, si interim percipiat emolumentum aliquod ex servitiis, & functionibus manualibus, quorum fructu privari non timet. Ita Villal. Pelliz. Less. Pal. Led. Sanch. Lug. Salmanticenses.

Sciendum V. Quod, si quis non potest percipere fructus beneficii, non tenetur recitare horas canonicas: quia non tenetur ad onus tam grave, nisi ob stipendium acceptum, vel accipiendum. Qui vero potest, sed non vult percipere, tenetur recitare: quia Ecclesia, quantum in se est, illi confert stipendium. Unde sequitur, quod qui juste est excommunicatus, suspensus, vel sine licentia non residet, quamvis fructus non recipiat, tenetur officium recitare: quia potest desistendo a contumacia illos percipere. Si vero adhibet diligentiam ut absolvatur, vel cum licentia ob justam causam non residet, & adhuc illi

illi fructus injuste subtrahuntur, non tenetur ad recitationem: quia per ipsum non stat, quod non percipiat. Similiter, si a judice damnetur, ut per annum non acquirat fructus beneficii, non tenetur pro eo tempore recitare, licet sua culpa fuerit damnatus, quia jam per ipsum non stat, quod non percipiat fructus: sicut non obligaretur in perpetuum, si in perpetuum privaretur fructibus beneficii. Ita Sanch. Pelliz. Salmant.

Sciendum VI. Quod celebris est sententia Soti asserens, beneficiatum, cui non remanet bona pars sustentationis annuæ, puta tertia saltem pars ex fructibus beneficii, non obligari ad recitationem officii divini: quia fructus exigui nulli censentur: &, quod parum est, pro nihilo reputatur, ut patet ex cap. Is cui 19. de præben. in 6. ubi beneficium insufficiens habetur quasi non esset beneficium. Cum Soto sentiunt Malder. Arag. Sanch. Prad. Less. Led. Alii vero dicunt, quodcumque beneficium quantumvis tenue inducere obligationem recitandi officium: quia jura non distinguunt inter beneficium tenue, & pingue, sed de omnibus indifferenter loquuntur, quantum ad obligationem recitandi horas canonicas. Unde, sicut Ecclesia sine ullo stipendio tale onus imponit ordinatis in sacris; ita cum tenui stipendio potuit tale onus imponere beneficiatis. Ita Covar. D. Anton. Val. Azor. Suar. Navar. Barb. Laym. Salmant. Regin.

CAPUT VI.

De restitutione facienda a Clericis beneficiatis non recitantibus horas canonicas.

Deinde considerandum est de obligatione, quam habent Clerici beneficiati, restituendi fructus beneficii, quando non recitant horas canonicas. Circa quod

Sciendum I. Quod ex Concil. Lateran. sub Leon. X. sess. 9. §. statuimus: & ex Constit. Pii V. quæ incipit: Ex proximo Lateran. edita die 12. Octobr. 1571. Omnes beneficiarii, si omittant recitationem officii divini, seu canonici, semper peccant mortaliter, & post primum semestre, si non recitent, tenentur ad restitutionem pro rata: ita, ut, si totum officium omittant, tenentur restituere omnes fructus correspondentes illi diei, etiam provenientes a distributionibus pro assistentia in choro. Si matutinum cum laudibus, dimidiam partem: si omnes reliquas horas, mediam partem: si unam tantum horam, sextam partem. Ad hanc autem restitutionem faciendam tenentur in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam Judicis, ut patet ex prop. 20. damnata ab Alex. VII. quia non acquirunt dominium talium fructuum, ut patet ex supra dictis constitutionibus. Quapropter

Sciendum II. Quod, qui legitime impeditus non recitat, non tenetur ad restitutionem, ut expresse dicitur in bulla Pii V. Unde inferunt Doctores, quod, qui absque culpa mortali omittit recitationem, sive hoc ex oblivione naturali, infirmitate, impotentia, ignorantia inculpabili, sive ex alio legitimo impedimento proveniat, non tenetur ad restitutionem. Multi etiam excusant a restitutione eos, qui voluntarie uno, vel altero die omittunt totum officium absque justa causa, ob præsumptam indulgentiam piæ matris Ecclesiæ. Sed immerito hæc indulgentia præsumitur contra expressam intentionem justissimæ matris Ecclesiæ, declaratam in bulla Pii V. in qua dicitur, ut, qui uno, vel pluribus diebus omiserit recitare, teneatur ad restitutionem pro rata. Dicendum est igitur, ad restitutionem proculdubio teneri, ut docent Azor. Bonac. Suar. Vasq. Pelliz. Salmant. contra Laym. Sot. Veg.

Sciendum III. Quod, qui leviter peccaret per omissionem voluntariam exiguæ partis horæ canonicæ, ad nihil restituendum teneretur, nec etiam sub veniali: quia parum pro nihilo reputatur, ut docent Suar. Bonac. Navar. Salmant. Quod verum est, etiam si exiguam partem in singulis horis omitteret: quia licet dictæ parvæ materiæ coalescant ad unum peccatum mortale contra præceptum recitationis, utpote quod respicit integrum officium per modum unius: non tamen coalescerent respectu præcepti restitutionis, quod respicit singulas horas secundum se, & pro rata. Sic docent Pal. Pelliz. Petrus Navar. Salmant. Montes. & probabile esse dicit Bonac.

Sciendum IV. Quod, qui voluntarie di-

ſtractus recitat horas canonicas, reſtituere tenetur, in ſententia illorum, qui dicunt, quod voluntarie animo diſtractus non ſatisfacit obligationi recitationis, uti docent Regin. Leſſ. Bonac. Pal. E contra omnes illi, qui docent non requiri attentionem internam ad ſatisfaciendum obligationi recitationis, conſequenter aſſerunt, voluntarie animo diſtractum non teneri ad reſtitutionem: de quibus dicam in cap. ſeq. Sed adhuc in ſent. requirente attentionem internam ad ſatisfaciendum præcepto recitationis, probabile eſt, non adſtringi ad reſtitutionem voluntarie diſtractum: quia reſtitutio præcipitur eis, qui recitationem omittunt, non autem animo diſtractis; Eccleſia enim non judicat, nec punit actum internum, qui ſolum cadit ſub judicio Dei, qui intuetur cor: homines autem vident ſolum ea, quæ parent, ut dicitur 1. Reg. Ita Azorius, Salmantic. Tolet. Villal. Malder. Dian.

Sciendum v. Quod, ſi beneficiatus præter obligationem horarum canonicarum habeat alia miniſteria annexa beneficio, probabile eſt, quod ſi divinum officium non recitet, non teneatur reſtituere omnes fructus illi diei correſpondentes: ſed ſolum fructus correſpondentes ſoli recitationi, ſcilicet quartam, vel quintam partem, ut docent Pelliz. Leſſ. Sanch. Vaſq. Rodriq. Bonac. Sed probabilius eſt, teneri reſtituere omnes fructus correſpondentes diei, etiam ſi habeat alia onera beneficio annexa præter recitationem: quod clare colligitur ex bulla Pii V. in qua privat Canonicos non recitantes etiam diſtributionibus, quæ ob meram aſſiſtentiam, ſeu præſentiam in choro lucrari debebant. Sic Valent. Garc. Lorc. Filliuc. Reg. Azor. Suar. Pal. Salmantic.

Sciendum vi. Quod beneficiarius culpabiliter omittens recitare horas canonicas, reſtituere debet vel fabricæ beneficii, vel pauperibus, ut in ſupra dictis juribus expreſſe præcipitur. Unde, ſi ipſe, vel parentes, aut conſanguinei ſint pauperes, poterit illis, vel ſibi dictam eleemoſynam applicare: maxime, quia in tali caſu non ipſe, ſed Papa talem applicationem facit: nec ad hoc opus eſt conſilio confeſſarii, ſi evidens ſit paupertas. Hoc autem intelligendum eſt, niſi in fraudem non recitaverit ſiſus tali applicationi ſibi faciendæ: ſicut vult expreſſe Summus Pontifex in bulla compoſitionis, ne detur occaſio peccandi. Sic Tolet. Bonac. Pelliz. Pal. vel, niſi ex conſuetudine, aut ſpeciali ſtatuto, vel lege jam applicati ſint tales fructus alicui particulari neceſſitati, aut pio operi, vel aliis beneficiatis: quia tunc non licet aliis applicare contra jus tertii jam acquiſito: qua ratione etiam non poterit fieri compoſitio in dicto caſu, ut docent Arag. Rodr. Tol. Bonac. Suar. Salmant.

Sciendum vii. Quod hujuſmodi obligationi reſtituendi poteſt ſatisfieri per quaſcumque eleemoſynas poſt contractam obligationem factas, aut faciendas, etiam ſi non cogitaverit de ſatisfaciendo huic obligationi reſtituendi, ut notant Laym. Pelliz. Dian. Nam hæc videtur virtualis intentio omnium facientium eleemoſynas, ſcilicet ſatisfacere omnibus debitis, quibus per actum eleemoſynæ tenetur ſatisfacere: quod locum habet in omnibus debitis domino incerto. Non autem poteſt ſatisfieri dictæ obligationi reſtituendi per eleemoſynas, quas antea fecit beneficiarius de fructibus ſui beneficii: Unde damnata fuit ab Alex. VII. hæc prop. 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit*; hoc enim eſſet ſatisfeciſſe pro peccato futuro.

Sciendum viii. Quod beneficiatus hac die omittens recitationem horarum canonicarum, non ſatisfacit obligationi reſtituendi, ſi alia die recitet duplex officium: quia obligatio recitandi eſt affixa diei. Sic Henriq. Petrus Navar. Arag. Pelliz. Aliis vero valde probabile videtur, quod ſatisfaciat, eo pari modo, quo Capellanus omittens offerre Sacrificium die, qua tenetur, peccat quidem, ſed liberatur ab onere reſtitutionis, ſi altera die ſuppleat Sacrificium omiſſum. Ita tenent Molph. Suar. Filliuc. Pal. Bonac. Salmant. Addit Quintanadv. ſufficienter ſatisfieri huic obligationi, ſi per ſe, vel per alium beneficiarius offerat pro defunctis alia opera ſatisfactoria hoc intuitu. Sed relicta hac ſent. in ſua putata probabilitate, primæ ſententiæ ſtandum cenſeo. Ad cujus evidentiam

Sciendum ix. Quod reſtitutioni debiti pecu-

pecuniarii certi satisfieri non potest per opera spiritualia, maxime contra expressam voluntatem creditoris, ut est certum: beneficiarius autem, omittens recitationem horarum canonicarum, tenetur ad restituendum certam summam pecuniariam fructuum beneficii correspondentium pro rata recitationis illius diei; quia tales fructus non facit suos, seu non acquirit illorum dominium, quod proinde remanet apud Ecclesiam: ergo non potest tales fructus sibi appropriare absque consensu Ecclesiæ, sicut fit per bullam compositionis. Compositio autem, seu compensatio, quæ fit per substitutionem operum spiritualium, & satisfactionis, ab ipso beneficiato ad libitum suum, non est ex consensu Ecclesiæ, sed contra ejus expressam voluntatem, qua decrevit, ut tales fructus dentur vel fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, ut constat ex supra citatis juribus: ergo non deobligat ab onere restitutionis. Quæ pariter intelligenda sunt de pensionariis culpabiliter omittentibus recitare officium parvum B. Mariæ Virg.

CAPUT VII.

De circumstantiis recitationis horarum canonicarum.

DEinde considerandum est de circumstantiis requisitis ad debitam recitationem horarum canonicarum. Circa quod

Sciendum I. Quod certum est, non satisfieri obligationi recitandi officium divinum per solam mentalem pronunciationem. Ecclesia enim præcipit orationem vocalem, quæ requirit vocis articulationem, ut ex communi docent Cajet. Sanch. Salmant. Probabilius tamen est, satisfacere eum, qui pronunciat, linguam, & labia movendo, tametsi vocem non formet totaliter, seu taliter, ut re audiat: quia præceptum est, ut recitet, non ut audiat. Sic Trull. Rodr. Azor. Salmantic. contra Pelliz. Regin. Suar. Pal. Hoc certum est, quod, si recitat cum socio, debet ita proferre, ut ab alio audiatur, & ipse illum audiat vicissim, quia alias non communicaret cum socio. Unde sequitur, quod surdus extra chorum non satisfaciat recitando cum socio, licet in choro satisfaciat per alios audientes ex sua parte chori, cum quibus ut pars unum constituit.

Sciendum II. Quod debet officium divinum integre pronunciari; ex quo sequitur, quod qui verba priora versiculis ultimis conjungeret, omissis intermediis, vel ea syncopando, & syllabas absorbendo, ita ut verborum sensus deperdatur, non satisfaceret, nisi parvitas materiæ excusaret a gravi culpa, vel inadvertentia, aut balbuties involuntaria, ut notant Pelliz. Sanch. Bonac. quod verum est, sive se solo, sive cum socio recitet; quidquid alii in contrarium dicant. Interruptio autem, etiam si fiat in medio psalmi, vel lectionis, nunquam pertingit ad mortale, quia omnes versiculi habent suam completam significationem distinctam ab aliis: imo, si fiat cum causa, nullum erit peccatum: sicut etiam nullum erit peccatum, etiam sine causa discontinuare unum nocturnum ab alio, vel laudes a matutino: quia sic antiquitus fieri solebat, ut notant Navar. Suar. Sanch. Si quis totum officium audiret, non recitando alternatim cum socio, non satisfaceret, quia præceptum est de recitando secundum morem Ecclesiæ, non vero de audiendo, ut notant Salmant.

Sciendum III. Quod officium divinum hoc ordine recitari debet, ut terminato prius officio præcedentis diei, primo dicatur matutinum cum laudibus, postea prima, tertia, sexta, & nona, deinde vesperæ, & ultimo loco completorium. Nunquam tamen (secluso scandalo, aut contemptu) erit mortale in privata recitatione hunc ordinem horarum invertere: imo nec invertere partes ejusdem horæ; erit tamen veniale, si fiat sine causa, ut docent Pelliz. Bonac. Less. Similiter non erit mortale celebrare Missam ante recitatum matutinum: quia non habent connexionem inter se, ut est certum apud omnes: imo etiam sine causa non esse peccatum veniale, affirmant Sylvest. Villal. Pelliz. Sanch. Sot. Sed propter rubricas Missalis hoc inculcantis tribus in locis, esse veniale, si fiat absque causa legitima, docent Less. Bonac. Pal. Vasq. Suar. Circa locum vero recitandi officium divinum privatim, nulla datur determinatio in jure, ideoque ubilibet poterit recitari, juxta illud ad Titum 2. *Volo viros in omni loco orare.* Quam-

L 2 vis.

vis aliqui dicant esse peccatum veniale, sine necessitate, in locis immundis officium recitare, ob aliquam indecentiam, quæ adesse videtur. Sedere autem, aut stare, aut genuflectere, in privata oratione non præcipitur, sed consulitur.

Sciendum IV. Quod quantum attinet ad tempus, obligatio recitationis est affixa diei: unde non satisfaceret, qui ante tempus præfixum officium diei sequentis recitaret: neque qui illud omisit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, tenetur die sequenti supplere. Qui vero dubitat, an omiserit horam, vel psalmum, si est dubium vere tale, & non scrupulus, tenetur repetere, quia obligatio certa est in possessione. Si vero non sit purum dubium, sed habeat aliquam probabilitatem annexam, quod illud recitaverit, ut, si recordetur, voluisse recitare, aut incepisse, & postea dubitet: Si in fine tertii psalmi dubitet, an dixerit primum, non tenetur, repetere, maxime si sit scrupulosus: quin potius ad non repetendum obligari debet a confessario, & prælato. Unde fit, non teneri quemquam repetere, qui non meminit se dixisse, modo non meminerit, se non dixisse, & conjecturam habeat, quod dixerit. Ita Sanch. Arag. Navar.

Sciendum V. Quod incipit obligatio recitationis a puncto mediæ noctis antecedentis, & finitur in puncto mediæ noctis subsequentis, excepto matutino, & laudibus, quæ ob consuetudinem possunt dici post vesperas antecedentis diei, ut fert communis sententia. Non desunt tamen plures Doctores dicentes, præceptum recitandi officium incipere a vesperæ hujus diei, usque ad mediam noctem diei crastinæ: & sic ab illo tempore posse dici nedum matutinum, sed totum officium diei sequentis persolvi, pro qua sent. Bonacin. citat Francol. Bellar. Duran. & videtur esse de mente D. Thomæ quodl. 5. ar. 18. quem refert cum aliis Doctoribus Navar. qui tamen explicat, debere intelligi de matutino, & laudibus. Cæterum, si totum officium simul summo mane recitetur, sive ad finem diei totum differatur, erit solum veniale, si fiat sine causa: quia ordo accidentalis ab Ecclesia præscriptus non servatur. Ita Sanch. Trull. Villal. Pal.

Sciendum VI. Quod tempus, quo matutinum sequentis diei inchoari potest, est a primis vesperis, id est post duas horas a meridie, ut docent Sanch. Molf. Salm. Trull. & alii: ex quibus plures dicunt, non esse veniale, etiam sine causa, sic anticipare matutinum: alii vero dicunt esse veniale. Sanchez addit, in quadragesima, quando vesperæ anticipantur, posse etiam ex tunc dici matutinum sequentis diei. An vero adimpleat præceptum recitandi, qui hodiernum officium recitare incipit paulo ante mediam noctem diei sequentis, si ipsum prosequatur post mediam noctem: Affirmat Leand. a Sacram. citans alios sui Ordinis: quia res incepta tempore apto, potest in continenti prosequi tempore sequenti, ut patet ex leg. lecta, ff. si certum petatur. Id vero negat communis sent. quia obligatio recitandi officium est affixa diei Ecclesiastico, quæ incipit in puncto mediæ noctis, & in puncto mediæ noctis subsequentis terminatur: res vero tribuitur diei, in quo terminatur, & non diei, in quo incipitur, l. contractus eod. de fidei instrum. Sic Navar. D. Anton. Sylv. Azor. ex huc usque dictis patet falsitas prop. 35. damnatæ ab Alex. VII. quæ sic habet: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.*

Sciendum VII. Quod non satisfacit præcepto, qui officium longius permutat in brevius: ut colligitur ex prop. 34. damnata ab Alex. VII. quæ sic habet: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.* Imo probabilius est, quod non satisfaciat, etiam si illud sponte permutet in æquale, vel etiam in longius: quia non solum datur præceptum recitandi officium, sed illud recitandi secundum formam præscriptam, ut constat ex bulla Pii V. affixa in principio breviarii. Ita Suar. Bellar. Pal. Gavan. Rodr. Salm. & alii contra Azor. Less. Cajet. Sylv. Laym. Cæterum, si mutatio fiat ex errore, aut inadvertentia, non erit opus repetere, tum ob probabilitatem oppositæ sentent. tum, quia incredibile videtur, quod Ecclesia tantum onus velit imponere sic erranti, ut bis officium recitet eadem die, ut ex communi docent Salmant. Nec tenetur in tali casu alia die officium remittere, si sit de aliquo Sancto, sed debet aliis conformari. Quod, si errorem advertat dum recitat, pote-

poterit officium inceptum prosequi, vel prosequi currens. Ita Lug. Villal. Trull.

Sciendum VIII. Quod licet sit probabilis sent. asserentium, quamlibet horam canonicam diverso præcepto imperari, quia singulæ divisæ sunt etiam quoad tempus ab Ecclesia; ideoque tot numero peccata committere, quot sunt horæ canonicæ, quas quis omittit: Probabilius tamen est, omnes unico præcepto imperari, ideoque unum peccatum committi: quia in jure officium nocturnum pariter, & diurnum per modum unius præcipitur, nec multiplicanda sunt præcepta absque manifesta lege, aut ratione, ut docent Pelliz. Lez. Less. Sanch. Salmant. In sent. igitur asserente, pro singulis horis dari speciale præceptum, parvitas materiæ, vel gravitas consideranda est non respectu totius officii, sed respectu cujuslibet horæ; & ideo tertiam, vel quartam partem in singulis omittere, & in matutinis octavam, non esse materiam gravem. In sent. vero asserente, omnes horas cadere sub unico præcepto, materiæ quantitas desumenda est respectu totius officii; & ideo unicam horam minorem prætermittere non esse mortale, vel quantitatem æquivalentem, ut aliqui volunt. Alii dicunt omissionem unius horæ minoris esse materiam gravem, secus vero quantitas minor. Alii dicunt, octavam partem officii vix esse materiam gravem: In officio autem longiori majorem latitudinem habet parvitas materiæ, quam in breviori, ut notant Salmant.

Sciendum IX. Quod ad satisfaciendum obligationi recitationis, sufficit intentio directa recitandi officium, aut orandi, sive hæc sit expressa, seu formalis: sive virtualis, seu implicita, quam censetur habere, qui solito more assumit breviarium ad recitandum: non vero requiritur intentio reflexa satisfaciendi præcepto. Sufficit enim, quod humano modo ponatur, seu exequatur res præcepta, id est scienter, ut dictum est in tract. de legibus. Requiritur etiam attentio externa, ut est certum apud omnes, taliter, ut, si quis ridendo, & ludendo recitaret officium, non satisfaceret præcepto, aut si poneret aliam actionem externam incompossibilem cum recitatione. Dubium solum est, an requiratur attentio interna actualis, vel saltem virtualis, in vi scilicet primæ attentionis, sive intentionis attendendi, vel ad Deum, vel ad verba, vel ad sensum verborum, non retractata procedens; ita, ut voluntarie omnino distractus non satisfaciat præcepto officium recitando. Negant aliqui, dicentes, quod attentio interna non est de essentia orationis vocalis, neque præcipi potest ab Ecclesia, quæ non judicat de internis, nisi in quantum habent connexionem per se cum actibus externis. Sic Duran. Laym. Sylv. Less. & alii plures. E contra alii affirmant, dicentes, quod attentio interna est de essentia cujuslibet orationis, cum oratio sit actus intellectus, sive vocibus exprimatur, sive non; ut patet ex dictis in 2. part. cum de oratione ageretur. Sic Sanch. Rodr. Bonac. Salm. & plures alii Doctores apud Salmant. Ad cujus rei evidentiam

Sciendum X. Quod aliud est quærere, an voluntarie distractus animo, seu mente, satisfaciat obligationi recitandi horas canonicas, taliter, ut non peccet mortaliter coram Deo: aliud est, an satisfaciat præcepto Ecclesiastico, taliter, ut non sit reus coram Ecclesia, quæ nec judicat, nec punit actus internos, etiam si per se connexos cum actibus externis, & ideo illos non potest directe præcipere, ut dictum est in tract. de legib. sed solum indirecte, seu concomitanter, in quantum scilicet, præsupposito præcepto Ecclesiæ de actu virtutis externo, illi conjungitur præceptum divinum, & naturale de faciendo opere uti oportet. Sic igitur dicendum est, quod, qui recitat horas canonicas voluntarie, & totaliter mente distractus, non satisfacit suæ obligationi, & est reus peccati mortalis coram Deo, quia vere non orat; & de his Deus conqueritur in Evangelio, Matth. 15. dicens, *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Isaias, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Sed, quia Ecclesia non judicat de actibus internis, nec judicare potest, quia cor hominis inscrutabile est, & soli Deo notum, atque soli divino judicio reservatum; ideo in judicio Ecclesiæ reus non censetur, qui actum externum recitandi horas canonicas adimplevit, sive recta, sive prava intentione id egerit, sive volunrarie distractus, sive non; satisfacit ergo præcepto Ec-

Ecclesiæ, quantum ad vitandam pœnam, non culpam: unde nullam pœnam fori exterioris incurrit, sed manet obnoxius pœnæ æternæ. Ita D. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 9. S. Anton. & alii. Qua de re vide Salmant. tract. 5. cap. 6. & ea, quæ dixi in tract. de legibus.

CAPUT VIII.

De causis excusantibus a recitatione horarum canonicarum.

Deinde considerandum est de causis excusantibus a recitatione horarum canonicarum, quæ reducuntur ad impotentiam physicam, aut moralem, & ad legitimam dispensationem. Unde

Sciendum I. Quod a recitatione horarum canonicarum excusantur in primis, qui inculpata oblivione, unam, vel plures horas non recitant. Secundo graviter infirmi, qui sine magna difficultate, vel corporis periculo recitare non posse videntur, ut sumitur ex cap. Clericus victum. dist. 19. In dubio autem, vel superior, aut confessarius consulendus, vel prudentis, & probi medici judicio acquiescendum, sicuti tradunt Navar. Suar. Laym. Illud vero admonent, quod levis tertiana febris, & diuturna quartana ferme non excusat ægrotum ab horario penso: quia plerumque tempus a morbo liberum relinquit, quod ad orandum eligi potest saltem anteponendo, vel postponendo, sicut etiam notarunt Innoc. & Abbas in cit. cap. In casu autem, quo nec superioris, nec confessarii, nec medici consilium adhiberi possit, & timeatur ex recitatione grave incommodum, excusatur infirmus, quia concurrit jus fortius de vitando damno salutis: quod verum est etiamsi ex sua culpa infirmitatem incurrerit, ut notant Salmant.

Sciendum II. Quod tertio excusantur graviter occupati, si occupatio sit honesta; & necessaria, quæ sine scandalo, & notabili detrimento proprio, vel alieno, differri non potest, vel omitti: quia tunc cum ea recitatio divini officii moraliter est incompossibilis. Qua de re Navar. Sylv. Arag. Unde excusantur Confessarii, Concionatores, & scholares per integrum diem disputationem habituri, si moraliter, seu sine gravi incommodo nequeant cum executione sui muneris conjungere officii divini recitationem. Ordinarie autem propter studium non excusantur, etiam si per alium recitent. Unde damnata fuit ab Alexand. VII. hæc prop. 21. *Habens capellaniam collativam, aut quoddam aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.*

Sciendum III. Quod excusantur quarto impotentes, aut intrinsece tales, ut sunt cœci, qui memoriter officium recitare nesciunt: vel ab extrinseco tales, ut sunt, qui amiserunt breviarium, nec aliud habere possunt, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 79. a. 3. ad 2. Cajet. Sot. Laym. Denique excusantur, qui legitimam habent dispensationem, quam absolute dare potest Summus Pontifex valide etiam sine ulla causa: & ex præsumpta illius licentia prælati inferiores in aliquo casu particulari ad breve tempus, & justa causa existente. Sic Less. Sanch. Suar. Laym. Salmant. & alii communiter, sicut constat ex his, quæ dicta sunt in prima parte, cum de legibus ageretur.

Sciendum IV. Ex dictis colligi primo, quod, qui solus recitare impotens est, si socium commode adhibere non potest, vel nonnisi soluto pretio, non tenetur recitare officium divinum: quia censetur impotens moraliter. Si vero commode illum habere potest, & gratis, probabilius est teneri, quia hoc est medium ordinarium, & sic non censetur amplius moraliter impotens. Ita Garc. Sanch. Rodr. Salmant. & alii contra Dian. & Anton. a Sp. Sancto. Non tenetur autem per alium adimplere, si socium habere non potest: quia hæc obligatio est personalis. Nec tenetur alias orationes, aut alia pia opera substituere loco recitationis, quantum est ex vi hujus præcepti, ut bene notant Salmant. quia hoc præceptum obligat solum ad recitationem horarum canonicarum.

Sciendum V. Quod ex dictis colligitur secundo, quod qui potest majorem, vel notabilem partem officii recitare, absque dubio tenetur ad illam recitandam, etiam si impotens sit ad totum officium recitandum. Falsum enim est in hoc casu, quod major pars trahat ad se minorem, cum non

non habeant inter se necessariam connexionem in ordine ad finem: finis enim hujus præcepti in qualibet parte officii divini totus salvatur: Unde merito damnata fuit ab Innoc. XI. hæc prop. 54. *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Dixi notabilem partem, puta integram horam: si enim exiguam solum partem, puta unum, vel duos psalmos recitare tantum possit, non tenetur, quia in jure parum pro nihilo reputatur.

Sciendum VI. Ex dictis colligi tertio, quod, qui scit, se postea habiturum impedimentum, aliqui dicunt, quod non tenetur anticipare, vel posticipare recitationem: quia quælibet hora canonica suo tempori determinato correspondet; & ideo usque dum illud tempus non adveniat, præceptum recitationis non urget: neque urget obligatio post elapsum illud tempus: non enim tenetur uti indulgentia, seu privilegio anticipandi, aut posticipandi. Sic Cano, Henriq. Dian. Caram. Ant. a Spiritu Sancto. Probabilior vero sent. docet, quod tenetur anticipare, vel posticipare, quando statutis horis non potest recitare: quia Ecclesia duo præcipit, scilicet, recitationem officii a puncto mediæ noctis usque ad mediam noctem sequentem: & hoc est substantiale obligans sub mortali: & recitationem statutis horis, quod accidentale est respectu præcepti, & obligans sub veniali; & ideo, qui statutis horis non potest recitare, excusatur a veniali: sed non excusatur a mortali, si absolute non recitet illa die. Sic Sanch. Salmant. Trull. Villal. Azor. Pelliz. & alii.

CAPUT IX.

De recitatione publica horarum canonicarum.

Consequenter considerandum est de recitatione publica horarum canonicarum. Circa quod quinque consideranda sunt. Primo de ipsa recitatione publica secundum se. Secundo de distributionibus quotidianis pro assistentia in choro. Tertio de numero Canonicorum, aliorumque conventualium. Quarto de obligatione residentiæ. Quinto de rebus Ecclesiæ non alienandis. Circa primum igitur in præsenti,

Sciendum I. Quod datur ex jure communi obligatio recitandi officium divinum in communi in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, & Parochialibus, ut patet ex Clement. I. de celebr. Missar. & ex cap. Dolentes, eod. tit. nisi ex speciali instituto ab Ecclesia approbato hæc obligatio cesset, ut est in Societate Jesu, & aliis hujusmodi religionibus. Cœterum, cum hæc obligatio a jure positivo tantum habeatur, adversus quod prævalere potest consuetudo, ex illa pluribus in locis, præcipue collegiatis, & parochialibus, imo in pluribus regularibus, introductum est, ut solum pro diebus Dominicis, festivis, & aliis solemnioribus hoc observetur: & in aliquibus in totum talis obligatio est ablata ob tenuitatem stipendii, quod non videbatur sufficiens ad hanc obligationem gravem, & continuam imponendam: sive ob paucitatem ministrorum, ut notant Sylv. & Suar.

Sciendum II. Quod in Ecclesiis, ubi adhuc viget consuetudo divinum officium publice celebrandi, sub gravi culpa tenentur prælati curam adhibere, ne unquam horæ canonicæ publice omittantur. Ex jure autem communi nullus religiosus in particulari sub culpa gravi tenetur choro interesse, & idem dicendum est de sanctimonialibus, ut notant Salmant. sed solum tenentur ex vi regulæ, quæ in aliquibus religionibus nec etiam ad leve peccatum obligat, sed solum ad pœnam. Ad satisfaciendum vero obligationi recitandi in communi, debent ad minus quatuor religiosi convenire, quia absque tali numero non censetur sufficere communitas ad intentum: unde in tali casu paucitas religiosorum excusat ab obligatione chori, quando quinque saltem non sunt expediti, ut docent Villalob. Bordon. Pelliz. Salmant. Tenentur etiam Prælati regulares curam adhibere, ut in suis Monasteriis saltem una Missa singulis diebus in Ecclesia celebretur, ut colligitur ex cap. Cum creatura, de celebr. Missar. & tenent omnes Doctores, quorum aliqui excusant a mortali prælatum, qui una, vel altera die sacrum absque legitima causa omitti permitteret, ut Sot. Suar. Alii vero id non admittunt, ut Laym. Coninck.

ninck. Alii melius dicunt, spectandam esse consuetudinem, ut Pal. Salm. Non est autem necesse, ut talis Missa cum cantu celebretur, quia de hoc nullum datur præceptum, ut docent Peyrin. Gavant. Pelliz. Tambur: His igitur præsuppositis,

Sciendum III. Quod in publica recitatione servandus est omnino ordo, locus, & tempus ab Ecclesia præscriptum, ut manifeste constat ex cap. Dolentes cit. & ex constit. Pii V. quæ incipit: Quod in nobis, Ordo consistit in eo, quod non invertantur horæ canonicæ, vel ipsarum horarum formula ab Ecclesia præscripta. Tempus, ut Matutinum cum laudibus dicatur infra hos terminos, scilicet a Solis occasu usque ad ortum: regulariter autem proxime post mediam noctem. Prima post ortum Solis: Tertia, Sexta, & Nona circa meridiem; exceptis feriis Quadragesimæ, Vesperæ dici debent post meridiem: Completorium prope noctem. Sed hoc intelligendum est, nisi aliter habeat consuetudo laudabilis, vel statutum speciale Ordinis, aut Monasterii. Quantum ad locum, semper talis recitatio fieri debet in choro, vel in Ecclesia, ita, ut sit peccatum mortale illud in Sacristia, Capitulo, vel alio loco communiter persolvere, nisi gravis necessitas, vel consuetudo oppositum persuadeat: quia ita habetur in cap. fin. dist. 12. & Clement. I. de celebr. Missar. & docent Navar. Sanch. Cajet. Similiter erit grave peccatum in publica recitatione ordinem horarum ab Ecclesia præscriptum invertere, si frequenter hoc fiat; vel per tempus notabile officium in choro interrumpere: quia importat notabilem deformitatem, & scandalum generat, quod non verificatur in privata recitatione. Ita Suar. Azor. Sot. Villal. Lez. contra Bonac. Trull. Gavant. qui dicunt esse veniale, si absque justa causa fiat, quia sunt circumstantiæ accidentales.

Sciendum IV. Quod gravior est obligatio recitandi officium divinum in choro respectu communitatis, quam extra chorum respectu particularium. Unde plura, quantum ad materiæ integritatem, quæ in particularibus non pertingunt ad mortale, respectu communitatis erunt peccatum mortale. Quare peccant mortaliter Prælati, & omnes ad id cooperantes, si permittant unicam horam, vel partem notabilem illius in choro prætermitti, ut docet communis sent. apud Dian. Pelliz. Suar. Salmant. contra Bord. Brun. Vidal. Tancred. Cæterum datur etiam respectu communitatis parvitas materiæ, puta, si una commemoratio, vel brevis psalmus voluntarie prætermittatur, ut est communis sent. Si autem præter intentionem bona fide aliquid prætermittatur, aut mutetur, non debet in choro repeti nec tunc, nec postea: quia confusionem pareret, & notam ex se causaret: & etiam, quia præceptum officium recitandi in choro est, ut statutis temporibus recitetur, ut monet Sanchez: ideoque illis elapsis cessat præceptum. Unde infert, quod, si integra hora prætermissa sit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, melius est illam omittere, si tempus illi horæ canonicæ deputatum elapsum est, idque ad evitandum scandalum, & notam, & confusionem. Sic etiam docent Pelliz. Navar. Salmant.

Sciendum V. Quod destinati ad chorum satisfaciunt suæ obligationi, etiam si aliquam partem non recitent, nec audiant officii, cum ob servitium chori detinentur in pulsandis campanis, aut organis, in transferendis libris, vel aliis hujusmodi: quia cooperantur recitationi, & per alios satisfaciunt. Similiter tarde ad chorum accedentes post horam jam inchoatam, si multum non est in hora processum, non tenentur repetere omissa: quia ob societatis vinculum alii canentes censentur defectum socii supplere: & idem est, si aliquo accidente impediti non recitent, vel exeant a choro, & postea revertantur, ut docent Laym. Azor. Salmant. Probabilius tamen est, quod non satisfaciant, si submissa voce non recitent versus, qui organis pulsantur, quia integrum officium debet recitari voce humana, ut præcipit Ecclesia. Sic Pal. Pelliz. Suar. Bonac. Villal. Salmant. Sed probabile est etiam oppositum, quia ab Ecclesia sonus ille recipitur loco vocis ex consuetudine introducta, uti docent Sanch. Trullen.

Sciendum VI. Quod non satisfaciunt suæ obligationi privatim recitandi, qui in choro recitantes partem sui, partem alteram chori non audiunt: sufficit autem, si audiant in confuso, quia aliquo modo in ta-

li casu cum alia parte communicant, & faciunt unum. Ita Sanch. Bonac. Pelliz. Salmant. Hinc probabile est, quod surdus non satisfaciat, ut docent Bonac. & Regin. Sed probabilius est oppositum, tum quia facit, quod potest, nec debet adstringi ad amplius, cum præcepta Ecclesiæ debeant benigne, & humane interpretari: tum etiam, quia chorus supplet ejus defectum: nam partem suam cum altera parte chori communicat, & partem alteram audit, mediantibus sociis suæ partis, cum quibus unum mystice corpus facit. Ita Trullen. Salmantic. Suar. Denique probabilius est, quod satisfaciat, qui submissa voce recitat suam partem, ita, ut ab alia parte non possit audiri, dummodo alii ex parte sua clara voce recitent: quia ad communicandum cum alia parte, non requiritur, quod omnes voces audiantur. Sic Sanch. Arag. Less. Bon. Villal. contra Cajet. Navarr. Armill.

Sciendum VII. Quod recitare officium parvum B. Mariæ Virg. Defunctorum, Psalmos pœnitentiales, aut graduales in choro, non est præceptum, ut testatur Pius V. in sua bulla, nisi ubi viget laudabilis consuetudo, quæ solum obligat communitatem, non vero particulares extra chorum, ut tenent communiter Doctores. In die tamen omnium Defunctorum etiam particulares tenentur ad recitandum integrum illorum officium, quia est pars officii divini illius diei, sicut notatur in Kalendario, & praxis docet. Ita Pal. Salmant. Bonac. Pelliz. quidquid in contrarium dicant alii relati a Molfes. De Letaniis autem in die S. Marci, & tribus diebus Rogationum, omnes asserunt obligare sub mortali communitatem, sive in processione, sive in choro. Respectu vero particularium, aliqui dicunt, probabile esse, quod non obligent extra chorum. Ita Vasq. Dian. Pellizzar. Malder. Sed probabilius est, quod obligent, quia sunt pars officii illius diei, ut notatur in Kalendario, & in rubricis: nec in bulla Pii V. excipiuntur, sicut excipiuntur Psalmi pœnitentiales. Sic Suar. Bonac. Trull. Pal. Salm. Lean. Lez.

Sciendum VIII. Quod omnes Ecclesiastici, tam sæculares, quam regulares, tenentur sequi formam Breviarii Romani, tam intra, quam extra chorum, exceptis Religionibus, & Ecclesiis, quas constat habuisse speciale Breviarium per 200. annos ante institutionem hujus a Pio V. recogniti, & emendati, ut constat ex ejus bulla. At vero Ecclesiæ sæculares, vel regulares, quæ habebant speciale Breviarium ante ducentos annos, si illud relinquere vellent, & se cum Romano conformare, hoc debet fieri cum consensu Capituli, & Superioris illius: si vero suum retinere velint, adhuc particulares extra chorum possunt, si velint, recitare secundum Romanum. Ubi vero est receptum Breviarium Romanum, non satisfacit suæ obligationi, qui recitat secundum aliud Breviarium, ut expresse habetur in motu proprio Pii V. & docent Bonac. Garc. Pal. Sanch. Salmantic. contra Regin. Vasq. Dian. Hinc sequitur, quod, qui non haberet Breviarium Romanum, non teneretur recitare secundum aliud Breviarium, quia respectu ejus non est officium canonicum. Episcopi autem regulares possunt juxta Breviarium suæ Diœcesis officium recitare, & idem est de sociis cum eis recitantibus, vel cum aliis privilegiatis, quia privilegium extenditur ad illos, ut constat ex Clement. Dignum, de celebr. Missar. Etiam religiosi, qui in itinere non habent Breviarium Romanum, vel ex alia justa causa, possunt recitare cum alio, vel per se solos juxta aliud Breviarium, ex privilegio concesso Minoribus ab Innoc. IV. ut referunt Salmantic. Rodr. Dian. Tambur.

Sciendum IX. Quod regulares exempti, utentes Breviario Romano, possunt recitare officium de Sanctis, de quibus in Diœcesi, in qua existunt, recitatur; sed non tenentur, nisi quantum ad Festum Patroni, in quo cum matrice debent conformari ex constit. Greg. XIII. quæ incipit: Pastoralis officii. Capellanus Monialium, qui dicit Missam conventualem, potest in officio cum Missa conformari, licet Missa sit de Sanctis, de quibus ob speciale institutum Moniales recitant, ut notant Regin. Sylv. Quintanad. Episcopus, per se loquendo, non potest instituere, ut totus Clerus festivitatem alicujus Sancti celebret, quando, secundum rubricas Breviarii Romani, de alio Sancto, vel de feria recitandum est, nisi habeat speciale privilegium: quia non potest facere contra præceptum Papæ; sicuti

sicuti notant Bonac. Navar. Pal. In Ecclesia, ubi habetur insignis Reliquia, potest fieri officium de illo Sancto, sed non alibi, ex decreto S. Congr. jussu Urban. VIII. edito, ex quo etiam habetur, quod non potest fieri per totam civitatem, aut locum, officium Titularis Ecclesiæ parochialis, vel regularis, aut Abbatialis: sed solum in propria Ecclesia. Reliquia vero insignis, ut possit fieri officium de illo Sancto, debet esse authenticata ab aliquo Episcopo, ex Trident. sess. 25. Decreto 2. de Purgatorio, & Reliquiis Sanctorum.

CAPUT X.

De distributionibus quotidianis ob assistentiam in choro.

DEinde considerandum est de distributionibus quotidianis ob assistentiam in choro Clericorum. Circa quod,

Sciendum I. Quod peccant mortaliter præbendati, qui sine causa legitima non intersunt choro illis diebus, quibus obligati sunt interesse, etiam si cedant distributionibus, nisi parvitas materiæ excuset, ut, si ter, vel quater in anno absesint: quia in cap. Dolentes, de celebr. Missar. & Clement. 1. eod. & aliis juribus, sub censuris, & pœna depositionis præcipitur eis assistentia in choro, & graviter reprehenduntur tarde ad chorum accedentes, vel ante completum officium exeuntes, vel ibi confabulantes, & recitantes mutilando, aut syncopando horas: & etiam, quia ad talem assistentiam obligantur non solum ratione distributionum, sed principaliter ratione proprii muneris. Ita cum probabiliori sent. docent Vasq. Pal. Suar. Garc. Bonac. Salmant. contra Navar. Pelliz. Barb. Reg. Val. Cajet. Sylv. Hoc certum est, quod, si sua absentia causa sunt, ut recitatio officii divini omittatur in choro, peccant graviter.

Sciendum II. Quod, quamvis, attento juris rigore, teneantur Canonici non solum interesse, sed etiam canere in choro, vel recitare, ut suæ obligationi satisfaciant, & possint acquirere distributiones: maxime, quia Trident. sess. 24. c. 12. statuit, omnes Canonicos compellendos esse officia divina per se, non vero per substitutos, celebrare: tamen, attenta consuetudine, quæ in pluribus Ecclesiis Cathedralibus est legitime introducta, dicendum est, non teneri per se in choro canere, sed satisfaciunt suæ obligationi, posseque distributiones lucrari, assistendo, & sua officia præstando, ministris, & capellanis psallentibus; quod etiam ad decorem confert in Ecclesiæ ministris. Sic Reg. Pelliz. Salm. Arag. Sanch. Bonac.

Sciendum III. Quod, qui absque debita exteriori reverentia assistunt choro, legendo, ridendo, confabulando, aut dormiendo, non possunt lucrari distributiones: quia istæ nonnisi ob assistentiam humanam, cedentem in Dei cultum, conferuntur. Excipe, nisi forte quis somno oppressus, vim sibi faciendo procuret debite assistere: quia jam ex parte sui humano modo, & cum reverentia assistit, ob illam violentiam, quam sibi facit, ut notant Sot. Bon. Barb. Pal. Salm. contra plures, qui dicunt, per solam assistentiam, quamvis indebite factam, lucrari distributiones, etiamsi nec etiam privatim postea recitetur officium: quod tamen esse falsum, expresse habetur in bulla Pii V. ut optime notant Salmant.

Sciendum IV. Quod præbendati, qui choro non assistunt, ipso facto ante Judicis sententiam privantur distributionibus; & ideo tenentur in foro conscientiæ illas restituere, quia non acquirunt dominium illarum, ut patet ex cap. un. de Cleric. non resid. in 6. & ex Trident. sess. 24. c. 12. & ex damnata ab Alex. VII. proposit. 20. Insuper ex Trident. præbendati, qui, ultra tempus sibi a jure permissum, choro non intersunt, pro primo anno, & prima vice privandi sunt dimidia parte fructuum beneficii: Quod, si iterum ea usi fuerint negligentia, privandi sunt omnibus fructibus beneficii: crescente vero contumacia, beneficio ipso sunt spoliandi.

Sciendum V. Quod, nisi detur statutum, aut consuetudo alicujus Ecclesiæ, ut dictæ distributiones applicentur fabricæ, aut alteri pio operi, omnes portiones absentium, & fructus quacumque ratione amissi ob absentiam a choro, accrescunt aliis interessentibus, inter quos sunt dividendi ex Trident. sess. 24. c. 3. Ex his tamen portionibus non participant illi, qui legitime impediti, non intersunt, nisi detur con-

conſuetudo in contrarium, ut fert probabilior ſent. Pelliz. Pal. Bonac. Salmant. Si tamen omnes præbendati inculpabiliter abeſſent, puta, quia Eccleſia diruta eſt, vel ipſi injuſte ſunt interdicti, ipſis abſque culpa abſentibus ſunt applicandæ, ut docent Pal. Bonac. Salmant.

Sciendum VI. Quod aſſiſtentes in choro, quibus de jure competunt diſtributiones abſentium, non poſſunt eas donare, remittere, vel ſuper eas transfigere cum abſentibus, ut patet ex Trident. ſeſſ. 24. c. 12. Unde donatio erit invalida, ut probabilior fert ſententia cum Suar. Sanch. Pelliz. Salmant. contra Navar. & Sylv. Quod intelligitur, non ſolum de diſtributionibus amittendis, ſed etiam de amiſſis: quia Trid. quamlibet remiſſionem, aut colluſionem excludit, ut docent Pelliz. Barb. Pal. Bon. Salmant. contra Veg. Rodriq. Hoc tamen non tollit, quod poſſint libere donari poſtquam illas quis poſſidet: quia tunc nec eſt remiſſio, nec collatio, ut notant Salmant. Sanch. Bonac.

Sciendum VII. Quod Bonif. VIII. in cap. un. de Cleric. non reſident. in 6. aſſignat tres cauſas, ob quas poſſunt Canonici choro non intereſſe, & nihilominus diſtributiones lucrari. Prima eſt infirmitas. Secunda, juſta, & rationabilis corporis neceſſitas. Tertia evidens Eccleſiæ utilitas. Religioſos vero, quacumque ratione impeditos, omnino a conſecutione diſtributionum excludit. Circa primam cauſam notandum, quod infirmitas debet eſſe gravis, & infirmus reſidens, niſi ob juſtam cauſam eſſet abſens a loco ſuæ reſidentiæ, & ſolitus choro intereſſe: quia alias infirmitas non eſſet unica cauſa abſentiæ. Sic Barb. Pelliz. Bon. Salmant. Per hoc autem, quod quis ſit ſurdus, aut cœcus, non excuſatur, maxime ubi ſola præſentia ſufficit ad lucrandas diſtributiones, ut docent Suar. Sanch. Covar. contra Barboſ. Pelliz. Dian.

Sciendum VIII. Circa ſecundam cauſam, quod pro corporali neceſſitate intelligitur, in primis quando imminet grave periculum vitæ, ſalutis, honoris, aut fortunæ: vel datur impedimentum ex propria culpa non proveniens, ipſam aſſiſtentiam phyſice, aut moraliter impoſſibilem reddens, ut, ſi injuſte eſſet damnatus, detentus, aut excommunicatus. Sic Vaſq. Sanch. Bonac. Pelliz. Juſte autem excommunicatus, ſi aſſiſtat choro, quamvis illicite, valide tamen acquirit diſtributiones, licet in pœnam ſui peccati illis privandus ſit ex cap. Paſtoralis, §. Verum, de appellat. Sic Petrus Navar. Vaſquez, Bonac. Salmantic. & alii ab ipſis relati.

Sciendum IX. Circa tertiam cauſam, quod utilitas Eccleſiæ debet eſſe evidens, gravis, & propriæ Eccleſiæ, vel Eccleſiæ univerſalis. Inſuper hæc utilitas excuſat ab abſentia in choro in ordine ad acquirendas diſtributiones, non vero abſentes a reſidentia, ut eruitur ex cap. Cum non deceat, de Cleric. in 6. & ex communi docet Sanch. Verius tamen eſt oppoſitum ex cit. cap. un. in quo indifferenter, & ſine ulla limitatione excuſantur abſentes ob evidentem Eccleſiæ utilitatem, ut notant Pelliz. Bon. Pal. Salmant. Unde ſequitur primo, quod Canonicus pœnitentiarius tempore, quo Sacramenta miniſtrat, etiamſi choro non aſſiſtat, lucrarur diſtributiones, ut conſtat ex Trident. ſeſſ. 22. c. 3. Similiter Canonicus magiſtralis, & lectoralis, diebus, quibus concionantur, vel legunt, ex conceſſione Greg. XIII. & declaravit S. Cong. Secundo Canonici, qui ad ſervitium Epiſcopi ſunt deputati: Item docentes, & ſtudentes in Academiis habentibus privilegium a Papa, licet lucrentur fructus beneficii, non tamen diſtributiones: quia non ob utilitatem Eccleſiæ, ſed Epiſcopi, vel ſuam, ſunt abſentes a choro. Sic Barb. Pelliz. Monet.

Sciendum X. Quod abſentes a choro recreationis cauſa tribus menſibus conceſſis a Trident. ſeſſ. 24. c. 12. licet lucrentur fructus beneficii, non tamen lucrantur diſtributiones, ut probabilior fert ſentent. & colligitur ex dictis. Si tamen præbenda alios non habeat fructus præter diſtributiones, illas lucrantur. Ita Bonac. Pelliz. Pal. Salmantic. Sed valde probabile eſt, quod abſolute lucrentur etiam diſtributiones, ut docent Covar. Sanch. Vival. Epiſcopus etiam poteſt dare ad breve tempus licentiam non intereſſendi choro ob juſtam cauſam, abſque eo, quod amittantur fructus beneficii, ut probabilis fert ſent. non autem, ut diſtributiones percipiantur, ut docent Barb. Pal. Salmantic. Conſuetudine tamen con-

contra sacros canones prævalente, in pluribus Ecclesiis introductum est, ut & absentes tempore vacationis, & inservientes Episcopo, & studentes in Accademiis, & celebrantes, aut Sacramenta ministrantes intra eandem Ecclesiam, distributiones lucrentur. Item, quod assistentia in choro per alium non obligatum suppleri possit, & alia hujusmodi: & ideo tanquam licita tolerantur.

Sciendum XI. Quod nomine distributionum veniunt illæ portiones Ecclesiasticorum beneficiorum, seu fructuum ex beneficiis deductæ, quæ quotidie distribui solent illis beneficiatis, qui statutis horis divino officio in choro intersunt, de quibus fit mentio in cap. licet nobis, de præben. cap. de Cleric. non resident. in 6. Extrav. Cum nonnullis, inter communes, tit. de præben. & in Clement. Ut ei qui, de ætate, & qualit. Quibuscum similitudinem gerunt anniversaria, & alia hujusmodi emolumenta, quæ ex certa fundatione Clericis officio divino præsentibus tantum distribui debent, sicuti constat ex cit. cap. un. de Cleric. non resident. in 6. Quantitas vero distributionum statuitur in Trid. sess. 21. c. 3. tertia pars fructuum cujuslibet beneficii. Quamvis salubris ista constitutio non ubique in praxi deducta sit, ut notant Salmantic.

CAPUT XI.

De Clericis non residentibus.

DEinde considerandum est de obligatione residentiæ, quæ de jure afficit Clericos. Circa quod

Sciendum I. Quod residentia dicitur assiduitas commorationis in loco beneficii, causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi. Ex quo colligit Sylv. ver. residentia. Si Clericus in loco sui beneficii commoretur quidem, sed officium nunquam præstet, v. g. Canonicus nunquam ad chorum, ad Capitulum veniat, non esse censendum residere: quia frustranea est ejus residentia, quippe fine suo, effectuque destituta. Nihilominus recte ait Navar. lib. 3. consil. 13. aliud esse residere, aliud interesse. Quare licet Canonicus v. g. interdum non sine culpa sua a divinis absit, ideoque incurrat pœnas, sive privationes fructuum, qui præsentibus deputati sunt, ut dictum est in cap. ant. non tamen amittit fructus residentiæ. Et Præpositus, vel Canonicus, qui juravit residentiam, etsi sæpius divina officia negligat, atque peccet, non tamen censetur perjurus, modo interdum se sistat tum in Ecclesia, tum in Capitulo, præsertim si vocatus fuerit, vel ejus auxilio opus sit; tunc enim residentia non omnino caret fine suo. Quo præsupposito,

Sciendum II. Quod, spectato jure communi, omnia beneficia ad residentiam obligant, sicut colligunt Doctores ex c. conquerentes, ubi Abbas n. 3. & toto ferme tit. de Cleric. non resident. Consuetudo tamen obtinuit, ut in simplicibus quibusdam beneficiis non resideatur. Imo præstimonia, licet ex constit. Pii V. vel Ecclesiæ alicujus consuetudine, annexam habeant obligationem officii canonici privatim recitandi; quia tamen nullum aliud servitium postulant, ideo, qui ea obtinent, neque per se, neque per vicarium, Ecclesiæ deservire tenentur, sicuti notavit Azor. to. 2. lib. 7. c. 3. q. 2. De obtinentibus vero in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, decretum est in Trident. sess. 24. c. 12. de reformat. *Ut non liceat eis, vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab Ecclesiis suis abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Postea subditur: *Omnes vero divina per se, & non per substitutos, compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inservire, atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*

Sciendum III. Quod Trident. sess. 23. cap. 1. aperte indicat, residentiam in beneficiis, saltem curatis, divino jure necessariam esse: & ita colligitur ex cap. 12. Hier. cap. 3. Ezech. cap. 10. & 21. S. Joan. & cap. 20. Act. & ex communi docent Sot. Cajet. Major. Covar. Navar. & alii contra Catharinum, & Thomam Candeg. Bene autem admonet S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 5. quod, cum causa obligandi Ecclesiasticos pastores ad præsentiam personalem sit sa-

ſit ſalus animarum commiſſarum; ideo ubi hæc paſtoris præſentiam exigit, non poteſt paſtor gregem ſuum deſerere propter perſonæ ſuæ periculum declinandum, cum bonus paſtor animam ſuam pro ovibus ſuis dare debeat. Joan. 10. Sin vero Eccleſiæ, atque ſubditis utilius, vel æque utile futurum eſt, ut Epiſcopatus, vel Parochia ab abſente viro docto, vel qui magnæ poteſtatis, & auctoritatis eſt, per vicarium adminiſtretur, quam ſi ab alio quopiam præſente, conſideratis etiam aliis circumſtantiis loci, temporis; hoc caſu obligatio reſidentiæ perſonalis ceſſat ſecundum jus divinum, & manet tantum obligatio juris Eccleſiaſtici, in quo Papa diſpenſare poteſt, & ſolet: idque, vel in caſibus ſpecialibus, vel generali lege. Præter quam quod, ſi cauſa excuſans a perſonali reſidentia, ſaltem ad tempus, manifeſta ſit, non videtur eſſe opus licentia ſuperioris, niſi a ſpeciali lege poſtuletur, ut notant Cordub. & Vaſq. Qua de re vide ea quæ ſuperius dicta ſunt, cum de ſtatu Epiſcoporum ageretur.

Sciendum IV. Quod cauſæ juſtæ a continua reſidentia excuſantes, ad quatuor capita revocari poſſunt, quorum meminit Trident. ſeſſ. 23. c. 1. his verbis: *Cum chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, evidens Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abeſſe poſtulet.* Ad primum caput pertinet, ſi quis a loco beneficii diſcedat, cauſa juvandi proximum auxilio indigentem, puta, ut odia, & lites componantur. Ad ſecundum caput ſpectat, ſi beneficiatus abſit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, vel ob tyranni perſecutionem, vel ad proſequendam litem ſuper juribus beneficii. Ad tertium caput pertinet, ſi beneficiatus abſit mandato Papæ, vel in apoſtolicæ Sedis ſervitio occupatus. Ad quartum caput ſpectat, ſi Clericus abſit ob negotium propriæ Eccleſiæ, vel vocatus ad Synodum: Item ſtudiorum cauſa, vel quando in ſervitio Epiſcopi eſt occupatus. Qua de re vide Laym. lib. 4. tr. 2. cap. 6. & ea, quæ dicta ſunt in tract. de ſtatu Epiſcoporum.

Sciendum V. Quod Clericus per cenſuram compelli poteſt, ut reſideat, quando ad reſidentiam eſt obligatus, & inſuper per privationem fructuum, & ipſius beneficii: dummodo, ſi abſens eſt, perſonaliter prius citetur, ſi id fieri poſſit: alioquin per edictum, & quidem trinum, ſi neſciatur ubi ſit, expectato deinde trium menſium ſpatio, ſicut habetur in cap. Ex tuæ, de Cleric. non reſident. Vide etiam Trident. ſeſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. ubi etiam ſignificat, Curatos ſuos non facere fructus abſentiæ culpabili reſpondentes, neque tuta conſcientia retinere poſſe, etiam nulla Judicis declaratione, vel ſententia ſecuta. Illis tamen Tridentina Synodus loco cit. indulget, ob juſtam cauſam, & ſine gregis detrimento, ut per bimeſtre abeſſe poſſint ſingulis annis: Epiſcopis vero, ut ſpatio duorum, vel trium menſium. Utrum vero ad hanc ipſam abſentiam Parochorum Epiſcopi licentia opus ſit, non clare exprimitur: quam ob rem Navar. c. 25. nu. 101. negat. Leſſ. vero, Azor. & Garc. affirmant. Sed tutius eſt cujuſcumque diœceſis conſuetudinem in hac parte ſequi.

Sciendum VI. Quod, ſicut dictum eſt, Trident. conceſſit præbendatis privilegium, ut poſſint ſingulis annis per tres menſes a ſuis Eccleſiis abeſſe, cauſa recreationis, & levaminis: quo privilegio uti libere poſſunt ſine licentia Ordinarii, ut docent Salmant. Poteſt tamen Ordinarius, ſi videat ob multitudinem abſentium divinum cultum diminui, cogere ne ſimul abſint, ut notant Barb. & Pelliz. Poſſunt ergo præbendati nonaginta diebus, ſive continuis, ſive diſcretis, abeſſe, ut notat Pelliz. Non tamen poſſunt ſumi omnes dies ex deſtinatis ad aſſiſtentiam in choro; ſed confuſe ex deſtinatis, & non deſtinatis, ut declaravit S. Congr. & notat Barboſa. Inſuper dictum privilegium conceditur pro Eccleſiis tantum, in quibus integro anno obligat reſidentia, ut notant Sanch. Bonac. Salmant. ſemper tamen iſta privilegia non reſidendi ſtricte interpretanda ſunt, quia cedunt in præjudicium cultus divini, ut notant Pal. Barb. Salmant.

CA-

CAPUT XII.

De numero Canonicorum, aliorumque Conventualium augendo, vel minuendo.

Deinde considerandum est de numero Canonicorum, aliorumque Conventualium augendo, vel minuendo. Circa quod

Sciendum I. Quod, si numerus Canonicorum, Monachorum, aut Monialium, alicubi determinatus non est, tot instituí, vel suscipi debent, quot ex Ecclesiæ reditibus commode sustentari possunt, habito respectu ad alia etiam Ecclesiæ onera, & impendia in fabricam, hospitalitatem, eleemosynas, sicut habetur in cap. Cum Monast. de constit. & cap. 1. de instit. ubi Abbas admonet, Capitula, Rectores, & Abbates a Superiori suo compelli posse ad tantum numerum suscipiendum. Verum ultra Ecclesiæ facultates cogi non debent, ut aliquem recipiant: quare contra superioris mandatum excipere possunt, ut habetur in cap. auctoritate eod. tit. & notat Abbas in cap. Ex parte, num. 4. de concess. præben. His adde, quod in Trident. sess. 25. c. 4. de regular. expresse præcipitur, ut in monasteriis, tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, qui ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode sustentari valeant.

Sciendum II. Quod, sicut notat Sanch. lib. 7. c. 23. Moral. prædictum decretum Trid. quod attinet ad monasteria virorum, non continuo usu esse receptum; cum passim videamus, non sine notabili observantiæ regularis detrimento, & religiosorum gravissimo incommodo, & scandalo, plures in monasteria recipi, quam commode sustentari valeant. In monasteriis autem sanctimonialium, de quibus singulariter decretum est in cap. un. §. sane, de statu regular. in 6. & a Pio V. in bulla, quæ incipit: Pastoralis officii; ne plures recipiantur, quam ali possint; satisfieri huic præcepto, quandoquidem absque dote recipi non solent, ideoque earum receptione monasterium non gravatur, sed plerumque sublevatur: In quo tamen alius gravissimus abusus irrepsit contra sacrorum canonum decreta, ut in monasteriis, etiam prædivitibus, mulieres absque dote non recipiantur, & reditus monasteriorum in omnes alios usus, præter eos, ob quos deputati, & relicti sunt a benefactoribus, & principibus, adhibeantur, cum maximo detrimento observantiæ regularis, & cultus divini.

Sciendum III. Quod, si numerus Canonicorum statuto determinatus est, non debet is ob modicum redituum augmentum augeri, sicuti ex communi docent Gloss. & Abb. in cit. cap. 1. sed reditus accrescunt mensæ capitulari, si bona communiter possidentur, in fine anni inter canonicos dividendi: vel accrescunt propriis beneficiatis, si præbendæ, sive reditus beneficiorum distincti sunt. Si vero Ecclesiæ reditus multum augeantur, tunc etiam numerus augeri debet, tametsi a Papa confirmandus sit: quandoquidem talis confirmatio facta censetur in favorem capituli, seu canonicorum, cui ipsi renunciare possunt, sicuti docet Gloss. cap. dilecto de præben. arg. cap. cum M. de constit. ubi notat Abb. n. 6. in tali casu antiquis præbendis in sua integritate remanentibus, ex novis reditibus novas præbendas instituendas esse.

Sciendum IV. Quod sic etiam vice versa, si reditus Ecclesiæ nimis decrescant, & non sufficiant tanto Canonicorum, vel Monachorum numero sustentando, imminui poterit, non obstante confirmatione Papæ: cum confirmatio Papæ intelligatur, si res in eodem statu permaneant. Quandoquidem in Ecclesiæ dedecus tendit, si Canonici, aliive Clerici honeste se ex reditibus alere non possint, sicut docet Abb. in cap. cum M. num. 1. & in cap. Cum accessissent, num. 4. de constit. Cæsar Lambertin. de jure patronat. quæst. 6. principali, ar. 7. ubi notant, si Ecclesia, vel beneficia patronata sint, patroni etiam consensum adhibendum esse, præsertim in diminutione, vel suppressione alicujus beneficii: si tamen patronus consentire nolit, ipso etiam invito, Episcopum disponere posse, quatenus Ecclesiæ necessitas, vel magna utilitas postulat: quia patronus Ecclesiæ utilitatem impedire non debet.

Scien-

Sciendum v. Quod, ſi reditus unius præbendæ abundantiores ſint, poteſt Epiſcopus cum Capitulo inde ſubtrahere ad ſupplendum defectum alterius præbendæ, vel redituum fabricæ, arg. cap. Expoſuiſti, de præben. ubi id notat Abbas, & in cap. Cum M. n. 28. rationem dans: quia Canonici non poſſident præbendas jure proprio, ſed jure Eccleſiæ. Convenit tamen, ut hæc ſubtractio fiat vacante beneficio: tunc enim etiam alia onera honeſta, & ſacris canonibus non repugnantia vacanti præbendæ imponi poſſunt, ad quæ beneficiati in poſterum teneantur, uti colligunt Doctores ex cap. Significatum, de præb.

Sciendum vi. Ex cap. ex parte, de conceſſ. præbendæ, & cap. dilecto de præben. plurimum referre, utrum numerus Canonicorum, in iis Eccleſiis, in quibus præbendæ diſtinctæ non ſunt, ſed reditus omnes ad communem menſam deferuntur, ſtatuto aliquo determinatus ſit, necne. Quia, ſi numerus Canonicorum determinatus non eſt, non vacat Canonicatus alicujus morte: neque devolutio fit ad Superiorem, ob negligentiam inſtituendi intra tempus ſemeſtre. Nec refert, etſi longo tempore conſuetudo fuerit tot Canonicos, tot Monachos ſuſcipiendi: quia conſuetudo conſiſtens in actibus meræ ſacultatis, ſive liberæ voluntatis, non inducit legem. Interim Superior, puta Epiſcopus, a Papa poteſtatem habet compellendi inferiorem Prælatum, & Capitulum, ut novos ſuſcipiant, ſecundum redituum facultatem.

Sciendum vii. Quod, ſi numerus Canonicorum ſtatuto determinatus eſt, tunc vacat Canonicatus morte beneficiati. Quod, ſi vero Capitulum ſupra decretum numerum, aliquem de novo creet, diſtinguendum eſt; utrum id faciant diſpenſative ex gratia ſpeciali, ut pro ea vice ſit ſupernumerarius, vel ſi recipiant aliquem in Canonicum ſine præbenda, ut videre eſt apud Abbat. cap. Dilectus, 1. de præbend. his caſibus ſibi non præjudicant. An vero abſolute aliquem Canonicum ſupra numerum recipiant; tunc enim cenſentur renunciare ſtatuto, ſaltem ad hoc, ut illud allegare non poſſint in præjudicium alterius, ut ait Abb. cap. pro illorum n. 5. de præben. & colligitur ex cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut.

CAPUT XIII.

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

Deinde conſiderandum eſt de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum. Circa quod

Sciendum i. Quod bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, quæ immobilia ſunt, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, alienari prohibentur, præterquamob juſtam cauſam, & interveniente certa ſolemnitate. Ita habetur in cap. Nulli, de reb. Eccl. alien. cap. hoc jus porrectum, 10. q. 2. & Extrav. Ambitioſæ, eod. tit. poſt l. jubemus 2. C. de ſacroſanctis Eccleſ. & Authen. de non alien. coll. 2. Quamvis autem in religionibus plura olim darentur privilegia, ut bona Monaſteriorum abſque ſolemnitate juris poſſent alienari: tamen poſt decretum S. Congr. juſſu Urban. VIII. editum anno 1624. in quo innovatur Extrav. Ambitioſæ, cum pœnis in ipſa latis, & aliæ graviſſimæ adduntur, omnia revocantur, ut videre eſt apud Lez. Bonac. Pelliz. & in lib. noſtrorum privilegiorum, verb. Alienatio. Ubi ergo dictum decretum eſt uſu receptum, omnes graviter obligat. Ad cujus evidentiam

Sciendum ii. Quod bona immobilia cenſentur fundus, prædia, domus, vineæ, oliveta, & hujuſmodi, quæ fixam habent radicem: cenſus etiam, quibus annui reditus correſpondent, & jus ad illos, Cathedra, Commenda, beneficium Eccleſiaſticum, debita rerum immobilium, jus patronatus, uſusfructus longi temporis, & jus ad hæc, quando ſunt magni valoris, ſcilicet, quando excedunt valorem vigintiquinque aureorum, ut declaravit S. Congreg. teſte Dian. & Lez. & eruitur ex conſtitutionibus ſupra citatis. Mobilia vero pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ſunt vaſa aurea, argentea, gemmæ, paramenta, quæ ſunt valoris pluſquam 25. aureorum, quoties ſervari poſſunt, & longe ſunt a conſumptione: Item grex ovium, caprarum, & hujuſmodi, ex quo Eccleſia reditus annuos accipere conſuevit: Item bibliotheca, ſylvæ, & alia hujuſmodi. Quæ autem ſervando ſervari non poſſunt, ſunt

sunt ferme ea, quæ usu absumuntur, vel brevi tempore inveterascunt, ut fructus, pecudes, pleræque vestes, item pecunia usui quotidiano deserviens. Qua de re Sylv. ver. Alienatio qu. 7. Bonac. Pal. Denique jura, & actiones eodem discrimine censentur, quo res ipsæ, ad quas tendunt, sicut tradunt Sylv. q.9. & Laym. l.3. t. 4. p.3. cap. 10.

Sciendum III. Quod nomen alienationis, si stricte, & proprie sumatur, etsi nonnisi venditionem, permutationem, donationem, & similes contractus comprehendat, quibus directum rei traditæ dominium transfertur, juxta l. 1. C. de fundo dotali: & l. alienatum, ff. de ver. signif. tamen in materia hac Ecclesiæ, & privilegiatis personis favorabili, accipi debet late, ut comprehendat etiam feudum, emphyteusim, & locationem in longum tempus, quibus vel usufructus, seu dominium utile transfertur, juxta extrav. Ambitiosæ inter communes, de reb. Eccl. non alien. & multo magis contractum censualem, per quem dominium, seu directum, seu utile in alterum transfertur, constituta pensione annua: sed & perpetui, & vitalitii census, quibus annui Ecclesiæ reditus, vel pars aliqua eorum constituto pretio venditur, alienationis prohibitæ nomine comprehendi censentur: quia jura, & reditus annui inter bona immobilia numerantur, ut dictum est, quorum alienatio Ecclesiis, ac natu minoribus prohibita est, sicuti docet Redoanus, de reb. Eccl. non alien. rubr. 13. & 16. Præterea nomine alienationis comprehenditur in materia ista quævis constitutio pignoris, aut hypothecæ specialis, non item generalis, ut colligitur ex cit. cap. Nulli, ubi id docet Abb. n.3. quia per generalem hypothecam non tantum juris in rem, cum periculo eam alienandi, transfertur, quam per specialem. Prohibito enim aliquo actu, censetur prohibitum omne illud, per quod pervenitur ad actum, juxta rubricam Saliceti in lib. ult. C. de rebus alienis non alien.

Sciendum IV. Quod causæ justæ, ob quas rerum Ecclesiasticarum alienatio fieri possit, quatuor enumerantur in Glos. summaria causæ, 12.q.1. quam sequitur Abb. in cit. cap. Nulli n.6. Sylv. Covar. Navar. & alii communiter. Prima est necessitas; puta, si debita urgeant, quibus alia ratione satisfieri non possit: si Ecclesia, vel Monasterium indigeat reparatione. Secunda est major utilitas Ecclesiæ, puta, ut res alia utilior comparetur: quæ duæ causæ adferuntur in Authen. Hoc jus, de Sacrosan. Eccles. Tertia est pietas, puta, pro redemptione innocentium captivorum, vel alia gravi pauperum necessitate sublevanda: ob quam causam etiam vasa sacra frangere, & pretium erogare quandoque concessum est, exemplo S. Ambrosii sub Maximo tyranno, quod factum laudavit S. August. apud Possidonium in vita ejus c.24. Unde cap. Aurum, & cap. Sanctorum, 12. q.2. Nam, ut dicitur in l. Sancimus, C. de sacris Eccles. absurdum non est, ut animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis præferri. Quarta demum causa est Incommoditas, puta, si res alienanda plus incommoditatis, quam commoditatis Ecclesiæ afferat, v. g. quia multum distat, arg. c. Terrulas 12. q. 2.

Sciendum V. Quod, posita una, vel altera ex dictis causis, solemnitas ad alienationem requisita in his consistit conditionibus. Prima est, ut præcedat tractatus cum Capitulo, quatenus discutiatur, an expediat rem alienari, necne, juxta cap. Sine distinctione 12. q.2. & cap.1. de reb. Eccles. non alien. in 6. Secunda est, ut accedat etiam consensus Capituli, juxta cap.1. cap. tua, & totum tit. de his, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli. Cæterum, etsi Capitulum ante alienationem non consentiat, vel etiam contradicat, potest tamen eandem postea ratam habere, & alterum contrahentem ad contractus observationem compellere: quare favore Ecclesiæ contractus interim claudicat, ut inquit Abb. in cit. cap.1. & colligitur ex cap. cum nos, cit. tit. Tertia est, ut interveniat authoritas Prælati, idest, consensus ejus, qui ex munere publico Ecclesiæ præest, puta Episcopi, Abbates exempti, Generales Ordinis, ut docent communiter Doctores. Sufficit autem consensus tacitus, qui specialiter præsumitur adfuisse ex diuturnitate temporis, præsertim immemorialis, ut notat Ancharan. consil. 139. Quarta, requiritur subscriptio Capitularium, juxta cap. tua cit. usu tamen

men sufficit, si subscriptio manu notarii fiat, teste Abb. in cit. cap. 1. Quinta, denique requiritur consensus Papæ, & Sacræ Congreg. consultatio, teste Barbos. Pal. Quod, si rei Ecclesiasticæ alienatio contra juris terminos facta sit, ipso facto irrita censetur, juxta cap. Si quis, & Extrav. Ambitiosæ.

Sciendum VI. Quod alienantes res Ecclesiæ absque dicta solemnitate, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, & privationem officii, & beneficii, & administrationis bonorum, quæ intendunt alienare. Si vero Episcopi, vel Abbates fuerint jurisdictionem Episcopalem habentes, incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiæ, &, si per sex menses in tali interdicto perseveraverint, incurrunt suspensionem a præsidentia, quam habent in spiritualibus, & temporalibus: sicuti habetur ex cit. Extrav. Ambitiosæ. Notandum tamen est, quod Prælati sine dicta solemnitate alienare possunt, primo res Ecclesiæ modicas, & parum utiles, tametsi immobiles sint, arg. cap. terrulas 12. quæst. 2. Secundo, licet Prælatus absque consensu Capituli, aliisque solemnitatibus, Ecclesiæ obesse, ac præjudicare non possit in bonis, ac juribus acquisitis, ut dictum est: nihilominus solus Prælatus obesse, & præjudicare potest Ecclesiæ in bonis, ac juribus acquirendis, iisque valide renunciare, sicuti notat Gloss. recepta in cap. ult. 16. quæst. 6. Tertio potest Prælatus sine Capituli consensu obesse in judicialibus, sinendo adversus Ecclesiam fieri sententiam: item in usucapionibus, sinendo res Ecclesiæ ab altero diuturnitate temporis usucapi. Quantumvis in utroque casu apparentis læsionis, restitutio in integrum intra quadrigenninm concedatur, sicuti docet Abb. in c. 1. n. 9. de præscript. Qua de re vide Salmant. tract. 15. c. 7. qu. 2.

CAPUT XIV.

De Clericis negotiatoribus. S. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 4. ad 3.

Deinde considerandum est de negotiatione Clericis prohibita a Sacris Canonibus. Circa quod

Sciendum I. Quod Clerici, non solum debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala: sed etiam ab his, quæ habent speciem mali. Quod quidem in negotiatione contingit, tum propter hoc, quod est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia, quia *difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum;* ut dicitur Eccles. 26. Est & alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis, & per consequens a spiritualibus retrahit. Unde & Apostol. dicit 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Quapropter Hieron. in Epist. ad Nepotianum, dicit: *Negotiatorem Clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge*. Hinc Ecclesia eisdem jam constitutis in sacris prohibet negotiationem sub censuris, aliisque pœnis sententiæ ferendæ, ut habetur in cap. Ex litteris de vita, & honest. Clericor. & in can. consequens dist. 88. Sed, quia non omnis negotiationis species Clericis prohibita est, aut illicita; sed potius aliqua juxta morem Apostolorum exercenda, contulatur in can. nunquam, de consecrat. dist. 5. ideo,

Sciendum II. Ex D. Thom. cit. Quod duplex est negotiatio, seu commutatio. Una quidem quasi naturalis, & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum propter necessitatem vitæ: & talis commutatio non proprie pertinet ad negotiatores, sed magis ad economicos, vel politicos, qui habent providere vel domui, vel civitati de rebus necessariis ad vitam, & hac specie commutationis licet Clericis uti. Alia vero commutationis species est, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrum quærendum: & hæc quidem negotiatio proprie videtur ad negotiatores pertinere secundum Philos. 1. Politic. cap. 6. Et juste Clericis prohibita est propter rationes supradictas, quia quantum est de se deservit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit: & ideo secundum se quandam turpitudinem habet; in quantum non importat de sui ratione finem honestum, & necessarium.

Sciendum III. Quod licet negotiatio proprie dicta secundum se considerata quandam turpitudinem habeat, quia non importat de se finem honestum, aut necessarium: lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet, lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum: & sic negotiatio licita redditur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad suæ domus sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus, vel etiam, cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris. Unde August. dicit super illud Psalm. 70. Quoniam non cognovi litteraturam: *Negotiator avidus acquirendi pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur, & pejerat: sed hæc vitia hominis sunt, non artis, quæ sine his vitiis agi potest*. Quare in aliquo casu necessitatis poterit etiam a Clerico licite exerceri. Ad cujus evidentiam

Sciendum IV. Quod, si Clericus lucrum moderatum ex negotiatione quærat, ut suæ domus necessitati subveniat, quam aliter subvenire non potest, non peccat nec contra honestatem, sicut non peccaret quilibet sæcularis: nec contra præceptum Ecclesiæ ratione sui status: quia necessitas ab omni lege exempta est. Si vero necessitati aliter subvenire potest, peccat contra decentiam sui status, & præceptum Ecclesiæ, quoties per se negotiationem exercet, maxime si sit in re indecenti, vel turpi: non tamen peccatum mortale committit, nisi frequenter hoc faciat, vel adsit scandalum, vel negotiationem exerceat in re nimis turpi, quæ statui Ecclesiastico notam infamiæ inferat, vel in lucro finem constituat, vel post monitionem canonicam, qua ad censuras ferendas proceditur, contumax in negotiatione perseveret. Ita Salmant. Sylv. Tap. Villal. aliique contra Cajet. & Rodr. qui dicunt, quod non peccat mortaliter etiam si frequenter id faciat, præciso tamen scandalo, contumacia, & aliis præscindendis. Qua de re vide Salmant. tractat. 14. cap. 2. quæst. 4. & nostrum Piselli part. 1. tract. 16. c. 5.

Sciendum V. Quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negotiatur: sed solum qui ad hoc emit, ut carius vendat. Unde Cassiodorus dicit in Psalm. 70. *Quid est aliud negotiatio, nisi vilius comparare, & carius velle distrahere?* id est ea voluntate, ut carius distrahat. Si autem emit rem, non ut vendat, sed ut teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat. Potest enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia pretium rei est mutatum secundum diversitatem loci, vel temporis: vel propter periculum, cui se exponit, transferendo rem de loco in locum, vel eam fieri faciendo, & secundum hoc venditio non est injusta, nec Clericis prohibita.

Sciendum VI. Quod, sicut dicitur in Decret. dist. 88. c. decrevit, quod est 2. in ordine. *Decrevit sancta Synodus, nullum deinceps Clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere, nisi propter curam pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum, aut si forte Episcopus civitatis Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eum habere præcipiat*. Eadem autem ratio est de religiosis, ac Clericis, quia utrisque similiter negotia sæcularia interdicuntur, quia, ut dictum est ex Apost. 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Unde dicendum est, quod causa cupiditatis, seu lucri captandi, sæcularia negotia gerere, nec Clericis licet, nec Monachis. Causa vero charitatis se negotiis sæcularibus cum debita moderatione ingerere possunt secundum superioris licentiam in ministrando, & dirigendo, taliter tamen, ut non se implicent. Qua de re S. Thom. 2. 2. qu. 187. art. 2. juxta dicta in tract. de statu religionis.

CA-

CAPUT XV.

Utrum Clericis liceat pugnare, malefactores occidere, aut arma deferre. 2. 2. quæst. 40. art. 2.

Nicolaus Papa dicit in Decret. dist. 50. cap. Clericum. *Cum discreti sint milites sæculi a militibus Ecclesiæ, non convenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire.* Unde Petro in persona Episcoporum, & Clericorum dicitur Matth. 26. *Converte gladium tuum in vaginam.* Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod ad bonum societatis humanæ plura sunt necessaria. Diversa autem a diversis melius, & expeditius aguntur, quam ab uno, ut patet per Philos. in I. Polit. cap. I. & quædam negotia sunt adeo sibi repugnantia, ut convenienter simul exerceri non possint: & ideo illis, qui majoribus deputantur, prohibentur minora. Sicut secundum leges humanas militibus, qui deputantur ad exercitia bellica, negotiationes interdicuntur. Bellica autem exercitia maxime repugnant illis officiis, quibus Episcopi, & Clerici deputantur, propter duo. Primo quidem generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines habent: unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum. Secundo propter specialem rationem. Nam omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub Sacramento repræsentatur passio Christi: & ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere, quod gerunt ministerio. Et propter hoc est institutum, ut effundentes sanguinem etiam sine peccato, sint irregulares. Nulli autem, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo officio incongruus redditur. Unde Clericis non licet omnino bella gerere, aut alia officia exercere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem, etiam si justam.

Sciendum II. Quod Clerici ex auctoritate superioris possunt interesse bellis, non quidem ut ipsi propria manu pugnent, sed ut juste pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus, & absolutionibus, & aliis hujusmodi spiritualibus subventionibus, sicut & in veteri lege mandabatur Josue 6. quod Sacerdotes sacris bucinis in bellis clangerent. Et ad hoc primo fuit concessum, quod Episcopi, vel Clerici ad bella procederent: quod autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est, & contra præscriptum sacrorum canonum. Unde in Concilio Toletano quarto dicitur can. 44. *Clerici, qui in quacumque factione arma volentes sumpserunt, amisso ordinis sui gradu, in monasterio pœnitentiæ tradantur.* Et in Concil. Illerden. dicitur can. I. *Clerici in obsidionis necessitate positi a sanguine humano, etiam hostili, se abstineant.* Prælati enim, & Clerici debent resistere non solum lupis, qui spiritualiter interficiunt gregem, sed etiam raptoribus, & tyrannis, qui corporaliter vexant, non autem materialibus armis in propria persona utendo, sed spiritualibus, secundum illud Apost. 2. ad Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo;* quæ quidem sunt salubres admonitiones, devotæ orationes, & contra pertinaces excommunicationis sententia.

Sciendum III. Quod omnis potentia, ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem. Bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda, sicut ad finem, ad bonum spirituale divinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet disponere, & inducere alios ad bellandum bella justa: unde dicitur 23. qu. 8. c. Hortatu, quod hortatu, & precibus Adriani Romanæ urbis Episcopi, Carolus bellum contra Longobardos suscepit. Non enim interdicitur Clericis bellare, quia peccatum sit: sed quia tale exercitium eorum personæ non convenit. Unde inferunt Cajet. & alii communiter, quod in casu urgentis necessitatis, in quo ob defensionem fidei, vel patriæ opus esset ope Clericorum, non solum licitum esset eis propria manu pugnare, sed ad hoc obligarentur lege strictissima charitatis. Si enim hoc licet ob defensionem propriæ vitæ in casu urgentis necessitatis, quanto magis licitum, & debitum

bitum erit ad tuendum bonum publicum, sive spirituale, sive temporale? Nec refert, quod Clerici in tali casu reddantur inepti ad proprium officium ob irregularitatem, quam incurrunt: quia hæc incurritur sine peccato: & quælibet jactura boni particularis, dummodo absque peccato, sustineri debet pro bono communi.

Sciendum IV. Quod, si Clerici constituti in sacris, vel beneficiati, nulla urgente necessitate arma deferunt, ubi alii Clerici non sunt soliti deferre, vel, si solent deferre, hoc faciunt contradicente Episcopo, vel Superiore, peccant contra prohibitionem Ecclesiæ, & honestatem sui status, ut patet ex Clement. 1. de vita, & honest. Cleric. cap. Sententiam tit. ne Clerici, vel Monachi, & can. Quicumque 23. quæst. 8. Secluso tamen aliorum scandalo, & contumacia post monitionem canonicam, non videtur tam gravis indecentia, ut peccati mortalis damnari possint, maxime si non deferant arma prohibita, & absit periculum damni alicujus. Quod, si adsit consuetudo jam introducta, vidente, & tolerante Superiore, ut Clerici passim deferant arma, nullum erit peccatum illa deferre, secluso tamen scandalo, & periculo damni. Consuetudo enim legitime jam introducta vim habet abrogandi legem humanam, non autem legem naturalem honestatis, & decentiæ proprii status, contra quam nulla consuetudo prævalere potest, quæ potius corruptela dicenda est, quæ toleratur a Superioribus, illam extirpare non valentibus.



TRACTATUS UNDECIMUS.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Consequenter considerandum est de beneficiis Ecclesiasticis, quæ statum Clericorum, eorumque officia concernunt. Circa quod primo considerandum est, de beneficiorum origine, & quidditate. Secundo de illorum distinctione, & multiplicitate. Tertio de eorumdem fundatione, & collatione. Quarto de qualitatibus ad illa requisitis. Quinto de eorumdem vacatione. Sexto demum de pensionibus. Unde sit

CAPUT PRIMUM.

De notione, & quidditate beneficii Ecclesiastici.

Beneficium dici solet omnis gratuita concessio, sive gratia principis, sicut colligitur ex l. 3. ff. de constit. princip. & reg. 16. in 6. Ea propter etiam Ecclesiastica præbenda nomen beneficii sortita est: quia licet ab Ecclesiæ Prælatis ex officio conferenda sit, nemini tamen in particulari stricto justitiæ jure debetur: sed est gratuita concessio, sive gratia. Definiri itaque potest beneficium Ecclesiasticum *Jus perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis officii, Ecclesiastica auctoritate constitutum.* Cujus definitionis bonitas ex dicendis manifeste apparebit. Unde

Sciendum I. Cum Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 24. Quod in beneficio Ecclesiastico duo jura considerari possunt. Primum est jus officii, sive potestas exercendi muneris spiritualis, quatenus id ministro Ecclesiæ competit; & hoc jus simpliciter, ac per se spirituale est. Alterum est jus ad percipiendum reditus Ecclesiasticos; & hoc jus secundum se precise spectatum temporale est: respective tamen, seu ut annexum spirituali officio, per accidens spiritualitatem quandam participat, sicuti constat ex cap. Dilecto, de præben. & infra explicabitur in tractatu de simonia. Beneficium igitur Ecclesiasticum est jus secundo modo acceptum: & ideo in definitione appellatur Jus percipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis officii. Beneficium enim distinguitur ab officio spirituali, & ratione ejus conceditur.

Sciendum II. Quod dicta duo jura a se mutuo separari possunt, ut aliquis habeat jus spirituale, puta Canonicatum alicujus Ecclesiæ, & nullos præbendæ reditus accipiat. Non enim præbenda Canonicum facit, ait Abbas in cap. Cum super nu. 2. de concess. præben. sed collatio juris spiritualis facta ab eo, qui habet potestatem, & in

& in cap. relatum n. 2. de præben. ait, quod ex solo jure canoniæ aliquis accipere possit jus suffragii in capitulo: quamvis talis canoniam sine reditibus consecutus nondum proprie dicitur habere beneficium, uti notat ibidem Abb. in cap. ut nostra n. 1. de rescript. Contra fieri sæpe solet, ut reditus Ecclesiastici alicui, seu Clerico, seu laico per modum pensionis assignentur, non ob spirituale munus, sive Ecclesiasticum officium, sed ob aliam causam, puta litterarum studia, ad bellum contra infideles, in remunerationem meritorum, propter officium cantandi, organa pulsandi. Qua de re iterum dicam cap. ult. hujus tract.

Sciendum III. Quod de ratione beneficii est quod sit perpetuum: & ideo dicitur in definitione Jus perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ: quod duobus modis explicari potest. Primo, quod beneficium legitime collatum auferri non potest, nisi gravi causa id postulante, ut docet Less. l. 2. c. 34. dub. 2. num. 3. Verum, si ita accipiatur definitio, non comprehendit beneficia manualia, quæ tamen vere beneficia sunt, ut infra dicam. Secundo explicari potest, quod beneficium dicatur perpetuum, saltem secundum aptitudinem, quomodo omnia beneficia principis perpetua esse dicuntur, quia durant donec conferuntur, seu revocentur. Qua de re vide Petrum Ruffum in praxi benefic. n. 4. post proœmium. Unde a ratione beneficii excluditur commenda temporalis, quippe quæ non datur in titulum, neque tribuit jus, seu dominium beneficii, sed solum custodiam, & administrationem ad tempus, sicuti advertit Navar. lib. 3. Consil. 9. de præben. Multoque magis excluditur vicaria temporalis, & non collativa, de quibus plura dicam infra.

Sciendum IV. Quod bona immobilia, & alia dominia, & jura, ex quibus beneficiorum fructus, seu reditus percipiuntur, ad particulares quasque Ecclesias pertinent: sunt enim bona universitatis. E contra vero administratores, & curatores sunt Episcopi, aliique ordinarii Ecclesiarum tum sæcularium, tum regularium rectores, sicuti docet S. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 8. & habetur in cap. expedit. cap. Episcopus, & seqq. 12. qu. 1. Quare prædia, aliaque bona Ecclesiæ esse res Dei, & Christi, in sacris Canonibus legimus eadem causa 12. qu. 2. quia a fidelibus ad cultum Dei, & Christi donatæ, ac veluti fundatæ fuerunt eo pacto, ut non ad profanos usus, sed ad ministrorum Ecclesiæ, item pauperum sustentationem, captivorum redemptionem, Ecclesiæ fabricam, vel alium pium, & ad animæ salutem, Deique gloriam proxime cedentem usum, converti deberent, sicuti docet Urbanus Pontifex Epist. decret. un. Vide Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 142. Laym. lib. 4. tract. 2. c. 1. n. 2.

Sciendum V. Quod beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri, ut dicit reg. 1. juris in 6. Canonica autem institutio, sive collatio juris beneficialis dicitur, quæ ab Ecclesiæ Prælato fit secundum formam, & modum a sacris Canonibus præscriptum. Quare in definitione beneficii dicitur, quod debet esse Ecclesiastica auctoritate institutum. Per hoc igitur excluduntur a beneficii ratione Capellaniæ non collativæ, ut infra dicam. Porro nihil huic rei obstat, quod laici quoque reges, aliique principes quædam beneficia conferant, vel idoneum eligant, sicuti videre est apud Azor. lib. 6. cap. 25. quæst. 19. id enim faciunt non quasi jure ordinario, ac proprio: sed ex speciali privilegio, & quasi delegatione Papæ. Qua de re

Sciendum VI. Quod licet in aliis causis, si reus ante litem contestatam contumaciter absit, Actor in possessionem bonorum, vel jurium, de quibus contendit, mitti Judicis auctoritate soleat, juxta cap. tuæ, ut lite non contestata non procedatur: tamen in causa beneficiali, petitorem mittendum non esse in possessionem beneficii ob contumaciam adversarii; sed jus actoris examinandum, & juxta illud sententiam ferendam esse, si periculum in mora sit, ne alioquin, causa non examinata, sine titulo, sive institutione Canonica vitiosum ingressum ad beneficium reddat. Sicut respondet Innoc. IV. cap. un. de eo, qui mittitur in possessionem causa servandæ rei in 6.

CAPUT II.

De origine, & institutione beneficiorum Ecclesiasticorum.

DEinde considerandum est de origine, & institutione beneficiorum Ecclesiasticorum. Circa quod

Sciendum I. Quod constat ex Actis Apostolorum cap. 4. & 5. in primitiva Ecclesia Christi discipulos vendere solitos prædia sua, eorumque pretia Apostolis, tamquam Ecclesiæ prælatis afferre, ut exinde Diaconorum manibus singulis distribuerentur, prout cuique opus erat. Postea vero magis expedire visum est, ut ipsamet prædia, sive immobilia bona, Ecclesiæ donarentur, & conservarentur; ex quorum annuis reditibus ministrorum sustentationi perpetuo provisum esset, sicuti videre est in Epist. 2. Decret. Pii I. & in Epist. un. Urban. & in cap. futurum, & seq. causa, 12. qu. 1. Quemadmodum etiam in veteri lege Sacerdotes non tantum fructuum decimas, sed etiam earum partem civitatum, ac prædiorum in singulis tribubus ex Dei mandato possederant, sicuti legitur Numer. 35.

Sciendum II. Quod longo tempore Clerici nihil proprium possidentes plerisque in locis ex communibus Ecclesiarum reditibus alebantur: quamobrem Canonici, id est regulares, dicti sunt: quia in communi viventes ad certam vivendi normam, ac regulam adstringebantur. Eorumque sacræ ædes, sicut Collegia Clericorum ædificatæ, præfixo ipsis titulo, v. g. Sancti Stephani, Sanctæ Crucis: sicut colligitur ex epist. 3. Pii I. aliisque testimoniis, quæ congerit Gratianus causa 12. qu. 1. Neque ullus in Clericorum numerum, ac ordinem admittebatur, nisi sub titulo alicujus sacræ domus sustentationem haberet, ut constat ex cap. Sanctorum, dist. 70. Quod etiam hodie observatur, ut nemo ad majores ordines sine sustentationis titulo admittatur, alioquin ei Episcopus de suo interim providere debebit, donec aliquem beneficii titulum consequatur, sicuti decrevit Alexan. III. in Concilio Lateranen. cap. Cum secundum, de præben.

Sciendum III. Quod pluribus tamen in locis (sicuti & nunc permittitur) olim permissum fuit, ut Clerici extra communitatem viverent, atque propria, seu patrimonialia bona possiderent: sicuti videre est in cap. certe, sumpto ex D. August. serm. 2. de communi Clericorum vita, & seqq. cc. causa, 12. qu. 1. Qua de causa, si Clerici ex patrimonialibus bonis sufficientem sustentationem habeant, etiam sine ullo beneficii titulo sacris Ordinibus initiari possunt, juxta cap. tuæ, de præben. & dignitatib.

Sciendum IV. Quod, cessante olim communi Clericorum vita, & cohabitatione, reditus, sive proventus Ecclesiastici in quatuor partes dividi cœperunt: quarum una pro mensa, sive sustentatione Episcopi relicta erat, altera ad Ecclesiæ fabricam deputata, tertia eleemosynis in pauperes, ac peregrinos destinata, quarta mensæ capitulari relicta, ut inter Clericos, sive Canonicos pro singulorum meritis dispensaretur: cujus quadripartitæ divisionis mentio fit in Concilio Romano, 2. sub Sylvestro I. can. 5. in epist. 3. Simplicii Papæ, quæ refertur in cap. de reditib. 12. qu. 2. & in epist. Gelasii ad Episcopos per Lucaniam, quæ refertur in cap. quatuor, qu. ead. Item in Epist. Gregor. I. ad August. respon. ad 1. & 2. & lib. 3. epist. 11. ad Gregorium Maximianum Episc. & refertur in cap. Cognovimus, 12. qu. 2.

Sciendum V. Quod hæc itaque est origo, & institutio Ecclesiasticorum beneficiorum. Jus, inquam, tributum Episcopis, aliisque Clericis propter officium, & obligationem suam percipiendi certam portionem redituum ex Ecclesiæ prædiis, aliisque rebus. Qua in re, certum est ipsorum prædiorum, seu immobilium bonorum proprietatem, ac dominium ad beneficiatos non transire, sed penes Ecclesiam remanere. Dubium autem est de fructibus, sive reditibus beneficiorum, utrum beneficiati de illis, tamquam veri domini, sine cujuscumque injuria disponere possint: de quo in cap. seq. tractandum est. Unde fit,

CA-

CAPUT III.

Utrum beneficiati sint veri, & absoluti domini Ecclesiasticorum redituum.

Circa hoc dubium recolenda sunt ea, quæ dicta sunt in tractatu de statu Episcoporum, cap. 9. quibus præsuppositis,

Sciendum I. Quod bona Clericorum, seu beneficiatorum sæcularium, triplicis generis sunt. Alia, quæ ex hæreditate, arte, donatione, aliove titulo temporali proveniunt, & uno verbo patrimonialia vocantur: & de his nemo dubitat Clericos arbitratu suo, tanquam veros, & absolutos dominos disponere posse. Alia sunt bona quasi patrimonialia, quæ a fidelibus offeruntur non Ecclesiæ, sed particulariter ipsis ministris, tanquam laboris, & vitæ stipendium, ob quotidianas Missas, sacramentorum ministrationem, funeralia, prædicationem verbi divini: atque ejusmodi bona patrimonialibus æquiparari, plenoque, & absoluto jure dominii ad Clericos pertinere, ex communi sententia docent Navar. & Major. Idque probatur. Nam Ecclesiastici ministri, cum ratione spiritualis officii, & laboris, stipendium sustentationis accipiunt, tanquam ex justitia sibi debitum illud accipiunt, *dignus est enim operarius mercede sua*, ut dicitur Luc. 10. Non enim debent esse deterioris conditionis, quam alii officiales reipublicæ: ergo sicut illi, dominium dati sibi stipendii pleno, & absoluto jure acquirunt. Et hæc etiam videtur esse mens fidelium, Clericis, sive curatis, sive non curatis, stipem, & oblationes, absolute donandi: neque ullum jus Ecclesiasticum reperitur, quo talis donatio infirmetur. Alia denique sunt Clericorum bona, quæ proprie dicuntur reditus, sive proventus Ecclesiastici, quia secundum originem suam ad Ecclesiam pertinent: sed ab Ecclesia postea Clericis peculiariter deputata sunt, tanquam beneficium, sive stipendium ob spirituale ab eis præstitum officium. Huc spectant annui reditus ex fundis Ecclesiasticis: item decimæ, cum & istæ sint pars ususfructus Ecclesiæ debita ad ministrorum sustentationem. Atque de his tantum bonis, sive reditibus quæstio est, utrum ad beneficiatos pleno dominii jure pertineant. Quapropter

Sciendum II. Ex communi Doctorum sententia cum S. Thom. 2. 2. qu. 185. a. 7. reditus Ecclesiasticos, quatenus prudentis viri arbitrio beneficiato necessarii sunt ad honestam, ac decentem vitæ sustentationem, pleno jure ad ipsum pertinere, non minus quam bona patrimonialia; adeo quidem, ut si ex victu, vestitu, aliisque impendiis aliquid propria parsimonia detrahat, de eo arbitratu suo disponere possit, dando, v. g. consanguineis, sicuti docent S. Thom. cit. Navar. & alii communiter. Adde, quod licet beneficiatus propria bona patrimonialia habeat, posse tamen, iis in quemcumque voluerit usum servatis, ex Ecclesiasticis reditibus competentem sibi sustentationem accipere, sicuti docent S. Tho. ibid. ad 3. Innoc. Gabr. & alii apud Laym. contra Alexandrum de Ales, & Adrian. Probatur autem ex Apost. 1. ad Cor. 9. *Quis unquam suis stipendiis militat? Et infra: Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de evangelio vivere*. Sed Clericus beneficiatus, licet patrimonium habeat, operarius tamen est, & Ecclesiæ servit, si officium suum præstet: ergo ex justitia debetur illi stipendium necessarium ad decentem vitæ sustentationem ex bonis Ecclesiæ. Vide Navar. & Sotum.

Sciendum III. Quod nomine stipendii necessarii ad honestam, & decentem sustentationem, comprehenditur in primis id, quod ad ipsum beneficiatum, ejusque familiam, quam convenienter suo statui habet, honeste alendam requiritur. Deinde ea, quæ ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, amicos, peregrinos: tum vero ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorum: imo interdum etiam liberales, non prodigas: denique ad alias honestas, & statui convenientes animi, ac corporis recreationes; quorum omnium quantitas æstimari debet cum ex personæ, & officii dignitate, tum ex redituum amplitudine, ac copia, sicuti ex communi docet Navar. Insuper æstimanda sunt etiam beneficiati merita, ac labores, quos Ecclesiæ utiliter præstat do-

ctrina, consilio, scriptione, sicuti monet Gloss. recepta in cap. conquerentes, ver. sufficientia, de Cleric. non resident. Nam ob hanc causam ejusmodi beneficiatus potest ad sustentationem suam ex reditibus Ecclesiasticis accipere plus, sumpto argum. ex verbis Apost. 1. ad Trimot. 3. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici bonore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina*, quod de munerum largitione interpretatur S. Hieron. in cap. 15. Matth. & ex cap. de multa, de præben. sicut notat Navar. His suppositis, restat, ut de superfluis beneficiorum reditibus duo dubia resolvamus. Primum est, utrum horum dominium ad beneficiatos pertineat. Alterum, utrum ex lege justitiæ eos in pium aliquem usum erogare debeant, adeoque ad restitutionem teneantur, si in prophanum usum insumpferunt. Quæ duæ quæstiones valde diversæ sunt, sicuti recte animadvertit Paludanus, in 4. dist. 24. q. 3. in fin. Nam potest acquiri dominium cum onere, quo non adimpleto, contra justitiam quis peccat, & ad restitutionem obligatur: sicuti patet in fideicommisso, legato, donato sub modo, & gravamine. Pro harum igitur quæst. resolutione,

Sciendum IV. Beneficiatos omnium etiam superfluorum redituum dominium comparare. Ita docent S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. & opusc. 6. a. 12. Palud. Adrian. Sot. Covar. Laym. In Concilio enim Lateran. sess. 9. §. statuimus: & in Trident. sess. 22. c. 2. decernitur, beneficiatos ob absentiam, vel intermissum officium canonicum, fructus beneficii suos non facere. Unde manifeste colligitur, si præsentes sint, & officium præstent, dominium illorum acquirere: nam alioquin constitutioni pœnali, seu privationi ob absentiam, & negligentiam locus non esset. Deinde Clerici, sicut & laici, capaces sunt dominio acquirendo præsupposita divisione, ex qua ortum habuit rerum proprietas. Cæterum, quamvis beneficiati domini sint omnium etiam superfluorum redituum, tamen peccant contra strictam obligationem charitatis, si eos in pios usus non convertant, ut docent communiter Doctores, tum quia semper in sua radice Deo obligati manent, sunt enim secundum canones res Dei, patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, id est, a fidelibus Deo oblatæ in manibus prælatorum Ecclesiæ, ut per hos ad pium aliquem usum, ad Dei honorem, & pro salute offerentium fideliter dispensentur: tum etiam, quia Concil. Trident. sess. 25. c. 1. Episcopis, Cardinalibus, & omnibus beneficia obtinentibus severe interdicit *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent*. Solum ergo dubium remanet, an etiam peccent contra justitiam, & ad restitutionem teneantur, si tales reditus in usus prophanos convertant. Circa quod

Sciendum V. Probabilius esse, quod beneficiati peccent contra justitiam, si reditus superfluos beneficii in usus prophanos convertant, & per consequens ad restitutionem tenentur: sunt enim a fidelibus Christianis relicta cum hoc onere, ut in pium aliquem usum convertantur. Unde S. Bernard. epist. 2. ad Canonicum Lugdun. dicit: *Quidquid præter necessarium victum, & vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. Hinc Clerici prohibentur testari de reditibus Ecclesiasticis etiam ad causas pias, sicuti videre est in cap. 1. cap. quia nos, cap. Cum in officiis: cap. relatum, 2. de testam. & in Auth. licentiam, C. de Episc. & Cleric. non aliam profecto ob causam, nisi quia reditus Ecclesiastici superflui debentur Ecclesiæ, unde profecti sunt. Quamvis autem Ecclesia potestatem tribuat beneficiatis, ut reditus Ecclesiasticos in pias causas convertant dum in vivis sunt; non autem disponendi de iis in tempus post mortem suam: & hoc merito decernitur, ut beneficiati promptiores sint ad bona, quæ ipsis supersunt, in pias causas erogandi, scientes nullam sibi facultatem superesse de iis post mortem suam disponendi. Nullus autem prohibetur testari de bonis, quæ jure absoluto, & sine ullo annexo onere ad ipsum spectant, l. 1. C. de SS. Ecclesiis. Hanc sententiam defendunt Cajet. Adrian. Navar. Covar. Vasq. Laym. aliique contra Sanch. Lug. Molin. Salmant. Qua de re vide Laym. lib. 4. tr. 2. c. 3.

CA-

CAPUT IV.

De distinctione beneficiorum Ecclesiasticorum.

DEinde considerandum est de distinctione beneficiorum Ecclesiasticorum. Circa quod

Sciendum I. Quod Beneficium primo dividitur in sæculare, quod Clericis sæcularibus competit; & regulare, quod regularibus addictum, & debitum est. Nam beneficium regulare conferri non potest Clerico sæculari, neque vice versa beneficium sæculare Clerico regulari: sicut colligitur ex cap. Cum de beneficio, de præben. in 6. cap. super eo de regular. Excipe primo, si Canonicus regularis, vel monachus Ordinis non mendicantis eligatur ad Episcopatum, vel aliam prælaturam sæcularem, sicut colligitur ex cap. Nullus religiosus de elect. cap. Quod Dei timorem, de statu monach. ubi id Abbas explicat numer. 3. Excipe secundo, quod regularis ob justam causam, cum consensu prælati, si ille exemptus est, fieri possit Vicarius Episcopi, juxta Gloss. receptam cap. cum pastoris, 2. qu. 7. habitu tamen retento: quia solius Papæ est dare facultatem manendi extra monasterium sine habitu Ordinis, sicut docet Navar. ex cap. 2. ne Clerici, vel Monach. in 6. Excipe tertio, quod canonicis regularibus concessum est ab Innoc. III. in cit. cap. Quod Dei timorem, sæcularia beneficia curata obtinere. Sed jure novo derogatum est huic licentiæ: unde absque Papæ dispensatione id hodie fieri non potest, ut patet per concordata Concilii Lateran. cum Leone Papa; ut videre est apud Sanch. Garc. & S. Congr. declaravit. Excipe quarto, si Ecclesia, seu Conventus regularis deficiat, ita ut, consideratis loci, temporis, personarum circumstantiis, per regulares reformari non possit, tunc Episcopus, Clericos ibi sæculares instituere potest, juxta cap. inter quatuor, de religiosis domib. sicuti etiam Episcopus cum Capituli consensu Collegium Clericorum ad statum regularem conformare potest, modo Clericis sæcularibus, dum vixerint, vitæ necessaria ministrentur, juxta cap. ad audientiam, 2. de Eccles. ædific. Qua de re plura notat Laym. lib. 4. tr. 2. c. 4.

Sciendum II. Quod beneficium aliud est duplex, & aliud simplex. Beneficium duplex dicitur illud, quod aliquam eminentiam, jurisdictionem, vel administrationem habet. Inter quæ beneficia primum, ac præcipuum est Papæ, juxta cap. 1. de maledicis. Quare & ipse canonice eligi, atque institui debet. Reliqui etiam Episcopi beneficia habere dicuntur in cap. fœlicis, §. quod si quis, de præben. in 6. Quamquam Episcopatus, sicut & Papatus, communi appellatione beneficiorum, præsertim in pœnalibus, aliisque strictæ interpretationis canonibus comprehendi non solent, sicuti notavit Joan. de Sylva, p. 1. de benefic. q. 3. n. 25. cum sint culmina beneficiorum, ac dignitatum, sicuti dicitur in cap. pœnal. de præben. ordo Episcoporum, ait Isidor. relatus in c. 1. dist. 21. quadripartitus est. Sunt enim Patriarchæ, Primates, Metropolitani, seu Archiepiscopi, & Episcopi. Cardinales quoque S. Rom. Ecclesiæ in præcellenti Ecclesiasticæ dignitatis, & officii gradu constituti sunt, quippe consultores, coadjutores, & fratres Romani Pontificis, sicuti appellantur in cap. fundamenta, §. decet, de elect. in 6. de quorum origine, & antiquitate lege Anton. Marcel. p. 2. c. 13. & quæ hactenus dicta sunt, appellantur beneficia majora, seu sublimia.

Sciendum III. Quod alia dicuntur beneficia media, ut videre est apud Abb. cap. majoribus, de præben. & sunt reliquæ dignitates præter illas sublimes, item personatus, & officia, quæ omnia beneficia duplicia censentur. Dignitas est præeminentia, ferme cum jurisdictione fori exterioris juncta, teste Abb. & Innoc. in cap. de multa, de præben. cujusmodi beneficia obtinent Abbates, & alii Prælati tam regulares, quam sæculares: Item Archidiaconus, qui post Episcopum, veluti Vicarius ejus, in omnis diœcesis Clericos jurisdictionem obtinet, c. 1. de officiis Archidiaconi. Hodie vero in multis Ecclesiis Vicarius generalis appellatur, qui hanc potestatem exercet, quæ describitur in cit. cap. 1. cap. mandamus, & seqq. eod. tit. Personatus est præeminentia in Ecclesia sine jurisdictione fori exterioris, v. gr. qui

aliis

aliis præpositus est in choro, in processione, in suffragiis: quamquam hæc vocabulorum differentia semper non observetur: sed interdum dignitas, & personatus pro eodem accipiuntur, sicuti videre est in c. Cum accessissent, de constit. Officium dicitur administratio sine jurisdictione fori exterioris: cujusmodi se habet Custos, Thesaurarius, Primicerius, Archipresbyter, qui omnes Archidiacono subjecti sunt: Archipresbyter vero, veluti Decanus, Presbyteris præfectus erat, tamen sine jurisdictione in foro externo: sicuti colligitur ex cap. ult. de officio Archipresb. & cap. un. de officio Primicer. Nihil tamen obstat, quin officium Archipresbyteri, seu Decani, si in Ecclesia jurisdictionem, vel præeminentiam habeat, inter dignitates, & personatus etiam numeretur. Parochus quoque, sive Plebanus, officium, & beneficium duplex, quasi duplici cura, & onere constrictum, habere censetur. Denique simplex beneficium dicitur, quod neque specialem præeminentiam, neque jurisdictionem, neque administrationem habet, v. g. Canonicatus, Capellania, sive Altare auctoritate Episcopi constitutum.

Sciendum IV. Quod beneficium tertio dividitur in simpliciter titulare, quod videlicet in titulum perpetuum confertur: & in beneficium manuale, quod in titulum quidem confertur, sed revocabiliter: quia ad nutum Prælati, vel patroni, beneficiato auferri potest. Talia beneficia manualia sunt omnia ferme regularia, quæ nec curata, nec electiva sunt, ut Prioratus, officium Custodis, Sacristæ, sive Thesaurarii, sicuti notavit Marsil. p. 2. de reditib. Eccles. c. 15. n. 16. Loquor autem de priori, qui sub Abbatis obedientia constitutus est, ideoque ab eodem ad nutum removeri potest, juxta cap. Cum ad Monasterium, §. sed alicui, de statu Monachor. Beneficia autem sæcularia licet ordinarie in titulum perpetuum conferri soleant, ideoque sine gravi causa revocari non possint, sicut constat ex cap. præcepta, dist. 55. cap. Satis perversum, dist. 56. cap. Sanctorum, dist. 70. tamen nihil obstare videtur, quominus etiam sæcularia quædam beneficia speciali statuto, vel fundatione, temporalia, & ad nutum amovibilia instituantur, sicut pluribus allegatis docet Nicolaus Garcias p. 1. de benefic. cap. 2. §. 1. contra Navar. consil. 8. de jure patron. & consil. 5. de præben. ubi significat, Capellaniam non perpetuam, sed manualem non esse proprie beneficium Ecclesiasticum. Ad cujus evidentiam

Sciendum V. Quod rectius distinguitur cum Suarez, & aliis inter capellanias. Quædam enim sunt temporales, & non collativæ, videlicet, quæ sine Episcopi auctoritate, quamvis in perpetuum institutæ sunt, ut a fundatore, ejusque hæredibus conferantur, cui ipsi voluerint: & tales capellaniæ beneficia non sunt, sed mere temporalia stipendia sacellanorum, sicuti recte docet Navar. in cit. consil. 5. Aliæ vero sunt capellaniæ, quæ Episcopi auctoritate institutæ, spirituales sunt factæ, & collativæ; ideoque proprie dicta beneficia ecclesiastica, quamvis ad nutum Episcopi, vel patroni, auferri possunt: hoc enim ad accidentalem tantum beneficiorum differentiam spectare videtur: quandoque ipsemet Navar. consil. 8. de jure patronat. n. 20. fatetur, beneficia ecclesiastica per voluntatem Papæ, vel consuetudinem immemorabilem posse fieri manualia. Id tamen fateri oportet, spectato jure communi, & ordinario, beneficia sæcularia censeri perpetua: regularia vero beneficia censeri manualia, seu revocabilia. Quam ob rem hæ qualitates in impetratione beneficiorum necessario exprimi non debent, cum insint communi jure, quod Pontifici notum esse præsumitur, juxta cap. 2. de constit. Aliam beneficiorum divisionem, ex modo conferendi desumptam, infra reperies in cap. seq. & cap. 7.

CAPUT V.

De pluralitate beneficiorum. S. Thom. quodl. 9. a. 15.

Deinde considerandum est, an habere plures præbendas sine dispensatione, sit peccatum mortale. Circa quod

Sciendum I. Ex D. Tho. cit. Quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non

excu-

excusat a toto: licet forte a tanto. Error vero, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit. Cum enim hæc quæstio ad theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali: & ad juristas, in quantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea theologi theologis, & juristæ juristis contraria sentire. In jure namque divino non invenitur determinata expresse; cum in sacra scriptura expressa mentio de ea non fiat, quamvis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus scripturæ forte adduci possint: quæ tamen non facile veritatem ostendunt. Determinando vero eam secundum jus naturale,

Sciendum II. Quod sic videtur ad præsens dicendum, quod actionum humanarum triplex est differentia; Quædam enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo bene fieri possunt: de numero talium non est habere plures præbendas, alias in nullo casu dispensationem accipere posset, quod nullus dicit. Quædam vero sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum, vel malum, ut levare festucam de terra, vel aliquod hujusmodi; inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes: Ita licitum est habere plures præbendas, sicut habere plura poma. Sed hoc non videtur esse verum, cum hoc, quod est habere plures præbendas plurimas in se inordinationes contineat, utpote quia non est possibile, aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus, cum præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatis testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiæ contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest; & multa alia hujusmodi, quæ de facili patent; unde non potest contineri inter indifferentes actiones, & multo minus inter eas, quæ sunt secundum se bonæ, ut dare eleemosynam, & hujusmodi. Quapropter.

Sciendum III. Quod sunt quædam actiones, quæ absolute consideratæ deformitatem, vel deordinationem quandam important, quæ tamen, aliquibus circumstantiis advenientibus, bonæ efficiuntur, sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quandam importat, sed, si addatur occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtus. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, ut puta, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem absens, quam alius præsens, & si quæ alia sunt hujusmodi, & tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum secundum jus naturale: quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum. Si autem aliquis ea intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione, & unum beneficium habere, quod nullam deformitatem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum, nullo positivo jure etiam superveniente.

Sciendum IV. Quod nunc certum est, per antiqua jura prohibitum esse habere plures præbendas; patet etiam huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa jura esse abrogata. Nam per contrariam consuetudinem jura humana abrogantur. Quidam vero dicunt per hanc consuetudinem antiqua jura non abrogari, eo, quod quædam Decretalis dicit: ***Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium fuerint deducta, justitia cogente, cassarentur***. Et hæc controversia juristis est relinquenda, quamvis hoc videatur esse probabile, quod quantum

tum ad hoc, quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc, quod solum de jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipue, si simulantes hanc contrariam consuetudinem, in quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare. Si ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione, etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere, sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat, eo, quod dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

Sciendum v. Quod beneficia alia incompatibilia dicuntur, alia compatibilia. Primi generis in primis sunt ea, quorum singula per se, vel naturali jure, vel saltem Ecclesiastica constitutione continuam residentiam postulant, uti sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochiæ, duæ perpetuæ Vicariæ, & cætera curata beneficia. Item duæ dignitates, sive personatus, quin & duo Canonicatus, ob constitutionem Trident. sess. 24. c. 12. Deinde beneficia uniformia sub eodem tecto incompatibilia censentur, v. g. duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ. Reliqua vero beneficia compatibilia sunt. Si beneficia sint incompatibilia, de jure communi solus Papa ob causam justam dispensare potest, ut quis simul plura habeat, ut docet Gloss. in cap. Dudum 2. de elect. ver. per sedem, cap. De multa de præben. ver. per sedem, & in cap. 1. de consecr. in 6. ver. absque dispensat. Si vero beneficia sint compatibilia, secundum quosdam eidem conferri possunt absque dispensatione in casibus, in quibus juri naturali non repugnat: quia consuetudo id permittit, dummodo provisus indigeat ad honestam vitæ sustentationem. Ita, præter alios docent Abb. in c. Dudum, Rebuf. Valent. Alii vero id negant, ut supra dictum est. An vero consuetudine obtineri possit, ut plura beneficia jure communi incompatibilia fiant compatibilia, ideoque eidem conferri possint etiam sine dispensatione. Negative respondent Doctores ex cap. 1. de consuetud. in 6. ubi talis consuetudo etiam immemorabilis reprobatur.

CAPUT VI.

De unione Beneficiorum.

Deinde considerandum est de unione beneficiorum Ecclesiasticorum ex parte ipsius beneficii. Circa quod

Sciendum I. Quod unio beneficiorum (quæ ex Rebuf. in praxi de unionib. est beneficiorum auctoritate Prælati Ecclesiastici facta annexio) duplex est, perpetua scilicet, & temporalis. Perpetua fit ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem: temporalis in utilitatem beneficiati, ideoque durat tantum ad vitam ejus: neque est proprie dicta unio, sed potius dispensatio, seu reservatio nomine unionis tecta: & idcirco odiosa, atque adeo non præsumitur in dubio, teste Rebuf. nu. 19. Neque eam Episcopus facere potest in beneficiis incompatibilibus, sed solus Papa, ut dictum est in cap. ant. & colligitur ex Trident. sess. 7. c. 4. & sess. 24. c. 17. Quare omissa unione ad vitam beneficiati, de perpetua tantum, & proprie dicta beneficiorum unione tractandum est. Quapropter

Sciendum II. Quod unio beneficiorum proprie dicta tribus modis fieri potest, uti docet Gloss. in cap. 1. ver. uniendo, ne Sede vacante, Gloss. in cap. & temporis 16. q. 1. ver. unire. Primo, si ex duobus beneficiis fiat unum. Secundo, si unum beneficium alteri uniatur tanquam accessorium principali. Tertio, si duo beneficia ita sub eodem rectore uniuntur, ut tamen propriam naturam, qualitates, & privilegia sua retineant, & neutrum alteri subjiciatur, aut adhæreat, sed utrumque suum titulum retineat; & ideo de utroque in impetratione alterius beneficii mentio facienda sit. Modus secundæ unionis ope-

operatur quasi extinctionem beneficii annexi, ut beneficium per se non censeatur, ideoque nec vacare debeat: quia assumit naturam, qualitates, ac privilegia beneficii principalis, cui adhæret: unde in beneficii impetratione solius principalis mentio facienda est, quo collato, venit etiam accessorium. Ex quo

Sciendum III. Quod, si parochialis Ecclesia unita sit Canonicatui, vel dignitati, non debet attendi ætas 25. annorum, quæ ad Parochiæ curam requiritur, cum eam institutus non per seipsum, sed per Vicarium sufficientis ætatis regere debeat: sed sufficit ætas, quæ ad Canonicatum, vel dignitatem habendam postulatur; accessorium enim sequitur naturam, & qualitates principalis. Quapropter beneficium minus dignum oportet unire magis digno, juxta cap. postulastis de præben. cap. super eo, eod. tit. in 6. Non enim decet, ut magis dignum sit accessorium minus digni. Item, si pertineat beneficium accessorium diverso Episcopo, non requiritur ejus consensus, sed sufficit consensus Prælati majoris beneficii: cum enim beneficium unitum accessorie non censeatur vacare, ideo ejus collatio secundum se cessat: quod non evenit in beneficiis tertio modo unitis, in quibus requiritur consensus, seu collatio, aut confirmatio utriusque Prælati, si ad diversos pertineant, sicuti colligitur ex Gloss. in cit. cap. & temporis.

Sciendum IV. Quod potestas uniendi beneficia, & Ecclesias qualcumque, pleno jure pertinet ad Summum Pontificem, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 9. & habetur in cap. 2. de præben. in 6. Episcopus vero ob justam causam in perpetuum unire potest beneficia suæ Diœcesis, quæ neque exempta, neque Summo Pontifici specialiter, ac perpetuo reservata sunt, ex cap. Sicut unire, de excess. Prælator. Eademque ratione ordinariæ potestatis ad Episcopum, vel alium simili jurisdictione præditum spectat, beneficium aliquod justa de causa omnino extinguere, sicut & unum in duo dividere, sicuti docet Innoc. cap. un. ibidem. In certis autem casibus ipsum Jus talem uniendi facultatem Episcopo tribuit, non obstante reservatione, ut patet ex Trident. sess. 21. c. 5. & sess. 23. c. 18. Debet tamen in dictis casibus talis unio fieri antequam beneficium vacet, ut possit sortiri suum effectum, & non impediatur per reservationem, ut monet Garc. num. 102.

Sciendum V. Quod beneficia unius Diœcesis non debent uniri cum beneficiis alterius Diœcesis ex Trident. sess. 14. c. 9. Item prohibet sess. 24. c. 13. ne Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu Dignitatibus, aut præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aliisque beneficiis simplicibus uniantur. Denique Capitulum Sede vacante unire potest beneficia cum supradictis conditionibus, absque tamen præjudicio juris Episcopalis, ut ex communi docet Rebuf. n. 36. Porro aliæ personæ Ecclesiasticæ, secluso speciali privilegio, aut legitima præscriptione, beneficia unire non possunt, etiam si ea conferendi jus habeant. Causæ unionis faciendæ, sunt necessitas, vel utilitas Ecclesiæ ex cap. Postulasti, de præben. Solemnitas ad unionem requisita in his consistit. Primo, quod antecedat cognitio causæ. Secundo, ut vocentur ii, quorum interest. Tertio, requiritur consensus Capituli. Qua de re vide Trident. sess. 24. c. 19. & Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 9.

CAPUT VII.

De institutione, & collatione beneficiorum.

Consequenter ad Naturam, & distinctionem beneficiorum, considerandum est de his, quæ pertinent ad illorum institutionem, & collationem. Circa quod

Sciendum I. Quod institutio in beneficiis Ecclesiasticis tribus modis fit, scilicet, per electionem, præsentationem, & liberam collationem. Quamobrem Ecclesiastica beneficia distinguuntur ex parte modi conferendi in tria genera, electiva nimirum, patronata, & libera, seu collativa. Ubi notandum, quod omnis collatio fieri debet beneficii vacantis, ne quis mortem alterius desiderare possit, si sciat in ejus locum se successurum iri, ut habetur in cap. 2. & cap. Constitutus, de concess. præben. cui consonat Trident. sess. 24. c. 19. ubi omnes gratiæ expectativæ abrogatæ, seu inferioribus Papa collatoribus prohibitæ

tæ sunt. Nec sufficit, quod beneficium vacet de jure, ut possit conferri, sed requiritur, quod vacet etiam de facto; Si enim alter habeat possessionem beneficii cum titulo colorato, non censetur beneficium vacare de facto. Quare in tali casu possessor prius de possessione amovendus est, quam beneficium alteri conferatur, cognita prius causa, ut docet Abb. in cap. cum nostris, de concess. præben.

Sciendum II. Quod supremus, & universalis beneficiorum collator, sive hæc libera sint, sive electiva, est Papa, cap. 2. de præben. in 6. Tribus autem modis solet Papa beneficia conferre, teste Rebuf. Primo jure præventionis, cum alicui conferr gratiam expectativam ad beneficium primo vacaturum, juxta cap. omnium, de præben. in 6. Secundo jure concursus, nam Papa concurrit cum quolibet Ordinario in potestate, & jurisdictione: quamvis enim potestatem conferendi Ordinariis dederit, sibi tamen majorem reservavit, juxta cap. Dudum, §. cum igitur, de elect. in 6. quapropter inter Papam, & reliquos inferiores ordinarios collatores datur locus præventioni. Tertio conferuntur beneficia a Summo Pontifice jure devolutionis, de quo dicam in cap. seqq.

Sciendum III. Quod post Papam Episcopus est ordinarius collator beneficiorum tam patronatorum, quam liberorum existentium in diœcesi sua, sicuti constat ex cap. 5. de capel. Monach. cap. cum & plantare. §. in Ecclesiis, de privileg. cap. cum ex injuncto in fin. de hæret. Porro Episcopus in collatione beneficiorum adhibere debet consilium, imo etiam consensum capituli; alioquin irritam fore institutionem significatur in cap. novit. de his, quæ fiunt a prælat. juncta Gloss. ver. carere, & ex cap. ea noscitur, eod. tit. habetur, quod prælatus regularis, ad quem jus præsentandi spectat, cum consensu monachorum præsentare debeat, alioquin firmitatem non obtineat. Ubi tamen excipitur, nisi legitime præscripta consuetudine, aut privilegio obtineunt prælatus, ut sine capituli consensu præsentare possit.

Sciendum IV. Quod capitulum, vacante Sede Episcopali, tametsi conferre non possit beneficia libera, si eorum collatio ad solum Episcopum spectet: nihilominus potest a patronis præsentatos ad beneficia instituere, uti habetur cap. I. de instit. in 6. & electos confirmare, juxta cap. cum olim, de major. & obedien. Item recipere beneficiati resignationem non liberam, sed quæ fit causa permutationis, sicuti notat Garc. p. 5. c. 7. Denique, causa exigente, capitulum potest beneficia unire, dummodo nihil detrahatur juri Episcopali, ut dictum est cap. ant. Quorum ratio est, quia jura, vacante Sede, indulgent capitulo Episcopalem jurisdictionem causa necessitatis, ne ex defectu superioris periculum generetur, sicuti notat Gloss. in cap. his quæ, ver. pro bono pacis.

Sciendum V. Quod eadem ratione Vicarius generalis Episcopi, quamvis generale mandatum habeat, beneficia tamen conferre non potest, nisi id ei specialiter concessum sit, cap. fin. de offic. Vicar. in 6. ubi ratio additur: quia regulariter donare non potest is, cui bonorum administratio etiam libera concessa est. Quare neque poterit Vicarius sine speciali mandato præsentare ad beneficium, cujus patronus Episcopus est, sicut notavit Garc. p. 5. c. 8. Nam utrumque tam conferre, quam præsentare est genus gratiæ, & liberalitatis. Nihilominus concessum est Vicario instituere præsentatos, juxta cap. ex frequentatibus, de Instit. & confirmare electos: Item conferre beneficia vacantia ex causa permutationis, si habeat ab Episcopo facultatem recipiendi resignationes, arg. cap. un. de rerum permut. & Clement. un. eod. tit. quia hi omnes actus sunt necessitatis, & justitiæ, ut specialem concessionem non desiderent.

Sciendum VI. Quod Legatus a latere communi jure concurrit cum Ordinario in collatione beneficiorum, ita ut inter eos locus sit præventioni, juxta cap. si a Sede, de præben. in 6. & cap. I. de offic. legati. in 6. Idque extendendum est etiam ad beneficia vacantia, quæ sunt de jure patronatus Ecclesiastici, cap. Dilectus, de offic. legat. cap. cum dilectus, de jure patronat. Non item, quæ sunt de jure patronatus laicorum, nisi ea devoluta sint ad Episcopum propter negligentiam præsentatoris laici, sicut docet Garc. p. 5. c. 3. Item extendendum est ad ea, quæ spectant ad exemptorum collationem, quippe in

quas

quos jurisdictionem habet, juxta cap. 1. de ver. signif. in 6. Denique ad ea, quæ ad Papam devoluta, sed eidem reservata non sunt, teste Gloss. communiter recepta in cap. 1. de officio legati in 6. Aliis vero Nuntiis, sive Legatis non a latere, sine speciali mandato, concessum non est beneficia conferre, sicuti habetur expresse in cit. cap. 1.

C A P U T VIII.

De Beneficiorum reservationibus.

Deinde considerandum est de beneficiorum reservationibus. Circa quas in præsenti

Sciendum I. Quod beneficium reservatum esse dicitur, cujus collationem superior, videlicet Papa, sibi propriam vendicat, ut ab aliis Ordinariis conferri non possit. Hac ratione Summus Pontifex in primis sibi reservat collationem dignitatum, quæ post Episcopalem majores sunt in Ecclesiis Cathedralibus: item collationem dignitatum principalium in Ecclesiis collegiatis, sicut habetur in reg. 3. Cancellariæ apud Mendosam quæst. 22. quamquam aliquæ Ecclesiæ speciale indultum Sedis Apostolicæ habeant illas eligendi.

Sciendum II. Quod reservat sibi Papa beneficia quæcumque promovendorum, id est, quæ vacant per assecutionem alterius beneficii, aut dignitatis ab ipsomet Papa conferendæ, juxta reg. Cancellariæ, & Extrav. Ad regimen de præben. Neque refert, an dignitates electivæ sint: siquidem per electionem talem non censetur vacare beneficium prius habitum ab electo. Quinimo reservatio ista papalis locum habet quotiescumque Papa beneficium confert alicui habenti alterum incompatibile: hujus enim ipso jure vacantis collatio Papæ reservatur, sicuti colligitur ex cit. Extrav. Ad regimen.

Sciendum III. Quod Papæ reservantur omnia beneficia Cardinalium, & Curialium, seu familiarium Papæ, tametsi extra curiam vacent, ut, si curiales extra curiam moriantur: sicuti colligitur ex cit. Extrav. ad regimen. Adde, in reg. 3. Cancellariæ, reservari etiam beneficia familiarium alicujus Cardinalis. Neque refert etsi tempore obitus non sint amplius officiales, sed dimiserint officium: quia beneficia postquam semel affecta sunt reservatione papali, semper remanent affecta; sicuti notavit Jacobus Menoch. de arbitrar. qq. Centur. 3. casu 1. n. 111.

Sciendum IV. Quod reservat sibi Papa beneficia, quæ vacant per obitum legatorum, & cursorum suorum: item aliorum quorumcumque ad Curiam accedentium, vel inde redeuntium, si in curia, vel in aliis locis ultra duas dietas a curia non distantibus moriantur. Ita habetur in cit. Extrav. ad regimen, & cap. præsenti. Et in bulla Nicol. V. Ad sacrum. Et dicitur tunc beneficium in curia vacare, seu apud Sedem Apostolicam, ut specialiter affectum, ejusque collatio Papæ reservata censeatur; adeo quidem, ut facta alicui potestate reservandi, aut conferendi beneficia, non censeantur comprehendi ea, quæ in curia vacant; sicuti habetur expresse in c. 2. de præben. in 6.

Sciendum V. Quod Papa reservat sibi beneficia omnia, quæ vacant per depositionem, privationem, vel translationem auctoritate Sedis Apostolicæ factam. Item ea, ad quæ aliqui in concordia, vel discordia electi, seu postulati sunt, si electio cassata, vel postulatio repulsa, aut renunciatio ab his facta, & admissa per eandem Sedem Apostolicam fuerit cit. Extrav. ad regimen. Et bulla concordat Nicol. V. Atque hæc itidem beneficia in curia vacare censeantur. Verumtamen in cap. Si apostolica de præben. in 6. Excipiuntur ab hac regula beneficia curata, si ea dictis modis in curia vacare contigerit, vacante Sede Apostolica.

Sciendum VI. Quod denique reservat sibi Papa alia omnia beneficia in mensibus alternis Pontificis ex cit. bulla Nicol. V. Ad sacrum, & habetur etiam in regul. Cancellariæ, sicuti videre est apud Garciam p. 5. cap. 1. num. 438. Est autem hæc mensium reservatio personalis, ita, ut mortuo Pontifice expiret: atque Ordinarius, dum Sedes Apostolica vacat, omnibus mensibus conferre possit, teste Garcia cit. num. 645. Porro hæ reservationes papales locum non habent neque in beneficiis manualibus; neque in beneficiis, quæ sunt juris patronatus laicalis: neque in beneficiis Ecclesiæ

clesiæ

clesiæ non numeratæ, quia talia beneficia nunquam censentur vacare: neque in beneficiis resignatis causa permutationis, quia nec ista censentur proprie vacare: sicuti ex communi docent Covar. Gaspar de Perusio, & Æn. de Falconib.

CAPUT IX.

De Beneficiorum devolutionibus.

DEinde considerandum est de beneficiorum devolutionibus. Circa quas

Sciendum I. Quod, si collator beneficium indigno scienter conferat: vel electores, puta capitulum, scienter eligant indignum, id est incapacem, seu impedimento canonico laborantem, talis collatio, seu electio ipso jure irrita est, & collator, vel electores privantur ea vice potestare conferendi, eligendi, & devolvitur potestas ad alium, plerumque ad proximum superiorem. Ita de collatore colligitur ex cap. Cum in cunctis §. Clerici. De electoribus vero habetur expresse in cap. cit. cap. innotuit, cap. scriptum de electionib. in 6. Ut autem in specie cognoscatur, quid de hac re sentiendum sit,

Sciendum II. Quod, si Ecclesiæ Cathedralis canonici Episcopum indignum scienter elegerunt, collatio devolvitur ad Papam, ex cap. Quamquam, nisi pars canonicorum, licet minor, contradicat; tunc enim pœnes ipsos remanebit jus eligendi, juxta cap. gratum, de postulat. Prælator. In aliis vero inferioribus beneficiis, in quibus eligendi, vel confirmandi potestas ad capitulum pertinet, devolutio fit ad Episcopum propter negligentiam, vel defectum capituli, sicuti constat ex cit. §. Clerici. Idemque dicendum, si alius inferior, puta Abbas non exemptus, beneficia conferre tempore statuto neglexit, vel indigno contulit, devolvi potestatem ad Episcopum, sicuti colligitur ex Clement. un. de supplen. negligent. Prælator. Quod, si etiam Episcopus deficiat, fit devolutio gradatim ad Superiorem, puta ad Metropolitanum, ab hoc ad Papam arg. cap. Ne pro defectu, de elect. At vero, si collator, vel electores exempti negligentiam, vel defectum committant, ob quem jure suo priventur, potestas devolvitur ad Papam, sicuti constat ex cap. Cum singula §. prohibemus, de præben. in 6.

Sciendum III. Quod in Clement. un. de suppl. negl. Prælator. decernitur, ut ad Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, devolvantur beneficia omnia tum sæcularia, tum regularia, in ipsius Diœcesi sita, quæ Prælati regulares intra sex menses conferre neglexerunt. Neque in hoc casu devolutionis, & collationis concurrere potest legatus Papæ; quandoquidem Episcopus habet delegationem specialem, cui non derogat delegatio generalis, sicuti notavit Petrus Rebuff. in praxi tit. de devolur. num. 28. Si autem Episcopus negligentiam, vel defectum committat in conferendis beneficiis, quæ ad ipsum spectant jure proprio, & non devoluto, tunc jus collationis ad capitulum devolvitur, juxta cit. cap. Cum in cunctis.

Sciendum IV. Devolutionem potestatis fieri propter negligentiam, sive conferendi, aut eligendi moram. Si enim beneficia infra Episcopatum, & prælaturam regularem, infra sex menses a die scientiæ numerandos, cessante legitimo impedimento non conferantur, fit devolutio ab Episcopo ad Capitulum, & vice versa, & ab his ad Metropolitanum, sicut supra dictum est, & habetur in cap. licet, cap. dilectus. Electio autem Episcopi, vel regularis Prælati, si infra tres menses, legitimo impedimento cessante, non fiat, ad Superiorem immediatum gradatim devolvitur, ex cap. ne pro defectu, sumpto ex Lateran. Concil. Sed alia ratio est, si electio Episcopi ipso jure irrita est, si indignus electus sit, vel per sententiam infirmetur ob formam electionis non servatam; tunc enim devolutio non fit gradatim, sed statim ad Papam, ut supra dictum est ex cap. Quamquam.

CAPUT X.

De Beneficiis Electivis.

COnsequenter considerandum est de beneficiis electivis. Circa quod in præsenti

Sciendum I. Quod beneficium electivum late appellatur omne illud, ad quod alicui jus tribuitur per suffragia, & alterius con-

confirmationem, ex doctrina Gloss. in cap. Quia propter, de elect. ver. Ecclesiis viduatis. Sed proprie electiva dicuntur illa solum beneficia, quæ prælaturæ sunt, seu in quibus aliquis instituitur, ut sit caput Collegii, & quasi sponsus Ecclesiæ sæcularis, aut regularis. Quare electio proprie, & stricte sumpta ex cit. cap. definitur: *Alicujus personæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio*. Pro cujus definitionis intelligentia. Notandum est, quod electio non tribuit electo jus in re, & quasi dominium beneficii, sed jus ad rem: quare opus est superioris confirmatione, per quam plenum jus in beneficium acquiritur; & ideo dicitur vocatio, non institutio. Ex quo sequitur, quod, si electus ante confirmationem moriatur, beneficium vacare censetur per mortem non hujus, sed prioris Prælati. Insuper sequitur, quod electus, ante confirmationem, beneficii administrationem usurpare non debeat, alioquin privatur jure ex electione quæsito, cap. nosti, cap. avaritiæ eod. tit. in 6. Tertio sequitur, quod beneficia electi non vacant, nisi post confirmationem, imo etiam subsecutam consecrationem, vel saltem post elapsum trimestre tempus a sacris Canonibus ad consecrationem definitum, sicuti colligitur ex cap. Cum in cunctis §. vero de elect.

Sciendum II. Quod jure communi electio ad Collegium spectat, ut habetur in cap. I. de elect. cap. Congregatio 10. qu. ult. etiam si duo tantum, vel tres in Capitulo, vel Collegio sint, sicuti colligitur ex cit. cap. I. juncta Gloss. ver. duo. Quod, si nemo adsit præter unum, aliis mortuis, vel privatis, etiam in illo uno jus universitatis permanere, testatur Gloss. communiter recepta in cap. 2. de postulat. Prælator. ver. pauciores: quamvis se ipsum eligere non possit, quia ambitionis notaretur, arg. c. per nostras, de jure patronat. & docet Sylv. ver. electio qu. I. Ex privilegio autem, vel ex consuetudine, etiam alii, qui non sunt in Collegio, jus eligendi Prælatum consequi possunt, juxta cap. Cumana, juncta Gloss. ver. consuetudine de elect. Qui est in quasi possessione juris eligendi, conferendi, vel præsentandi, ejus electio, collatio, præsentatio rata est, licet postea in judicio ab illo evincatur, cap. querelam de elect. cap. consultationib. de jure patron. cap. Cum olim, de causa possession.

Sciendum III. Quod potestatem eligendi habere non possunt, excommunicatus, cap. constitutis. I. de appellat. suspensus ab officio, cap. Cum dilectus, de consuet. cap. Cum inter, de elect. Irregularis, sicuti colligitur ex cap. Is qui §. ult. de sent. excomm. in 6. Item, qui in loco interdicto scienter celebravit, cit. §. ult. Item eligentes scienter indignum, seu incapacem, cap. Cum in cunctis. Qui per abusum admissæ sæcularis potestatis elegerunt, cap. quisquis de elect. Qui tribus mensibus Prælatum eligere neglexerunt, privati sunt ea vice, cap. ne pro defectu. Item impuberes, cap. ex eo quod, de elect. in 6. Qui in Ecclesiis regularibus, vel Monasteriis expresse, vel tacite professi non sunt: item Laici conversi electionibus interesse non possunt, cap. Ex eo quod §. ult. de elect. in 6. Quapropter tales inhabiles ab electionibus repelli debent: si autem de eorum habilitate dubitetur, admitti possunt cum protestatione, sicuti docent DD. in cap. Cumana.

Sciendum IV. Quod forma, seu modus in electione observandus, ex cap. quia propter, hujusmodi est. Primo, ut omnes, quibus jus eligendi competit, ad electionem vocandi sunt, dummodo qui absentes sunt commode vocari possint. Quod, si aliquis in civitate, vel oppido præsens, propter infirmitatem accedere non possit, ejus suffragium a Scrutatoribus exquiri debet, sicuti ex communi docet Sylv. ver. electio I. qu. 5. Si vero aliqui ad electionem legitime vocati venire contemnunt, vel ab electione jam cœpta exeunt, reliqui sine his, si major, & sanior pars suffragantium est, ad canonicam electionem procedere possunt, arg. cap. auditis, de elect. Secundo, si aliquis existens in possessione juris eligendi, qui commode vocari potuit, ac debuit, vocatus non sit, valet quidem electio facta sine ipso: sed potest ille, si velit, contemptum suum prosequi, & electionem infirmare, cap. quod sicut, cap. bonæ I. & 2. de postulat. Prælator. Cæterum, si quis accedere nolens, juri electionis pro ea vice renuntiet, ordinario, & communi jure compelli non

non potest, nisi ejus absentia in præjudicium Ecclesiæ cederet, sicuti docet Abbas, & Gloss. in cap. quia propter ver. qui volunt. Tertio, si absens justo impedimento detentus accedere non possit, concessum est ei procuratorem, seu mandatarium constituere, qui tamen e capitulo sit, nam extraneum canonici recipere non tenentur.

Sciendum v. Quod post factam electionem, debet ea, cum primum fieri potest, electo significari, quia nisi intra spatium unius mensis consensum præbeat, jure consentiendi deinde privatus est, modo consentiendi libertatem habuerit. Post consensum vero electioni præstitum, intra trimestre tempus confirmationem petere cogitur, alioquin electio irrita redditur, nisi justi impedimenti excusatio adsit. Quod, si electio effectum suum non sortiatur, quia electus consentire renuit, vel post consensum juri suo renunciat, aut vita fungitur, vel propter aliquod vitium electio irritatur, tunc electoribus ad eligendum de novo tempus integrum, videlicet trimestre in Ecclesiis Cathedralibus, & regularibus: sex mensium spatium in aliis collegiatis conceditur; modo nihil fraudulentum gestum fuerit, cap. si Ecclesia, de elect. in 6. juncta Gloss. ver. integrum.

Sciendum vi. Quod tres sunt modi, seu formæ eligendi. Primus est per scrutinium, sive collectionem suffragiorum; in qua necesse est, ut major, ac sanior pars præsentis Capituli in eundem consentiat, sicuti habetur in cit. cap. quia propter, cap. in Genesi, cap. Ecclesia vestra 1. & 2. de elect. Secundus modus eligendi est per compromissum, si omnes e capitulo præsentes potestatem eligendi idoneum pastorem committant uni, vel pluribus viris bonis, ac Deum timentibus, cap. causam quæ, cap. contingit, de arbitris. Hæc vero potestas data compromissariis revocari non potest, si res integra non sit, sive tractatus jam cœptus, juxta cit. cap. in causis. Tertius demum modus eligendi est quasi per inspirationem divinam, dum omnes electores, tanquam uno corde, & ore in eundem absque vitio consentiunt, cit. cap. quia propter. Qua de re vide Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 12.

CAPUT XI.

Quid sit postulatio, & qualiter differat ab electione.

Deinde considerandum est de postulatione, quæ licet in aliquibus cum electione conveniat, tamen differt ab illa. Circa quod

Sciendum i. Quod postulatio cum electione in his convenit. Primo, quod qui eligere possunt, iidem etiam postulare, sicuti colligitur ex cap. 2. de postulat. Prælator. cap. innotuit, cap. bonæ, de elect. Secundo, sicut electio fit in ordine ad Superiorem, qui electum confirmare debet; ita etiam postulatio fit a Superiore, qui postulatum admittere, & approbare potest. Necesse autem est, ut talis Superior potestatem habeat dispensandi super defectu postulati, alioquin postulationem admittere nequit, sicut colligitur ex cit. cap. innotuit. Tertio, sicut eligentes, ita & postulantes indignum, seu incapacem, potestate eligendi, aut postulandi privantur, & potestas ad alios, licet pauciores numero, devolvitur, juxta cap. Cum in cunctis §. Clerici sane, cap. Vvintoniensis, de elect. cap. 2. de postulat.

Sciendum ii. Quod differunt in multis electio, & postulatio. Primo quidem, quia, qui eligi non potest, postulari tamen potest, si non omnino inhabilis sit ad exercendam Prælaturam, sed facile defectum dispensabilem habeat, sicuti docet Abb. cap. ult. de postulat. Prælator. num. 10. puta, in ætate legitima, cap. cum nobis olim, de elect. Vel in ordine sacro ad Prælaturam requisito, cap. dudum 1. de elect. juncto cap. a multis, de ætat. & qualitat. Vel in naturalibus, cap. innotuit de elect. in quo habetur, illegitimum, si ad Episcopatum idoneus sit, postulari posse, licet eligi non possit. Differunt secundo, quod electo, si idoneus sit, & nullus defectus apparet, vel opponitur, jus acquiritur per electionem saltim inchoatum, ita, ut is, ad quem confirmatio spectat, teneatur eum confirmare; alioquin ad ejus Superiorem recurreretur, qui confirmatori terminum præfiget, intra quem confirmare debeat: quod, si id intermittat, tunc jus confirmandi

mandi ad ipsum Superiorem devolvitur, sicuti docet Abb. in cap. postquam, de elect. At vero per postulationem jus nullum acquiritur, sicuti constat ex cap. bonæ 1. & cap. postulationem, de postulat. Prælator.

Sciendum III. Quod ex dictis sequitur primo, quod postulantes variare possunt, id est, sine injuria postulationem revocare antequam ea Superiori præsentata sit. Secundo, quod Superior sine cujusquam injuria postulationem rejicere potest, cum sit specialis gratia, ad quam dandam nemo cogitur, sicut habetur in cit. cap. postulationem. Si tamen postulatio concors, vel saltem a duabus partibus capituli propter Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem fiat, tunc quodammodo debita Ecclesiæ est ejus concessio. Qua de re Gloss. in cap. cupientes, prope fin. ver. gratia, de elect. in 6. Denique, si postulatio solemnis apud Prælatum interposita, ab eo acceptata, seu admissa fuit, confert hodie effectum electionis, & confirmationis, sicuti docet Abbas in cap. 1. n.34. & cap. gratum n.13. de postulat. Prælator.

CAPUT XII.

De Beneficiis Patronatis.

DEinde considerandum est de beneficiis juris patronatus. Circa quæ plura animadvertenda sunt; ad quorum notitiam:

Sciendum I. Quod Juspatronatus, quod & Jus advocationis dicitur in cap. quia Clerici, juncta Gloss. ver. advocationis, de jure patronat. definiri potest: Jus nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. Acquiritur tale jus tribus ex causis, ut patet ex Trident. sess.14. cap.12. scilicet fundatione, ædificatione, & dotatione: unde versus: Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus. Quare, si unus dedit fundum, seu terræ solum, in quo Ecclesia construeretur, alter vero Ecclesiam ædificavit, & alter reditus sufficientes assignavit, erunt plures patroni, sicuti colligitur ex cap. decernimus 16. qu.7. cap. Monasterium, ead. qu. cap. filiis, ead. qu. est igitur Jus patronatus jus honorificum, onerosum, & utile, competens alicui in Ecclesia, qui de consensu Ecclesiastici Prælati eam fundavit, construxit, aut dotavit, seu ipsemet, seu is, a quo causam accepit. Vide Sylv. ver. Jus patronat. in princ. & Abb. in rubr. de jure patron.

Sciendum II. Quod jus patronatus dividitur in Ecclesiasticum, & laicum. Jus patronatus Ecclesiasticum dicitur, quod Ecclesiasticæ personæ competit vel ratione dignitatis, aut beneficii sui, vel ratione fundationis, constructionis, dotationis a se factæ ex bonis Ecclesiasticis. Jus patronatus laicum est, quod convenit alicui, seu laicæ, seu ecclesiasticæ personæ, aut communitati, ratione fundationis, constructionis, vel dotationis ex bonis propriis, sive patrimonialibus. Cæterum patronatus, tametsi ab initio fuerit laicus, ecclesiasticus tamen efficitur, si donatione, testamento, vel alia ratione in Ecclesiam, vel Monasterium transfertur, sicuti habetur in cap. un. §. verum, de jure patron. in 6. Plures tamen sunt horum differentiæ; unde

Sciendum III. Quod in patronatu laico, si patronus intra quatuor menses, in ecclesiastico vero intra sex menses a die vacationis cognitæ neminem præsentet, amittit ea vice jus præsentandi, & collatio beneficii libera efficitur. Secundo, juri patronatus laico nunquam derogari censetur, nisi de eo expressa, & specialis mentio fiat; juxta Gloss. communiter receptam in Clement. 2. ver. Apostolicis, de præben. Tertio, Legatus a latere potest conferre beneficium sine consensu patroni ecclesiastici: non ita derogare potest juri patronatus laici; sicut ex communi notat Gloss. ibid. ver. præsentare. Quarto, in patronatu laico patronus potest variare, id est, postquam præsentavit unum, præsentare etiam alterum: in patronatu autem ecclesiastico, qui primus præsentatus est, institui debet. Quinto, si patronus laicus indignum præsentet, jubendus est alium præsentare: patronus vero ecclesiasticus privatur ea vice jure præsentandi.

Sciendum IV. Quod patrono, sive ecclesiastico, sive laico, quatuor jura potissimum competunt, ut notant Doctores in cap. nobis, de jure patron. Primo præsentare Episcopo instituendos ad beneficia, sive simplicia, sive curata, postquam vacaverunt. Excipe Prælatum, seu Rectorem

Ecclesiæ Collegiatæ, qui a Capitulo eligitur, cui electioni patronus interesse non debet. Secundo honor præcipuus patrono debetur in processionibus, sessionibus, & aliis hujusmodi. Tertio, si patronus, ejusque filii ad inopiam vergant, ab Ecclesia, ejusque beneficiatis alendus est ex reditibus superfluis, secundum Ecclesiæ facultates, & statum, sive qualitatem patroni. Quarto patrono competit jus, vel potius onus tuendi, ac defendendi Ecclesiam, c. filiis, 16. q. 7.

Sciendum v. Quod sine consensu patroni non potest Episcopus disponere circa beneficia cum præjudicio, sive derogatione juris patronatus, ut habetur in cap. Monasterium, juncta Gloss. 16. qu. 7. excipitur tamen casus necessitatis, in quo etiam contradicente patrono mutatio fieri potest. Quia patronus non potest impedire majorem utilitatem Ecclesiæ, cum jus patronatus ipsi ab Ecclesia ex gratia, non absoluto debito concessum sit, sicut notavit Abb. in cap. nobis, n. 10. Hinc sequitur, quod, si justa, & rationabilis fuit dispositio fundatoris circa beneficium patronatum, ea ab ipso Episcopo, vel alio Papa inferiore Prælato mutari non potest, ut sumitur ex cap. tua nobis, de testam. Potest tamen hæres fundatoris minuere, vel tollere eas conditiones, quæ in solum suum favorem, contra, vel præter jus commune a fundatore appositæ sunt. Sed & novas conditiones, quæ Ecclesiæ utiles sint, cum Episcopi consensu apponere; ut docet Abbas in cap. dilectus, de consuet.

Sciendum vi. Quod Jus patronatus competere potest non solum masculo, sed etiam fœminæ: non tantum puberi, sed etiam impuberi: non tantum legitime nato, sed etiam illegitimo: quia secundum jura omni christiano jus patronatus competere potest. Duo tamen obiter notanda sunt. Primo, si jus patronatus annexum sit bonis a muliere in dotem marito datis, probabilius videri, quod jus præsentandi ad maritum pertineat, quia transit, cum universitate rerum, ac jurium: secus si patronatus annexus sit aliis bonis uxoris in dotem non allatis, sicut docet Garc. contra Azor. Secundo præsentatio patroni ætate minoris valida est, nec revocari potest, quamvis sine curatoris auctoritate facta: quia curator non datur minori quoad Ecclesiastica, & spiritualia. De pupillo autem alia est ratio, cum tutor ei constituatur etiam ad actiones personæ regendas: quare æquum est, ut tutoris auctoritas adhibeatur: imo tutoris præsentatio loco pupilli admitti potest, nisi is rationis discretione præditus contradicat.

Sciendum vii. Quod, si plures existentes patroni in præsentando non consentiant, dicendum est primo, quod is, in quem plures comparatione aliarum partium consentiunt, aliis prætermissis, præferendus est, juxta cap. quoniam, & caput ult. dist. 63. Si autem præsentatio ad universitatem, vel collegium pertineat, necesse est consentire majorem partem, sicut de electionibus dictum est. Secundo, si plures præsentati paria suffragia habeant, præferri debet, qui magis idoneus est Episcopi judicio, cit. cap. ult. Si vero æque idonei videantur, is, quem Episcopus maluerit. Cum enim omnia paria sint, tunc gratificationi locus est, ait Abb. in cap. Cum autem, n. 3. de jure patronat. Tertio, si lis alicui mota sit de possessione juris patronatus, interim ab eo præsentatio admittenda non est, arg. cap. ex litteris eod. tit. Si vero bonæ fidei possessori lis mota est super proprietate juris, admittenda quidem est præsentatio, sed præsentatus pendente lite institui non debet. Alia vero ratio est, si possessor ante litis contestationem præsentavit; tunc enim institutio fieri debet, nihil obstante, quod lis superveniat, ut ex communi docet Abb. in cit. c.

Sciendum viii. Quod quatuor modis jus patronatus transfertur, scilicet, successione, donatione, permutatione, & venditione universitatis. Ita Gloss. cap. Cum sæculum, de jure patron. Successione hæreditaria jus patronatus devolvi potest, tam ex testamento, quam ab intestato, non solum ad agnatos, sed etiam ad extraneos, tam masculos, quam fœminas. Cæterum, si duobus existentibus patronis, unus eorum patronatum in plures, seu testamento, seu contractu, transmittat, isti plures succedunt in locum unius, unamque in præsentatione vocem habent, ut decisum est in Clement. 2. de jure patron. juncta Gloss. Donatione gratuita patronatum transferri posse colligitur ex cap. ex insinuatione, de jure patron. Permutatione ita demum,

mum concessa est translatio juris patronatus, si fiat non cum re temporali, sed spirituali, puta alio jure patronatus, sicuti notat Innoc. ex cap. nemini, 16. qu. 7. & cap. ult. de rerum permut. Denique jus patronatus transfertur per accidens, sive necessitate, una cum universitate, quæ alicui venditur, legatur, donatur, in feudum datur, cap. ex litteris, cap. cum sæculum, de jure patron.

CAPUT XIII.

De ætate requisita ad beneficia obtinenda.

Consequenter ad modos, quibus aliquis in beneficiis Ecclesiasticis institui potest, considerandum est de qualitatibus requisitis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda. Et primo de ætate. Secundo de legitima nativitate. Tertio de recta intentione. Quarto de reliquis qualitatibus. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Ætas, quæ in omnibus simplicibus beneficiis requiritur, jure novo Trident. sess. 23. c. 6. debet esse saltem 14. annorum inchoatorum, cum jure antiquo septennium completum sufficeret. Excipe, nisi in fundatione beneficii aliter cautum sit: id enim servari debet, ut ex declaratione S. Congr. refert Sa, ver. beneficium, n. 30. Porro specialiter decretum est in Trid. sess. cit. c. 12. ut nemo ad canonicatum, vel dignitatem admittatur, nisi eo ordine insignitus sit, quem beneficium illud postulat. Quare, cum in Ecclesiis Cathedralibus omnes saltem subdiaconi esse debeant, ut in eadem constit. Trident. habetur, sequitur neminem in Ecclesia Cathedrali Canonicatum obtinere posse, nisi eam ætatem habeat, ut intra annum subdiaconus ordinari possit: unde saltem 21. ætatis annum inchoasse debet, sicut indicat Tridentin. cit. c. 12. §. neminem etiam: juncta sess. 22. c. 4. Ad canonicatum vero non habentem annexum ordinem sacrum in Ecclesia collegiata, sufficit ætas annorum 14. Sed interim, dum subdiaconi non ordinantur, vocem in capitulo habere non possunt juxta Clement. 2. de ætat. & qualit. idemque statuit Trident. cit. c. 4. Sed circa hæc attendendæ etiam sunt speciales Ecclesiarum consuetudines, constitutiones, ac privilegia.

Sciendum II. Quod quantum attinet ad beneficia duplicia, si non habeant annexam curam animarum, vigintiduo anni requiruntur in cit. c. 12. sess. 24. & quidem completi, secundum communem Doctorum sent. Nam Trident. requirit, ut non minor 22. annis, qua loquendi forma anni completi in jure intelligi solent. Ad curata autem beneficia quæcumque, necesse est, providendum 25. ætatis annum attigisse, sicut habetur in cap. cum in cunctis, §. inferiora, de elect. cap. licet canon. de elect. in 6. & in Trident. cit. c. 12. & videri potest Navar. c. 25. Manual. n. 116. Quare idem quoque dicendum est de Abbate, posse aliquem eligi, dummodo ætatis annum 25. attigerit, teste Abb. in cap. super inordinata, n. 7. Ad Abbatissam vero triginta anni completi requiruntur in cap. indemnitatibus, de elect. in 6. novo autem Trident. jure, sess. 25. c. 7. de regular. statutum est, ut in Abbatissam, & quamvis prælaturam regularium non eligatur minor quadraginta annis, quæ octo ante annis professa sit. Quod, si talis in monasterio non reperiatur, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit: Sin vero id superiori, qui præest, expedire non videatur, tum demum eligere liceat ex iis, quæ trigesimum saltem annum excederent, & quinque annis post professionem in illo monasterio laudabiliter vixerunt. Denique, qui in Episcopum eligitur, triginta annos complevisse debet ex cit. cap. cum in cunctis, & Trident. sess. 22. c. 2. & sess. 24. c. 1.

Sciendum III. Quod neque Episcopus, neque Capitulum Cathedralis potest dispensare per se, & directe in requisita ætate, ut aliquis fiat canonicus: potest tamen indirecte dispensare, aut potius licentiam dare de non promovendo ad sacros Ordines causa studiorum: ruente autem obligatione illa principali sacri Ordinis suscipiendi, consequenter etiam tollitur accessorium, quod est ætatis requisitum, non propter se, sed per accidens, si loquamur de canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium. Ætas namque in simplicibus beneficiis non requiritur per se, sed ratione Ordinis sacri nnexi indirecte, & consecutive. Et in hoc, permittente ipso Tridentino, Episcopi dispen-

dispensare possunt ob causam studiorum, ut colligitur ex sess. 7. c. 12. juncta Gloss. margin. quæ citat cap. cum eo, de elect. in 6. ubi facultas conceditur Episcopis dispensandi causa studiorum cum obtinentibus Ecclesias Parochiales, ne intra septennium teneantur ad Sacerdotium promoveri, & interim ipsis liceat a parochiis suis abesse. Unde argumentum sumit Abb. in cap. tuæ, n. 6. de Cleric. non resident. talem dispensandi facultatem studiorum causa multo magis in simplicibus beneficiis locum habere, & quidem sine obligatione vicarium constituendi, aut Ordinem sacrum suscipiendi.

CAPUT XIV.

Utrum promovendus ad beneficia debeat esse ex legitimo matrimonio natus.

Deinde considerandum est de legitimis natalibus promovendorum ad beneficia Ecclesiastica. Circa quod

Sciendum I. Quod altera qualitas requisita ad beneficium assequendum est, ut promovendus ex legitimo matrimonio natus sit: vel saltem a Summo Pontifice, aliove habente Ecclesiasticam ad id potestatem, dispensatus, vel legitimatus, juxta cap. 1. de filiis presbyter. in 6. ubi tria advertenda sunt cum Gloss. & DD. ibid. Primo, quod Episcopus cum illegitimo dispensare potest, ut ad ordines minores, & beneficia simplicia, quibus sacer Ordo annexus non est, admittatur: non item ad dignitates, & personatus, neque ad beneficia curata, juxta cap. ult. extra, de filiis presbyter. Secundo, si illegitimus dispensationem a Papa, vel ejus Legato acceperit, ut ad sacros Ordines admitti possit, etsi non hoc ipso ad beneficia quoque dispensatus censeatur, tamen, accedente dispensatione Episcopi, ad quævis beneficia simplicia, etiam Ecclesiæ Cathedralis Canonicatum admitti potest, nisi Ecclesiæ consuetudo repugnet. De tertio vero statim dicam.

Sciendum II. Quod illegitimus dispensatus ad beneficia simpliciter, non ideo censetur dispensatus ad curata, quippe in quibus major habilitas requiritur, juxta cap. cum in illis, de præben. in 6. Neque ad dignitates, & personatus, quippe quæ communi beneficiorum nomine non veniunt. Nec denique ad Ecclesiæ Cathedralis Canonicatum, arg. c. quamvis, 1. de præben. in 6. Neque item dispensatus ad beneficia quæcumque, etiam dignitates, censeri debet dispensatus ad prælaturam, cit. c. cum in illis. Nec ad dignitatem in Ecclesia principalem, multoque minus ad Cardinalatum, sicuti docet Majolus lib. 1. de irregular. cap. 94. Quamvis talis promoveri possit ad majores ordines, & Ecclesiam Parochialem: quia dignitas, sive personatus, & ejusmodi beneficium curatum inter se æquiparantur, cap. dudum, 2. de elect. & docet Ugolin. de irregular. c. 44. §. 4.

Sciendum III. Quod in Trident. Synodo sess. 25. c. 15. extensa est antiqua constit. cap. ad præsentiam, & cap. cum decorem, de filiis presbyter. atque decretum: *Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, vel habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere: nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.* Et habet hæc const. etiam locum in filiis Clericorum naturalibus, id est, qui ante Clericatum ex simplici fornicatione nati sunt, sicuti ex S. Congr. declarat. testatur Garc. p. 3. c. 3. n. 15. Non item in nepotibus ex Clericorum filiis, seu legitime, seu illegitime, procreatis: sicut cum Gloss. communiter recepta in c. 1. dist. 56. ver. filios, docet Navar. lib. 1. consil. 9. de filiis presbyter. contra Rebuff.

Sciendum IV. Quod vero Trident. prohibet quoquo modo ministrare, intelligi debet, tanquam ex officio, & ob stipendium, v. g. cooperatorem, cantorem agendo. Interim vero non prohibetur filius illegitimus ex devotione ministrare, vel celebrare in Ecclesia, ubi pater beneficium habet, sicuti docet Garc. cit. c. 3. nu. 70. contra Navar. lib. 1. consil. 1. qu. 7. de const. Neque etiam prohibetur filius illegitimus beneficium accipere in Ecclesia, in

in qua pater ejus ministravit, sed sine titulo beneficii, v. g. Capellanum, vel Vicarium temporalem agendo, juxta cap. constitutus, de filiis Presbyter. & docet Garc. n. 72. Vide etiam Navar. in Auctario, cap. quando, de rescript. ubi resolvit, quod licet pater beneficium suum resignarit, vel mortem obierit, non permittendum tamen secundum Trident. ut filius in eadem Ecclesia beneficium obtineat.

Sciendum v. Quod, quantum attinet ad legitimos Clericorum filios, ii possunt beneficia in eadem Ecclesia cum patre obtinere, cap. ad hæc, de filiis Presbyter. dummodo patri in eodem beneficio immediate non succedant, cap. constitutus, cap. ex transmissa, cap. ad extirpandos, cap. dilectus, eod. tit. Cum in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem afferunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, ait Trident. sess. 25. c. 7. sed quid sentiendum de nepote, utrum Avo in eodem beneficio immediate succedere possit? Affirmativam partem videntur tenere Gloss. in cap. Apostolicæ 8. q. 1. Navar. cit. consil. 9. Garc. n. 23. Sed contrarium placet cum Gloss. cit. cap. ad extirpandas, ver. filii Presbyter. Rebuf. de dispensat. super defectu natalium, n. 27. Sylv. ver. beneficium 3. q. 6. Verumtamen viceversa pater nullo jure prohibetur filio suo legitimo, seu illegitimo, mediate, vel immediate in beneficio succedere. Quamvis non possit obtinere beneficium in Ecclesia, in qua ejus filius illegitimus de facto minister, vel beneficiatus est; sicuti notavit Garc. num. 80.

CAPUT XV.

De intentione, quam habere debet promovendus ad beneficia Ecclesiastica.

Tertia qualitas, quam promovendus ad beneficia Ecclesiastica habere debet, est intentio, seu propositum accipiendi sacros Ordines, vel perseverandi in statu Clericali. Circa quod

Sciendum 1. Quod necesse non est, ut qui beneficium simplex, aut curatum accipit, propositum omnino absolutum, ac determinatum habeat in Clericali statu perseverandi, & sacrum Ordinem suo tempore suscipiendi: sed sufficit voluntas conditionalis perseverandi, & ad Ordines ascendendi, nisi nova circumstantia, sive causa mutandi voluntatem accesserit, puta, si Clericalis status postea minus convenire videatur: aut, si primogenitus, aut unicus frater moriatur, vel liberos nullos procreavit: si optimum matrimonium ad conservandam familiam, extinguendas lites opportunum se offerat. Ita ex communi Navar. Rodr. Sanch. Less. Laym. Garc. contra Sotum, & Guttierez, qui hanc assertionem negant in susceptione beneficii curati. Ratio asserti est, quia ex una parte provisus sincerò animo, quamvis conditionato, procedit: ex altera vero parte Ecclesia talem conditionem, sive voluntatem renunciandi beneficio, & statui Clericali, si aliquid melius, vel salubrius obtigerit, non damnat.

Sciendum 11. Quod qui beneficium curatum, sive parochiale accipit animo intra annum a jure præscriptum, Sacerdotium non suscipiendi, sed Ecclesiam parochialem dimittendi; is non solum mortaliter peccat, sed etiam ad restitutionem fructuum perceptorum obligatur. Ita habetur in cap. commissa, §. cæterum, de elect. in 6. Ratio est, quia Ecclesia beneficium curatum Clerico nondum Sacerdoti cum hoc onere, & tacite annexo pacto conferre solet, ut is obligatus sit intra annum Sacerdotium suscipere, alioquin fructus interea perceptos restituere debeat. Ait vero Gloss. in cit. cap. ver. non intendens: *Si quis intendebat a principio promoveri, sed postea mutata voluntate promotus non fuerit, non tenetur ad restitutionem fructuum. Quod verum puto* (adjicit Glossa) *de perceptis ante mutatam voluntatem; de aliis postea perceptis crederem secus*. Quamvis Navar. Sanch. & Less. negent talem ad restitutionem obligari: quia in dicto cap. commissa, solum fit mentio de eo, qui ab initio non intendit. Notant tamen Doctores, quod, si mutata voluntate promotus fuerit, vel dispensationem impetret, restituere non tenetur, ut habetur in cap. licet canon. Unde dicit Gloss. *Nota, quod fraus purgatur, sicut & mora interdum*. Collatio enim ab initio valida fuit, licet sub modo, & obligatione facta.

Sciendum III. Quod, si quis beneficium curatum animo dubio, & ancipiti suscipit, num intra annum ad Sacerdotium ascendere velit, si postea non promoveatur, ad restitutionem tenetur omnium fructuum, ut ex communi docet Sanch. contra Garc. quia in cit. cap. commissa, tanquam conditio requiritur in proviso, ut habeat intentionem intra annum post diem provisionis Sacerdotium suscipiendi. Quam intentionem certe non habet, qui anceps, & dubius accedit: unde ad restituendos fructus tenetur; deductis tamen iis, quæ Vicario Ecclesiam administranti data, aut relicti sunt, ut notat Rodriq. c. 30. concl. 6.

Sciendum IV. Quod qui beneficium non curatum, habens annexam obligationem sacri Ordinis, accipit cum intentione intra tempus a jure requisitum se habilem non efficiendi, seu Ordinem sacrum non suscipiendi, is mortaliter quidem peccat, sed ad fructuum restitutionem non obligatur. Ita Navar. Sot. Rodr. Tolet. Sa, Sanch. Less. Laym. Quia suscipiens officium, cui obligatio aliqua annexa est, omni jure se habilem efficere tenetur, arg. cap. non est putanda 1. q. 1. adeoque peccat mortaliter. Quod vero ad restitutionem non obligetur, probatur contra Gabriel. Adrian. Rebuff. & Garc. quia jus canonicum ad hoc non obligat, nisi beneficia curata sint. Jus vero naturale non dictat talem fructuum restitutionem faciendam esse ante Judicis sententiam: quandoquidem collatio beneficii valida fuit, ideoque jus fructuum percipiendorum acquisitum, quo spoliari beneficiatus non debet ante condemnationem, dummodo officium saltem per Vicarium præstiterit.

Sciendum V. Quod qui beneficium simplex, cui sacri Ordinis obligatio annexa non est, intentione in Clericali quidem statu permanendi, sed ad Ordines majores non ascendendi, accipit, is omni culpa vacat. Quæ assertio videtur esse ex terminis clara, & traditur a Sanch. n. 17. Excipi potest cum Navar. Nisi, exigente necessitate, vel magna utilitate Ecclesiæ, præcipiatur beneficiato, ut ad majores Ordines ascendat. Denique, si eo animo accipit beneficium simplex, ut fructus lucretur, postea dimissurus, & ad statum sæcularem rediturus, damnari non potest peccati mortalis, si interim, dum beneficium obtinet, officio suo satisfaciat. Ita Navar. Sanch. Garc. Vasq. Laym. contra Sot. & Tolet. Ratio est, quia jura ejusmodi beneficiato liberam permittunt licentiam ad statum sæcularem, & ad nuptias transeundi; adeoque si hoc ab initio intendat, fraude non utitur. Negari tamen non potest, quin hæc intentio aliquam perversionem contineat, quia aliquo modo repugnat naturæ beneficiorum, quæ instituta sunt pro his, qui se penitus divino cultui dicarunt: ceditque in Ecclesiæ aliquod detrimentum, quæ hac ratione ministris idoneis, quos longo tempore aluit, spoliatur. Quare venialis saltem culpa erit, ut docet Laym. licet id ab omni culpa excuset Garcias.

CAPUT XVI.

De reliquis qualitatibus requisitis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda.

DEinde considerandum est de reliquis qualitatibus requisitis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda. Circa quas

Sciendum I. Quod quarta qualitas requisita ad beneficium assequendum est Clericatus, sive prima tonsura. Quæ est omnium DD. sent. & colligitur ex cap. Cum adeo de rescript. ubi id notat Gloss. verb. Clericus. Ex quo colligit Garcias, quod irrita sit præsentatio absolute facta, si præsentatus eo tempore, quo Episcopo exhibetur, sit laicus. Cæterum sciendum, quædam beneficia esse Sacerdotalia, quæ de jure, fundatione, aut consuetudine ordinem Sacerdotalem requirunt: alia Diaconalia, quæ ordinem Diaconatus postulant, & sic de aliis; idque duobus modis, vel aptitudine, vel actu ipso. Et quidem jure communi necesse non est, instituendum actu habere sacrum Ordinem, quem Ecclesiæ beneficium requirit: sed satis est, si intra annum, justo impedimento cessante, se promoveri fecerit, sicuti dicitur in Clement. 2. de ætat. & qualit. & docuit Gloss. in cap. Præterea, ver. breve tempus, de ætat. & qualit. & videri potest Trident. sess. 22. c. 4. Præterquam quod Episcopus, cum eligitur, Subdiaconus esse debet, c. a multis, eod. tit. Quare, si in fundatione alicujus Capellaniæ requiratur Capellanus,

nus, qui per seipsum celebret, benigne, & conformiter juri communi id explicari posse videtur, satis esse, si intra breve tempus ordinem Sacerdotii suscipere possit; nisi aliud fundator expresserit, sicuti docet Zechus de republ. Christ. c. de benefic. n. 4. in fine.

Sciendum II. Quod quinta qualitas est morum probitas, cap. Cum in cunctis de elect. cap. grave nimis de præben. Clem. 2. de ætat. & qualit. Sexta est litterarum scientia pro qualitate, ac conditione beneficii, uti constat ex cit. juribus, juncto cap. Venerabilis de præben. & videri potest Trident. sess. 24. c. 12. & 18. de ref. Septima qualitas est, ut ad beneficium promovendus non sit irregularis, aut censura aliqua irretitus, qua de re dictum est in parte prima. Octava, ut ad beneficium regulare aliquis non promoveatur, nisi sit ejusdem Ordinis professus, vel qui promittat, se intra certum tempus suscepto habitu professionem editurum, juxta Trident. sess. 14. c. 10. juncta interpretatione Sanch. lib. 7. Moral. c. 4. n. 24. Beneficium autem sæculare curam animarum non habens conferri non potest regulari professo, juxta c. Super eo, de regular. Clement. un. de supplen. negligent. prælat. Imo jure novo neque curata beneficia regularibus conferri, aut commendari possunt, ut dictum est supra in cap. 4.

Sciendum III. Quod nona qualitas est, quod patri filius immediate in eodem, vel omnino simili beneficio succedere non potest, cap. quoniam, cap. ad extirpandas, de filiis Presbyter. Idque ne hæreditariæ successionis species aliqua præsentetur, a qua jura canonica valde abhorrent. Quod vero additum est de beneficio omnino simili, intelligi debet de beneficio eundem titulum, ac jus habente, secundum Hostiens. in summa tit. de filiis Presbyter. §. Qui filii Presbyter. videlicet, si pater fuerat Rector Ecclesiæ parochialis, ea unita Monasterio, filius non potest fieri Vicarius ejus perpetuus, quia eadem est unius Ecclesiæ cura indivisibilis; ideoque licet non omnino idem beneficium sit, quod pater habuit, est tamen omnino simile, quippe ejusdem juris indivisibilis, juxta cap. Michael eod. tit. At vero, ut pater, & filius legitime natus, seu simul, seu successive in eadem Ecclesia diversa beneficia, v. g. Canonicatus ejusdem Ecclesiæ Cathedralis obtineant, omnino permissum, ac nuspiam prohibitum reperitur, juxta text. & DD. in cap. Ad hæc eod. tit.

Sciendum IV. Quod decima qualitas est cœlibatus. Nam conjugatus ad Ecclesiastica beneficia admitti non debet; nisi forte castitatem voveat perpetuam, & qui unam virginem habuerit uxorem, ut dicitur in cap. 2. de Clericis conjug. Adde, si beneficiatus matrimonium contrahat valide, ipso jure amittit beneficium, quippe cum Clericus conjugatus beneficii possidendi incapax sit, perinde ac laicus, sicut colligitur ex cap. 1. & cap. diversis, eod. tit. Quod verum est etiamsi uxor matrimonio non consummato religionem ingrediatur: quia jus semel extinctum non reviviscit, etsi causa extinguendi postea cesset, arg. Clement. gratiæ de rescript. De aliis vero Clericis Ordinum Minorum communis ferme est sent. DD. ipso facto privatos esse beneficio, si matrimonium quamvis invalide contrahant. Sed contraria sent. est probabilis, quam tradit Sanchez, quia invalide contrahens, neque ob tacitam renunciationem jus beneficii amittit, cum nulla renunciatio, nisi facta in manibus Episcoporum, vim suam obtineat, secundum jura: neque amittit ob juris dispositionem, quia canones ipso facto privantes beneficiatum, si uxorem accipiat, loquuntur de matrimonio valido, cum dicatur in cap. 2. de renunciat. cogendum esse contrahentem, ut uxorem retineat. Porro, sicut matrimonio carnali, ita & spirituali, sive religionis professione expressa, vel tacita, ipso jure vacant beneficia antehabita, juxta c. Beneficium, de regular. in 6.

CAPUT XVII.

Quam graviter peccet conferens beneficium Ecclesiasticum indigno.

Deinde considerandum est de conferentibus beneficia Ecclesiastica. Et primo, quam graviter peccet qui beneficium confert indigno. Secundo, utrum beneficia dignioribus conferenda sint. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod mortale peccatum est Ec-

Ecclesiasticum beneficium conferre indigno, si dignus haberi possit, ut ex communi docet Major in 4. dist. 24. q. 4. Quod colligitur tum ex gravitate pœnarum, quæ canonico jure indignæ electioni, & collationi decretæ sunt cap. cum in cunctis, de elect. cap. grave nimis, de præbend. tum ex incommodis, quæ exinde Ecclesiæ accidere solent. Quod, si alicubi dignus reperiri non possit, licebit quandoque ob necessitatem conferre alicui, qui moribus, aut litterarum, & rerum imperitia indignus est, ne si nulli conferatur, gravius malum eveniat, sicuti notavit Less. lib. 2. c. 34. n. 55. Provisus tamen quam primum operam dare debet, ut se dignum, & idoneum reddat, ut bene notat Layman lib. 4. tract. 2. cap. 15. num. 1. Quo præsupposito,

Sciendum II. Plerasque qualitates, quas supra per quatuor cap. enumeravi, adeo in proviso necessarias esse, ut, si earum aliqua desit, provisio non solum illicita, sed etiam ipso jure irrita sit, ut est legitima ætas, & nativitas: item clericatus, & cœlibatus, vel libertas a censuris, & irregularitatibus. Deinde, si quis omnino illiteratus est, ita, ut nec legere quidem sciat litteras latinas; haud dubie ejus electio, aut provisio irrita erit, quia veluti irregularis censetur, juxta cap. ult. de tempor. ordinat. in 6. & cap. illiteratos dist. 36. quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis. Sin vero legere, & scribere sciat, licet non intelligat, valida quidem erit collatio, sicut docet Navar. cap. Si quando, exception. 22. & seqq. de rescript. tamen rescindi debet, præsertim si sit beneficii curati, juxta cap. ult. de ætat. & qualit. & Trident. sess. 7. c. 3. de reform. Multoque magis, si provisus vita, & moribus indignus sit, ut habetur in c. Inter dilectos, de excessib. Prælator. Si autem spes manifesta adsit, provisum brevi tempore scientiam beneficio suo competentem, morumque integritatem acquisiturum esse, quandoque dispensatione tolerari potest.

Sciendum III. Quod invalide provisus tenetur in foro conscienriæ ante omnem Judicis sententiam beneficium resignare. Ita ex communi sent. Sylv. verb. beneficium, 3. n. 20. Navar. c. 27. n. 21. quandoque nullum in beneficio jus habet. Excipe, nisi titulus ei revalidetur per novam legitimam institutionem, præcedente absolutione, vel dispensatione, si canonicum impedimentum habeat. Qua de re videri potest Suar. tom. 5. de censur. d. 13. f. 1. Postquam autem per absolutionem, vel dispensationem impedimentum ablatum est ab eo, qui potestatem habet, tunc collator ordinarius, puta Episcopus (si extra culpam fuit, & Papa manus non apposuit) iterum conferre poterit personæ habili effectæ, ut colligitur ex cap. Postulastis, juncta Gloss. ver. dispensatum, de Clerico excom. ministran. & docet Abb. ibid. n. 8. Si vero impedimentum sit occultum, per absolutionem, & dispensationem eo ipso absque nova collatione revalidatur titulus, secundum doctrinam Innoc. & Hostien. in cap. Innotuit. Addit Sanch. idem sentiendum esse, etsi invalide provisus administrationi se ingesserit, si etiam hoc intrusionis vitium occultum sit.

Sciendum IV. Quod invalide provisus interim donec ei titulus revalidetur, ab administratione beneficii secundum propriam personam abstinere debet, alioquin vitium intrusionis incurrit, ob quod denuo inhabilis fit ad beneficium illud, in quod se intrusit, consequendum. Quamobrem, spectato jure ordinario, in postulatione beneficii a Papa specialis mentio intrusionis fieri debet, alioquin impetratio subreptitia censetur, sicuti docet Abb. in cap. Cum jamdudum n. 3. de præben. Item tenetur invalide provisus beneficii fructus Ecclesiæ restituere, vel successori relinquere, sicuti statuitur in cap. Dilecto filio, in fin. de præben. Excipe, nisi bona fide, scilicet ignorans impedimentum, beneficium possideat; tunc enim tenetur restituere id, in quo factus est ditior, cognita invaliditate: Imo, elapso triennio cum bona fide, jure ipso præscriptionis titulus beneficii validatur non solum in foro externo, ut est certum: sed etiam in foro conscientiæ, ut docent Rebuff. de pacifica possession. n. 10. Navar. consil. 30. de præben. Laym. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 4. & 5. contra Covarr. Excipe secundo, nisi titulus postea revalidetur; tunc enim revalidantur fructus, si Ecclesiæ consuetudo sit, ut vacantis beneficii fructus successori relinquantur, sicuti no-

notant Henriq. Coninch. Sa. Alioquin vero necesse est, una cum tituli revalidatione remissionem, vel compositionem fructuum petere. Qua de re vide Navar. de spoliis Clericor. §. 12.

CAPUT XVIII.

Utrum licitum sit conferre beneficium digno, prætermisso digniori.
S. Tho. quodl. 8. a. 6.

DEinde considerandum est, an beneficia Ecclesiastica dignioribus semper conferenda sint. Circa quod

Sciendum I. Quod aliquis homo potest dici bonus, vel melior altero dupliciter. Uno modo simpliciter, & sic melior est, qui in charitate est perfectior. Alio modo secundum quid: & sic dicitur aliquis melior altero, vel ad militiam, vel ad magisterium, vel ad prælationem, vel aliquid hujusmodi, qui non est melior simpliciter, eo, quod in singulis officiis tam spiritualibus, quam corporalibus requiruntur aliqua præter moralem bonitatem ad hoc, quod aliquis sit idoneus ad illud officium exequendum. Dicendum est ergo, quod oportet eligere ad prælationem, vel Ecclesiasticum officium, aut beneficium aliquem, qui sit bonus simpliciter: quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum: Unde dicit Dionys. in Epist. ad Demophilum monachum, loquens de Sacerdote, qui non est gratia illuminatus: *Non est iste Sacerdos, sed inimicus dolosus, delusor sui ipsius, & lupus supra Dominicum populum, pelle armatus Ovina*. Non tamen oportet, quod semper eligatur ille, qui est melior simpliciter: sed ille, qui sit melior ad hoc officium. Et in hoc sensu jura loquuntur, & præcipue Trident. sess. 24. cap. 18. ad cujus rei evidentiam

Sciendum II. Possibile esse, quod illi, qui est in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris charitatis, inveniuntur, ut sunt scientia, industria, potentia, & alia hujusmodi. Unde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum, qui sit melior ad hoc officium. Si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat. Non enim potest esse, quod de duobus unus alteri præeligatur, nisi propter aliquid in ipso consideratum. Illud autem, quod consideratur in eo, qui est minus idoneus, ad hoc, quod magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliud hujusmodi. Non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem, ex quo alter simpliciter magis idoneus reputatur, & sic indebite movet. Et sic in tali electione erit ibi acceptio personarum, quæ sine peccato non fit, juxta illud Jacob. 2. *Si accipitis personas, peccatum operamini*. Qua de re vide prop. 47. damnatam ab Innoc. XI.

Sciendum III. Quod peccatum acceptationis personarum locum non habet in distributionibus mere gratuitis, quæ ad liberalitatem pertinent, juxta illud Matth. 20. *An non licet mihi, quod volo, facere?* sed solum locum habet in debitis ex justitia, ut dictum est in 2. part. Habito autem respectu ad promovendos, collatio beneficii mera gratia est, cum nemini eorum beneficium proprie debitum sit, sed solum secundum quandam congruitatem conveniat magis idoneo; & ideo proprie dicta injuria ei non fit, si conferatur minus digno. At vero, habito respectu ad bonum statum, & regimen Ecclesiæ, debitum ex justitia est, quod digniores, seu magis idonei ad beneficia Ecclesiastica promoveantur: & ideo proprie dicta injuria fit Ecclesiæ, si in promotione, & electione ad officia, & beneficia, non attendatur ad causam debitam, quæ est idoneitas ad officium, sed ad aliam causam indebitam, & nihil conducentem ad majorem idoneitatem: & in hoc est peccatum acceptationis personarum, quod committitur in promotione minus digni, prætermisso digniore, seu magis idoneo.

Sciendum IV. Quod peccatum acceptationis personarum est mortale ex genere suo, quia est contra charitatem, & ad restitutionem obligat, non quidem ratione sui, sed ratione justitiæ commutativæ, cum tali peccato conjungatur semper læsio juris alieni, cui damnum injustum infertur. In dispensatione autem beneficiorum,

rum, ut dictum est, non læditur jus promovendi, quando hic est dignior, & minus digno postponitur: sed læditur jus Ecclesiæ, eique damnum contra justitiam infertur a collatore, vel electoribus, qui ex officio tenentur bonum Ecclesiæ promovere: & ideo ad restituendum, seu compensandum damnum tenentur, non quidem personæ digniori prætermissæ, quæ nullum habebat jus ad beneficium; sed Ecclesiæ, cujus jus læsum est. Quod quidem damnum esse contra justitiam commutativam in provisione indigni, omnes concedunt: in provisione autem minus digni, negat Adrianus in 4. de restit. conclus. 1. & 2. esse contra justitiam, sed immerito, cum ex officio electores, & collatores teneantur beneficia conferre, non absolute dignis, exclusis indignis: sed dignioribus, prætermissis minus dignis, cum hac solum differentia, quod collatio beneficii facta indigno invalida est etiam in foro externo, secundum jura: facta vero personæ dignæ, posthabita persona digniori, valida est, & ex hoc capite impugnari non potest, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst.63.art.2. ad 3. quia alias omnis electio posset habere calumniam.

Sciendum v. Quod in beneficiis simplicibus non videtur esse peccatum mortale prætermittere digniorem, dummodo qui vere dignus est, & idoneus, instituatur, sicuti docent Sotus, & alii apud Gabriel, quia Ecclesia plerumque non magnum inde detrimentum accipit. Imo Petrus Navar. lib.2. cap.2. Garcias, & alii apud Major in 4. quæst. 9. nullum in ea re peccatum agnoscunt, sed non recte. Siquidem & Ecclesiæ aliquod idcirco commodum decedere solet, & justitia distributiva non nihil violatur; cum beneficia, saltem secundario fine, etiam ob commodum, & gratiam promovendorum, qui de Ecclesia bene merentur, instituta sint. Unde Prælatus Ecclesiasticus non est dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum illud 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*. Quandoque autem consanguinei Prælati sunt æque digni, ut alii, & sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre, quia saltem in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum Ecclesiæ negotia tractent, sicuti notat S. Thom. 2. 2. q.63. art.2. ad 1.

Sciendum vi. Quod, si in fundatione, statuto, vel consuetudine Ecclesiæ requiratur, ut beneficia certo personarum generi, ex tali nobilitate, patria, familia, conferantur, tunc magis idoneus ex tali genere eligendus est, quamvis sufficientiores quandoque alibi invenirentur: quia hujusmodi personæ, ut in pluribus consueverunt esse utiliores quantum ad bonum commune Ecclesiæ, in qua sunt nutriti, ut notat S. Thom. cit. ad 4. Simili ratione probabiliter dicitur, patronum laicum satisfacere plerumque suæ obligationi, si libero præsentandi jure præditus, dignum, & idoneum præsentet, posthabitis extraneis fortasse magis idoneis: siquidem hic specialis favor illi conceditur, ut alicui gratificari possit, & quem voluerit præsentare, dummodo dignum cognoscat, sicut colligitur ex cap. Monasterium 16. quæst. 7. juncta Gloss. ver. ne malus. Et ex Trident. sess. 24. cap. 18. de reformat. Idemque eadem ratione sentiendum esse de resignatore beneficii in gratiam alterius, docent Cajetan. Less. Vasq. Alia vero ratio est de Prælatis, & Patronis Ecclesiasticis, quibus ex officio incumbit Ecclesiæ, quam optime possunt, prospicere, & beneficia ex bonis Ecclesiasticis fundata, sine ulla personarum acceptione, dignioribus conferre, sicuti & Trident. requirit in cit. cap. 18.

CAPUT XIX.

Quibus modis beneficia amittantur, & vacent.

Consequenter considerandum est de modis, quibus beneficia Ecclesiastica amittuntur, aut vacant. Circa quod

Sciendum I. Quod Ecclesiastica beneficia vacant in primis per mortem naturalem beneficiati. Necesse tamen est, ut habuerit jus in re, & quasi dominium beneficii, vel per confirmationem in electivo, vel per acceptationem in collativo; alioquin, si ante confirmationem, vel acceptationem mortuus fuerit, non censebitur beneficium de novo vacare, sicuti anno-

notavit Covar. 3. resol. cap. 26. Secundo ex juris dispositione, ipso facto beneficium vacat, si beneficiatus Episcopatum, vel aliud beneficium incompatibile accepit: vel, si matrimonium contraxit: vel, si religionem professus est: aut, si crimen patravit, ob quod privatio beneficii ipso facto incurritur; quamvis etiam tunc opus sit sententia judicis declarativa criminis, ante quam criminosus non tenetur beneficium dimittere, sicuti ex communi docent Azor. Laym. Henr. Sanch. Præterea, si promotus ad Parochiam, quæ residentiam personalem requirit, intra annum Sacerdotium accipere negligat, ante omnem judicis sententiam dimittere cogitur ex cap. licet, de elect. in 6. Porro alia crimina, quæ ipso facto inducunt Ecclesiastici beneficii privationem, numerantur a Rebuff. in praxi de modis amittendi beneficia.

Sciendum II. Quod amittitur beneficium per Judicis sententiam ob crimen, cui talis inferenda pœna a jure decreta est, ut sunt homicidium, perjurium, receptatio hæreticorum, aut favor, & alia plura, quæ videri possunt apud Rebuff. cit. tit. n. 50. Est autem duplex differentia inter privationem beneficii ipso jure latam, & eam, quæ per judicis sententiam inferenda est. Si enim pœna privationis ipso facto contracta fit, sententia condemnatoria judicis retrotrahitur ad diem commissi criminis: atque non solum omnes fructus ex beneficiis ab illo tempore percepti auferuntur; sed etiam beneficiorum commutatio, vel resignatio in favorem tertii post criminis admissionem facta, rescinditur, sicuti ex communi docent Azor. Sanch. Less. At vero, si beneficium vacare debeat per sententiam a judice ferendam, neque fructus ante percepti condemnato auferri, neque resignatio, aut commutatio beneficii ab eodem facta rescindi potest. Alia differentia est: Si beneficium ob crimen ipso jure alicui adimatur, illud etiam ante declarationem criminis, tanquam jure vacans, impetrari, & criminoso non vocato, conferri potest quoad titulum, non autem quoad possessionem, sicuti notant Azor. & Sanch. Sin vero beneficium per sententiam Judicis ferendam vacet, non potest impetrari, aut auferri antequam privationis sententia in criminosum feratur.

Sciendum III. Quod beneficium vacat per liberam renunciationem, quæ definitur: *Spontanea proprii beneficii dimissio, facta coram legitimo Superiore, id acceptante*. Si enim renunciatio non sit spontanea, sed metu, vel dolo, aut fraude extorta, irrita est, vel saltem irritari debet, juxta cap. Super hoc, de renunciat. cap. ad aures, de his, quæ vi, metusve causa. Insuper requiritur consensus, seu acceptatio Superioris legitimi, cap. admonet. Eod. tit. qui nonnisi justa causa accedente renunciationem admittere debet, juxta Const. Pii V. quæ incipit: Quanta Ecclesia Dei, quæ est 58. Ad religionem vero petita, quamvis non obtenta licentia Superioris, potest quilibet beneficiatus transire, uti docet Gloss. in cap. admonet: Exceptis tamen Episcopis, juxta cap. Nisi pridem, de renunciat. ubi etiam causæ afferuntur, ob quas ejusmodi renunciatio admitti debeat, scilicet, conscientia criminis, defectus corporis, malitia plebis, grave scandalum, & irregularitas personæ. Superior vero legitimus valens admittere renunciationem, dicitur ille solum, qui privare potest beneficio; Plus enim requiritur ad acceptandam renunciationem beneficii, quam ad ejus collationem, ut docet Innoc. in cap. quod in dubiis eod. tit. Porro per renunciationem non minus vacare beneficium censetur, quam per mortem beneficiati, arg. cap. quam periculosum 7. qu. 1. & docet Gloss. in cap. suceptum. Qua de re vide Laym. lib. 4. tr. 2. cap. 17. n. 3. & 4.

Sciendum IV. Quod duplex est renunciatio. Una expressa, seu quæ verbis expressis fit. Altera tacita, quæ fit facto aliquo renunciationem significante, plerumque etiam ex juris dispositione, pura, si beneficiatus matrimonium contrahat, militiæ nomen det, aliud beneficium incompatibile accipiat; si lite super beneficio mota, cedat, vel eam intra tres annos non prosequatur: si post beneficium curatum acceptum, intra annum ad sacerdotium non promoveatur; sicuti latius videre est apud Rebuff. in praxi cit. de tacita resignat. Expressa autem renunciatio iterum duplex est. Una pura, & simplex, quæ fit sine ulla conditione, aut pacto, eaque proprie stricta renunciatio, sive resignatio

gnatio est. Altera vero conditionalis, cujus duæ sunt species: una quæ fit in favorem certæ personæ, id est, cum conditione, ut personæ nominatæ conferatur; & hujusmodi nonnisi coram Papa fieri potest, ut docent DD. cum Gloss. in cap. ex parte 1. de officio legati. Idque Ecclesiarum consuetudo confirmat. Altera fit causa permutationis, cum duo beneficiati unum, vel plura sua beneficia, Papæ non reservata, in manu Ordinarii sui resignant ea conditione, ut postea vicissim alteri alterius beneficium conferatur: Cujusmodi resignationem causa permutationis factam Episcopus ob causam ad bonum Ecclesiæ pertinentem admittere potest, juxta cap. quæsitum, de rerum permut. Nota hic ex reg. Cancellar. de infirmis, quod, si constitutus in infirmitate, beneficium suum quomodocumque in cujuscumque Ordinarii, vel Collatoris manu resignavit; & intra viginti dies sequentes ex infirmitate mortuus est, beneficium non per resignationem, sed per mortem beneficiati vacare censetur, ideoque libere conferri potest, non obstante conditione resignationis apposita. Qua de re vide Rebuffum reg. de infirmis.

CAPUT XX.

De Pensionibus.

Denique considerandum est de pensionibus. Circa quas

Sciendum 1. Quod pensio est certa portio ex alieno beneficio Ecclesiastico ad tempus justa de causa detracta, & separata, ut docet Cardinal. in Clement. 1. de supplen. negl. prælator. Differt autem a beneficio præcipue in duobus. Primo, quod pensio pars quædam juris beneficialium redituum alteri constituta, & designata, ad eum modum, sicuti censum consignatorium, esse veluti partem quandam ususfructus. Secundo beneficium in perpetuum ministrorum usum suapte natura constitutum est: quamobrem morte, vel renunciatione beneficiati vacat, & alteri conferri debet. Pensio autem ad tempus decernitur ita, ut vel renunciatione (quæ etiam sine Superioris auctoritate fieri potest) vel morte pensionarii omnino finiatur; sicuti ususfructus morte usufructuarii, §. finitur, Instit. de usufructu. Quamquam, si necesse sit, postea denuo pensio imponi possit, sicut docent Azor. & Zachus. Nihilominus Papa ex plenitudine potestatis constituere potest, ut pensio præter naturam suam perpetua sit, & de uno ad alterum ejus successorem, vel ad alium quemcumque transferatur, sicut notavit Lessius d. 38. num. ult. Excludimus autem hinc pensiones, seu portiones illas, quæ ex beneficiis deductæ, alicui in titulum beneficii, perpetuæ Vicariæ, aut Commendæ constituuntur: eæ enim portiones proprie dicta beneficia censentur, sicuti notavit Azor. & Garc. Cæteræ autem pensiones supra definitæ beneficiorum appellatione non comprehenduntur, licet in multis cum iis conveniant, quæ clericales pensiones sunt, ut postea dicam.

Sciendum 11. Quod pensio dividitur in laicam, & Clericalem. Pensio laica, seu temporalis dicitur, quæ ob temporalem aliquam causam constituitur, & laico etiam competere potest, v. gr. quæ datur Ecclesiæ Æconomo, Cantori, Patrono, aut defensori. Pensio vero clericalis appellatur, quæ in solos Clericos cadit. Ea iterum duplex est: una simpliciter spiritualis, quia Clerico ob spirituale ministerium datur, v. gr. Concionatori, Episcopi Coadjutori, Vicario Parochi. Altera media, sive mixta, quæ in clericali quidem statu fundatur, tamen non propter spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam, eamque vel lucrosam, ut quæ Clerico pauperi, vel Parocho seni loco alimentorum assignatur: vel onerosam, ut, quia aliquis lite beneficiaria cedit, cap. Nisi, de præben. vel, quia beneficium alteri resignat, servata sibi, cum Episcopi auctoritate, portione, sicuti docet Azorius: vel, quia beneficium suum cum altero tenuiore permutat, arg. cap. ad quæstiones, de rerum permut. Pensio clericalis multum cum beneficiis convenit, nam & jus spirituale est, vel potius annexum spirituali statui, & ferme eisdem modis, quibus beneficium, amittitur, saltem si loquamur de pensione simpliciter spirituali, sicuti notavit Gigas, tract. de pensionib. qu. 54. & seqq. Adde, quod pensioni simpliciter spirituali, seu clericali, ex Const. Pii V. annexa

annexa est obligatio recitandi officium B. Virgin. quamquam hæc constitutio non ubique recepta est, teste Lessio cap. 35. d. 22. n. 129.

Sciendum III. Quod pensiones beneficiis imponere potest Summus Pontifex ob justam causam, cum in beneficiis plenissimam potestatem habeat cap. 2. de præben. in *6.* De Episcopo vero dubitant Doctores. Antiquiores affirmant, ut S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 4. ad 3. Abbas Imol. Verumtamen Less. Tolet. & alii testantur, secundum consuetudinem Curiæ Romanæ id hodie Episcopis non permitti. Sed quidquid sit de hoc; Id negari non potest, in casibus specialibus, ac necessariis, puta, propter paupertatem, senium resignantis, ob litis compositionem, aut ad coæquandos fructus in permutatione beneficiorum, adhuc hodie Episcopo competere pensionem beneficio imponere, quamvis non in perpetuum, neque cum facultate transferendi ad alterum, sed solum ad vitam ejus, cui pensio imponitur, sicut habetur in cap. Nisi essent, de præben. quæst. *6.* & docent Caccialup. Suar. Garc. Navar. Laym. Insuper Episcopus pensionis designationem facere debet ante collationem beneficii ad vitandum periculum pactionis simoniacæ, sicut notavit Gigas quæst. 10. Præterea, cessante causa subtractionis fructuum, iterum beneficia sine diminutione conferri debent, juxta cap. un. ut Eccl. benef. sine diminut. conferantur.

Sciendum VI. Ex communi sent. ut notat Abb. in cap. conquirentes, num. 5. de Cleric. non resident. oportere pensionem moderate designari, ut tantum maneat beneficiato, præsertim Ecclesiæ Rectori, quo commode se sustentare, officiumque misericordiæ erga pauperes, & hospitalitatis erga peregrinos exercere: item jura Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera præstare possit, juxta cap. Cum causam, cap. de Monachis, de præben. Ait vero Corduba lib. 1. qq. qu. 21. d. 2. Consuetum ferme esse, ut nomine pensionis ex beneficiis tertia redituum pars extrahatur. Secundum autem jus commune, pensionarius pro rata pensionis suæ obligatus est ad præstandum subsidium charitativum Episcopo: item collectas cum ordinarias, tum extraordinarias, quæ ob necessitatem, vel publicam causam a Clericis interdum exiguntur, ut docent Rebuff. Navar. Garc. frequentissime tamen pensiones designantur liberæ, & exemptæ ab omni præstatione; idque partim ex consuetudine Romanæ Curiæ, teste Gig. Azor. Partim vero ex voluntate Ordinarii, ipsiusve titularis, sive Rectoris: quod quidem ex litteris constitutæ pensionis cognoscendum est.

TRACTATUS
DUODECIMUS.
De Simonia.

DEinde considerandum est de Simoniæ vitio, quod collationes beneficiorum præcipue contaminare solet, & irritas reddere: de quo S. Thom. agit 2. 2. q. 100. Circa Simoniam autem quinque consideranda sunt. Primo de ejus quidditate. Secundo de ejus materia. Tertio de pretio Simoniaco. Quarto de divisione Simoniæ. Quinto de pœnis Simoniaci. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Simonia. 2. 2. quæst. 100. art. 1.

SImonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, sicuti docet Gloss. communiter recepta in causa 1. quæst. 1. ver. quidem. Ad cujus definitionis evidentiam

Sciendum I. Quod actus aliquis est malus ex genere, eo, quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autem, & venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione. Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari: & ideo Petrus in ipsa sui radice simoniacam pravitatem condemnans, dixit Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Secundo, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus: Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spi-

spiritualium, sed dispensator, secundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde & Dominus dicit Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis: propter quod peccat peccato irreligiositatis.

Sciendum II. Quod omnia vitia opposita justitiæ, & partibus ejus sunt in voluntate, sicut in subjecto, & ideo convenienter simonia, quæ directe opponitur virtuti religionis, per voluntatem definitur. Additur autem, studiosa, ad designandam electionem, quæ principaliter pertinet ad virtutem, & vitium. Subditur vero, emendi, vel vendendi, in quo intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum, vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, ut jura determinant. Malitia enim simoniæ in hoc consistit, quod res spiritualis cum re temporali in commutationem ducatur, perinde ac, si tam vilis esset, ut instar temporalium rerum venalis proponi possit. Dicitur denique: Aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Sicut enim anima vivit secundum se ipsam, corpus autem vivit ex unione animæ: ita etiam quædam sunt spiritualia secundum se ipsa, sicut sacramenta, & alia hujusmodi: quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quod talibus adhæreant. Unde 1. qu. 3. cap. Si quis objecerit, dicitur: *Spiritualia sine corporalibus rebus non proficiunt: sicut nec anima sine corpore vivit*. Neutra autem vendi possunt sine labe simoniæ, sicut ex infra dicendis manifestum fiet.

Sciendum III. Quod simonia, supposita fide, & revelatione donorum supernaturalium, juri naturali adversatur, unde nulla consuetudine potest excusari, ut docet S.Tho. hic a.2. in corp. est enim mala ex genere suo, ut dictum est: & ideo quando Christus Matth. 10. dixit: *Gratis accepistis, gratis date*. Non novum præceptum imposuit; sed quod spiritualium gratiarum naturalis conditio exigit, hoc explicavit, atque præcepit. Unde, sicut dicit S.Tho. hic ad 3. etiam Papa potest incurrere vitium Simoniæ: sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tanto in aliqua persona est gravius, quanto majorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut domini, & possessoris, ut possit illas vendere. Habet ergo plenitudinem potestatis in dispensatione rerum Ecclesiæ, ut gratis det, cui voluerit: non autem, ut vendat contra voluntatem Domini, & contra spiritualium naturam. Nec peccatum simoniæ veniale fieri potest ob parvitatem materiæ, quia in qualibet parva materia tota ratio gravissimæ injuriæ Deo, & rebus sacris irrogatur: imo eo magis crescit ratio irreligiositatis, quo viliori pretio res sacra æstimatur.

Sciendum IV. Quod peccatum simoniæ non solum religioni opponitur, sed etiam justitiæ commutativæ. Qui enim rem temporalem ab altero accipit sine ullo jure accipiendi, imo contra omne jus, is proculdubio injustitiam committit. Dans autem alteri rem spiritualem, vel spirituali annexam pro re temporali, nullum omnino jus habet illam accipiendi, aut retinendi; Non quidem titulo donationis gratuitæ, quia vendit, ut suppono, & titulo onerosо accipit: neque titulo onerosо venditionis, & emptionis, quia talis contractus, seu venditio rei spiritualis pro temporali, ipso jure naturali, divino, & Ecclesiastico irrita est; & per consequens neque dominium rei temporalis transferre potest in venditorem. Unde vendens rem spiritualem, vel spirituali annexam pro temporali, peccat contra justitiam, & ad restituendum pretium tenetur omni jure, ut infra latius dicam. Unde merito damnata fuit ab Alexand. VII. hæc prop. 22. *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*.

CA-

CAPUT II.

De contractu emptionis, & venditionis ad simoniam essentialiter requisito.

NOmine emptionis, & venditionis, quæ ad simoniam essentialiter requiruntur, intelligitur omnis contractus non gratuitus, ut patet ex cap. quam pio, 2. q. 2. cap. tua nos, 1. q. 1. cap. dilectus, 2. in fin. de simonia. Et docet S. Thom. hic a. 1. ad 5. Tunc autem intervenit contractus non gratuitus, quando ex pacto expresso, vel tacito datur spirituale pro temporali: aut temporale acquirendum est motivum conferendi spirituale: sicut ex infra dicendis fiet manifestum. Unde

Sciendum I. Quod, qui gratis aliquid temporale donaret, absque eo quod aliquam obligationem imponeret, nec etiam antidoralem, quamvis ex hoc speraret, & intenderet flectere animum alterius ex benevolentia, & gratitudine ad dandum sibi spirituale, non committeret simoniam: quia quod principaliter intendit ex donatione, est gratitudo, & benevolentia, licet minus principaliter, & ex consequenti, scilicet media gratitudine, & benevolentia, speret, & intendat consequi rem spiritualem. Idem dicendum est de dante rem spiritualem, si solum ex gratitudine speret, & intendat consequi munus temporale, ut docent communiter Doctores. Nam in dicto casu nullum intervenit pactum nec etiam tacitum: nec temporale est motivum dandi spirituale; ideoque non intervenit contractus emptionis, & venditionis. In hujusmodi tamen munerum largitione pro consecutione spiritualium, maxime in collatione beneficiorum, valde consideranda est intentio dantium, & accipientium, nam multoties virtualiter adest pactum implicitum dandi, vel recipiendi temporale ut pretium rei spiritualis, adeoque vendendi, & emendi. Quoties enim, nec ratio stipendii pro debita sacri ministri sustentatione, nec redemptio vexationis injustæ in habente jus in re, nec aliæ extrinsecæ rationes accidentarii laboris, honestæ amicitiæ, propinquitatis, aut alterius hujusmodi, non intervenit, facile est, quod sub titulo gratuitæ donationis palliatur intentio simoniaca, & temporale sit motivum principale dandi spirituale: quæ quidem intentio, attentis circumstantiis, in aliquibus jure præsumitur; in multis vero intuetur a Deo, qui scrutator est cordium, & judex intentionum.

Sciendum II. Quod, si datur munus temporale, ut gratuita compensatio rei spiritualis, aut e contra, simonia committitur sub nomine gratitudinis palliata. Siquidem compensatio commutationem importat rei ad rem, dati ad datum, in quo ratio venditionis, & emptionis consistit. Implicat ergo in terminis, quod temporale detur ut compensatio, & quod sit gratuita, vel non injuriosa rei spirituali, quæ ut dicitur Proverb. 3. *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Similiter simonia est, si temporale est motivum, seu finis movens ad dandum, vel faciendum spirituale, quia spirituale vendere intendit; In qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis. Unde D. Thom. quodl. 8. a. 11. dicit, loquendo de Clerico. *Si hujusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu* (præstandi scilicet officium divinum) *ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario non quasi finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad sui sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat: sed proprie hujusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non alia vice.* Unde merito damnata fuit ab Innoc. XI. hæc propos. 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* Vide etiam prop. 46. damnatam ab eodem Innocent.

Sciendum III. Esse simoniam deducere in pactum antidoralem obligationem dandi spirituale, & accipiendi temporale, v. g. dono tibi hanc pecuniam, ut mihi vicissim ex gratitudine præstare debeas beneficium,

ficium, vel aliam rem spiritualem: aut vice versa, confero tibi gratis beneficium spirituale, ea tamen conditione, ut te obliges ex gratitudine mihi præstare munus aliquod temporale. Ratio est, quia licet alter ex gratitudine naturaliter obligetur libere omnino, & spontanee benefactori vices reddere, ita, ut, si non correspondeat, ingratus sit; non tamen injustus, & infidelis censeatur; Si vero hæc obligatio in pactum deducatur, jam induit naturam contractus onerosi, do, ut des: ita, ut injustus, vel saltem infidelis censeatur, si non præstet, quod promisit: & ex vi talis pacti potest cogi donatarius, quod titulo puræ gratitudinis repugnat, quæ debet esse spontanea; sicut a simili dictum est de usura in 2.p. quapropter damnata fuit ab Innoc. XI. hæc propos. 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solum si exigatur, tanquam ex justitia debitum*. Et quis non videt, quod si hujusmodi pacta essent licita, nulla daretur simonia, & usura: imo potius omnia simoniis, & usuris impune replerentur? Qua de re videSalmant.tr.29. cap.1. in fin. & Laym. lib.4. tr. 10. cap. ult. §.2. n.9. Cæterum negari non potest, quod, si verbis simplicibus sine ullo pacto alteri recordetur, ut sit gratus, non erit simonia: quia illi solum innuitur id, quod naturaliter inest recipienti beneficium, scilicet obligatio gratitudinis; In quo tamen cavendum est semper a tacito pacto, & intentione simoniaca, sicut a pari dictum est de usura.

Sciendum IV. Quod non est simonia conferre alicui beneficium spirituale præcise, & principaliter ob motivum aliquod temporale, quando nihil lucri temporalis inde speratur, aut intenditur, v.gr. Si collator beneficium Ecclesiasticum conferat consanguineo, vel amico, etiam minus digno, vel indigno, præcise, & principaliter ratione consanguinitatis, vel amicitiæ, nullo intetveniente, aut sperato munere, ut expresse tradit S. Thom. a. 5. in hoc receptus ab omnibus. Ratio est, quia non datur spirituale ob motivum, seu finem temporalem consequendum, adeoque non intervenit venditio spiritualis pro temporali: sed solum donatio mere gratuita ex motivo temporali, ex alio capite graviter peccaminoso. Tunc ergo committitur simonia, quando etiam sine pacto datur spirituale pro temporali, ut motivo principali, seu fine intento ad consequendum: quia tunc fiuis se habet ut pretium dationis, seu venditionis rei spiritualis. Et similiter qui dat temporale pro consecutione alicujus spiritualis, simoniam committit: quia intendit emere spirituale temporali pretio, cum datio temporalis rei habeat pro motivo, & fine consequendi rem spiritualem.

Sciendum V. Quod regnum cœlorum, quo nihil spiritualius, dicitur emi, cum quis dat, quod habet, propter Deum, large sumpto nomine emptionis, secundum quod accipitur pro merito, quod tamen non pertingit ad perfectam rationem emptionis propter duo: sicuti notat S. Thom. hic a. 1. ad 3. Primo, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis, nec aliqua nostra dona, vel opera, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ut dicitur Rom. 8. Secundo, quia meritum non consistit principaliter in exteriori dono, vel actu, vel passione, sed in interiori affectu charitatis. Addi potest, quod Deus est Dominus rerum spiritualium, sicut & corporalium; & ideo, si illas venderet, nulli injuriam faceret; licet illas vendere non possit, cum nihil ei solvi possit ab aliquo, quod Dei, & a Deo non sit, adeoque ei omni titulo debitum: unde & meritum, & præmium dona Dei sunt, qui ex abundantia suæ bonitatis vult dona sua esse merita nostra. Homo autem non est dominus rerum spiritualium, ut possit illas vendere, nec in comparatione, & æstimatione rerum temporalium venire possunt, adeoque invendibilia sunt.

CAPUT III.

Utrum semper sit illicitum pro sacramentis pecuniam dare. 2.2. q. 106. a. 2.

Deinde considerandum est de rebus spiritualibus, quæ sunt materia indebita venditionis, & emptionis in contractu simoniaco. Et primo considerandum est de sacramentis. Circa quod

Sciendum I. Quod sacramenta novæ legis

gis sunt maxime spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & ejus rationi repugnat, quod non gratuite detur. Dispensantur autem sacramenta per Ecclesiæ ministros, quos oportet a populo sustentari, ut dicitur I. ad Cor. 9. Sic ergo dicendum est, quod accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cujus pretium potest pecunia æstimari, ut Philosoph. dicit in 3. Ethic. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant secundum Ecclesiæ ordinationem, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium mercedis: sed tamquam stipendium necessitatis. Unde super illud I. ad Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri, dicit Gloss. Aug. *Accipiant sustentationem necessitatis a populo: mercedem dispensationis a Domino*. Unde

Sciendum II. Quod in casu necessitatis quilibet potest baptizare. Et, quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset, qui baptizaret. Unde ille, qui gerit curam pueri, in tali casu licite potest eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari. Posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari: Quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex sacramento deesset. Sacerdos vero celebrans Missam non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ, hoc enim esset simoniacum: sed quasi stipendium suæ sustentationis, ut dictum est. Similiter pecunia non exigitur ab eo, qui absolvitur ab excommunicatione, quasi pretium absolutionis: hoc enim esset simoniacum; sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.

Sciendum III. Quod, sicut dictum est, consuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino, quo simonia prohibetur. Et ideo, si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia, & præcipue, si ab invito exigantur. Si vero exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia, si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, & præcipue quando aliquis voluntarie solvit. In his tamen omnibus solicite cavendum est, quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis; secundum illud Apost. I. ad Thess. ult. *Ab omni specie mali abstinete vos*. Propter quod in jure pluribus in locis, & præcipue in Trident. sess. 21. c. 1. prohibitum est aliquid dare, vel accipere in collatione Ordinis, exceptis notariis Episcopi, quando salarium non est eis constitutum, qui decimam partem aurei pro sustentatione, & in stipendium possunt accipere.

Sciendum IV. Quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam alicui jus acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere, ut omnes concedunt cum D. Thom. in præsenti ar. ad 5. Universaliter enim verum est, quod unusquisque potest licite a se abjicere injustum, quod patitur, cum hoc nihil aliud sit, quam uti iniquitate parati, imo facientis iniquitatem, ad proprium bonum necessarium, & hoc est redimere vexationem injustam. Unde infert Cajet. quod habens curam infantis, quando est in extrema necessitate, & nullus sit, qui possit baptizare, nec ipse possit baptizare, puta, quia est mutus, potest pecunia oblata, vexationem injustam redimere a Sacerdote iniquo nolente baptizare sine pretio: non autem, si sit adultus, quia potest per baptismum flaminis salvari.

Sciendum v. Quod Petrus de Palude in 4. d. 5. distinguit inter vexatores injustos. Nam quidam sunt, qui facto possunt obesse, & de jure non possunt prodesse: & ab istis licitum est redimere suam vexationem injustam, ut patet cum quis electus in Episcopum redimit suam vexationem a perturbatoribus de facto, qui nihil possunt juris conferre. Quidam vero sunt, qui & facto obesse, & jure prodesse possunt, & ab istis non licet redimere vexationem, ut patet in exemplo confirmatoris. Nam, si confirmator vexaret electum nolendo eum confirmare, non liceret ei pecuniam dare. Et ratio diversitatis est, quia isti dando, pararet sibi viam acquirendi Episcopatum, qui a confirmatore datur. Et simile est de puero morituro, quia baptizator confert characterem baptizando, unde non habet locum redemptio vexationis. Hæc doctrina Paludani amplectenda est communiter in adultis, in quibus non datur talis necessitas, qualis in puero morituro sine baptismo, ac proinde potest prudenter præsumi, quod non tam pro vexationis redemptione, quam pro consecutione spiritualis officii pecunia detur.

Sciendum VI. Quod quidam dixerunt, quod pro matrimonio licet pecuniam dare, ut refert S. Tho. ad 6. quia in eo non confertur gratia. Sed quia in Trident. jam definitum est, omnia novæ legis sacramenta gratiam conferre, quam significant; ideo aliter dicendum est, quod matrimonium non solum est Ecclesiæ sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio, in quantum est naturæ officium, licitum est: in quantum vero est Ecclesiæ sacramentum, est illicitum; & ideo secundum jura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur: sicut nec pro aliis sacramentalibus, aut materia proxima sacramentorum; ut patet ex cap. cum in Ecclesia, de simonia, cap. nemo presbyter. cap. baptizandis, eod. tit.

CAPUT IV.

Utrum liceat dare, & accipere pecuniam pro spiritualibus actibus. q. 100. a. 3.

Dicitur 1. q. 1. cap. *Quidquid invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus, vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet*. Hujusmodi autem sunt actus spirituales. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam: ita etiam quædam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt, & ad eam disponunt, quæ tamen per hominis ministerium exhibentur, quos oportet a populo sustentari, cui spiritualia administrant, secundum illud 1. ad Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et ideo vendere, quod spirituale est in hujusmodi actibus, aut emere, simoniacum est. Sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudine approbatam, licitum est: ita tamen, quod semper desit intentio emptionis, & venditionis, & quod ab invitis non exigantur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda, hoc enim haberet quandam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus, & valentibus solvere, auctoritate superiori interveniente. Unde

Sciendum II. Quod illi, qui dant eleemosynas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere: sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis, & ex charitate orent. Prædicantibus etiam temporalia debentur ad sustentationem prædicantium: non autem ad emendum prædicationis verbum. Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Ecclesiastici officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro processionibus

nibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ recipiuntur. Si autem hujusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simoniacum esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale statutum, præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis: secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis.

Sciendum III. Quod ille, cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione: & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex reditibus Ecclesiæ. Et ideo, si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii debet impendere: sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. Et propter hoc non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere. Nec etiam per hoc, quod vices suas committunt, nec etiam pro hoc, quod subditos suos corrigant, vel a corrigendo desistant. Licet autem eis accipere procurationes, quando subditos visitant, non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium. Ille autem, qui habet scientiam, & non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, licite potest pretium suæ doctrinæ, vel consilii accipere; non quasi veritatem, aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, unde graviter peccaret.

Sciendum IV. Quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere, quasi pretium: licet autem, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere: sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu Monasterii, ut habetur 1. q. 2. cap. Quam pio. Ubi nota, quod licitum est muneribus alium allicere, ut ex benevolentia, aut gratitudine actum spiritualem præstet, vel spirituale beneficium conferat, dummodo sine ullo pacto etiam implicito id fiat, & sine intentione emendi spirituale.

Sciendum V. Ex doctrina Cajet. Quod quidam actus sunt mixti, ex spirituali, & temporali, in quibus principale quæsitum est id, quod est temporale: quidam vero, in quibus principale quæsitum est id, quod est spirituale. Et juxta hanc distinctionem dicendum est, quod illi actus, in quibus principale quæsitum est temporale, possunt licite sub pacto poni: illi autem, in quibus spirituale est principale quæsitum, non possunt sub pacto poni absque simonia, licet possit exigi stipendium sustentationis, quando est taxatum secundum ordinationem Ecclesiæ, aut consuetudinem approbatam, præstito tamen prius gratis actu spirituali. Ratio utriusque est, quia accessorium sequitur principale, ita, quod non æstimatur utrobique illud accessorium, sed concomitanter se habet ad principale. Unde habetur ratio, quare organistæ, musici cantores in Ecclesiis, Advocati, Magistri scientiarum, & Ministri exercentes opera misericordiæ corporalia, licite locare possint opera sua, & de mercede debita pacisci: quia in eorum operibus principale, quod quæritur, est temporale, puta auxilium, defensio, dulcedo, cantus: spirituale autem, quod est accessorium, solum concomitanter se habet, & nec æstimatur, nec venditur.

Sciendum VI. E contra actus prædicandi, Evangelium canendi, & omnes actus Ordinum, & jurisdictionis spiritualis exercitium, sub pacto cadere non possunt absque simonia: quia principale in eis, quod quæritur, spirituale est: temporale vero acces-

accessorium, quod non æstimatur, aut venditur. Unde pro his actibus non potest licite accipi stipendium locatarum operarum, seu mercedis. Labor tamen itineris in Prædicatore, & Capellano obligato ad celebrandum statutis diebus, locis, & horis, quia non est de intrinseca ratione actus spiritualis, & mere accidentaliter se habet ad illam, cadit sub æstimatione, & de eo potest licite pacisci, sicuti de expensis itineris. De stipendio autem debitæ sustentationis pro ministratione spiritualium, quando non est taxatum, pacisci non potest secundum jura, & doctrinam D. Thomæ, quia habet speciem exactionis: poterit tamen minister, si pauper sit, petere dicendo, si debeo ministrare, opus habeo sustentatione congrua, ut notat Cajet.

CAPUT V.

Utrum liceat pecuniam accipere pro his, quæ sunt spiritualibus annexa.
2. 2. q. 100. a. 5.

Dicit Paschalis Papa, & habetur 1. q. 3. cap. Si quis objecerit: *Si quis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus ergo vendat Ecclesiam, vel præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum.* Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod aliquid potest esse annexum spiritualibus dupliciter. Uno modo, sicut ex spiritualibus dependens, sicut habere beneficia Ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum: quia non competit, nisi habenti officium Clericale: unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. Qua de re vide prop. 22. damn. ab Alexand. VII. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur: sicut jus patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica beneficia, & vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum: unde hujusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ex ordine temporis præcedunt. Et ideo aliquo modo vendi possunt, non autem, in quantum sunt spiritualibus annexa. Qua doctrina præsupposita

Sciendum II. Quod omnia temporalia annectuntur spiritualibus, sicut fini. Et ideo ipsa quidem temporalia vendere licet: sed ordo eorum ad spiritualia sub venditione cadere non debet. Unde vasa sacra quantum ad eorum materiam pro necessitate Ecclesiæ, & pauperum vendi possunt: sed eorum consecratio vendi non debet; & ideo præmissa oratione prius confringuntur, quia post confractionem non intelliguntur esse vasa sacra, sed purum metallum. Similiter etiam licitum est terram, ubi quondam fuit Ecclesia, vendere, aut emere in casu necessitatis, sicut vasa sacra. Jus autem patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari, quia per se ordinatur ad aliquid spirituale, imo consistit in ipso ordine ad spirituale: sed transit cum villa, quæ venditur, vel conceditur. Jus autem spirituale accipiendi decimas non conceditur laicis, sed tantummodo res temporales, quæ nomine decimæ dantur, & vendi possunt sine simonia.

Sciendum III. Circa collationem beneficiorum, quod, si Episcopus ab eo, cui beneficium confert, requirit aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficii, idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio simoniæ. Si vero Episcopus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios usus expendendum, non est illicitum: & in tali casu vendere jus ad talem portionem fructuum percipiendam, non erit simonia, quia tale jus jam est separatum a beneficio, adeoque mere temporale est. Hoc tamen de jure antiquo, quia post bullam Pii V. in qua omnes pensionarii obligantur ad officium B. Virg. recitandum, adeoque officium spirituale eis annexum est, non possunt sine simonia vendi, aut redimi, sicuti docent Cajet. Laym. Sot. Salmant.

Sciendum IV. Quod Commendæ spirituales, quæ in Ordinibus militaribus Clericis conferuntur propter officium spirituale exercendum, non possunt vendi, sicut & beneficia Ecclesiastica, sine labe simoniæ. Sed Commendæ temporales ordinatæ ad militandum, & habitus harum Religiosorum, qui militiæ incumbunt, possunt vendi

di fine fimonia : quia in eis principale, quod attenditur, eft honorificum temporale, & ad finem temporalem proxime ordinatum, licet aliquam fpiritualitatem de confequenti habeant annexam. Non poffunt tamen vendi fine injuftitia, attenta mente teftatorum, earumque inftitutione, nifi ex auctoritate Summi Pontificis, ob bonum publicum. Ita Lez. Suar. Rodriq. Pal. Salmant.

CAPUT VI.

De Simonia, quæ committitur in beneficiis Ecclefiafticis.

DEinde fpecialiter confiderandum eft de Simonia, quæ committitur in beneficiis Ecclefiafticis. Circa quod

Sciendum 1. Quod quamvis fpectata rerum natura fimoniacum non fit beneficium cum beneficio permutare, cum utrumque fpirituale fit; ideoque cum legitima auctoritate prælati fieri poffit, juxta cap. Ad quæftiones, de rerum permut. & Clement. un. eod. tit. ficut docet S. Thom. hic a.1. ad 5. Si tamen privata partium conventione fiat, periculum eft fimoniacæ intentionis, ut notavit Navar. c. 23. Quam ob rem pofitivo jure omnis ejufmodi pactio circa beneficia Ecclefiaftica, tanquam fimoniaca prohibetur, & irrita declaratur in cap. quæfitum, cap. cum univerforum, de rerum permut. cap. quam pio, 1.q.2. cap. Cum pridem, cap.ult. de pactis. Similiter fimoniacæ cenferi debent omnes pactiones, feu commutationes, quæ fiunt circa actiones, aut jura inchoata, & neceffaria ad beneficiorum confecutionem: Item commutationes illæ, quæ funt circa quæcumque fpiritualia, quibus temporale aliquod annexum eft confequenter, licet proprie beneficia Ecclefiaftica non fint, ut habetur in cap. cum effent, de fimonia, & cap. de hoc, eod. Verumtamen nihil obftare videtur, quominus partes prius inter fe tractare, & convenire poffint de permutatione facienda cum conditione relata ad confenfum Epifcopi, in cujus manu beneficia refignare velint gratia permutationis; ficuti colligitur ex cap. ult. de permut. & cit. Clem. un. & docent Abb. Navar. Suar. Laym.

Sciendum 11. Quod beneficium cum penfione fpirituali in titulum beneficii erecta, cum Ordinarii auctoritate permutari poteft, ut ex communi docet Suar. quia talis penfio vere beneficium eft. Epifcopus autem jure ordinario non poteft approbare permutationem beneficii cum penfione etiam Clericali, quæ non eft beneficium, ut docent Suarez, Laym. Si vero penfio fit mere temporalis, erit fimonia juris divini, & naturalis beneficium cum illa commutare: Unde nec Summus Pontifex poteft hanc permutationem facere per viam commutationis, fed alia via refignationis fcilicet beneficii, & penfionis, & translationis perfonarum, utendo poteftate fupremi difpenfatoris ficut explicant Salmant. His adde, fimoniam fore, fi partes permutaturæ, aut refignaturæ beneficium, inter fe privatim pacifcantur de expenfis ab uno eorum faciendis, ficuti ex communi notat Suar. præterquam quatenus expenfæ de jure ab aliquo faciendæ funt, juxta receptam regulam: Quod de jure, feu ex juftitia fieri oportet, id ipfum in pactum deduci poteft abfque vitio fimoniæ, ut notat Laym. lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 1. num. 13.

Sciendum 111. Quod in beneficiorum permutatione fimonia eft fructuum inæqualitatem pecunia, vel penfione annua ex pinguiori beneficio detracta compenfare, etiamfi hoc fiat auctoritate fuperioris, ut docent Abb. Adrian. Navar. Vafq. Suar. Covar. contra Ang. Sylv. & Leff. Ratio eft, quia fructus, five reditus beneficiales ita funt annexi beneficiali titulo fpirituali, ut nemini deberi poffint, nifi ratione fpiritualis præftiti officii: confequenter, qui reditus beneficiales emit, ipfum titulum, five jus officii emere convincitur. Quare ad evitandam fimoniam neceffe eft, reditus a fpirituali titulo prius feparari, quam in contractum, feu commutationem pro pecunia venire poffint. Cum autem talis feparandi facultas Epifcopo jure ordinario non competat, arg. cap. Nifi effent, de præben. Sequitur, quod a Superiore approbari non poffit, ut uberioris beneficii fructus pecunia compenfentur. Poteft tamen Papa imponere penfionem beneficio pinguiori folvendam alteri, qui minus pingue beneficium accipit, quod ipfum ju-

re ordinario Episcopo concessum non est.

Sciendum IV. Quod eodem modo loquitur S. Thom. cit. de transactione, ac permutatione, quia transactio quædam species permutationis est, & ad eam reducitur, cum sit portio non gratuita de re dubia, & lite incerta, ad litem dirimendam: seu, cum in lite dubia aliquid remittitur, altero retento, aut vicissim petito, l. 1. ff. de transact. Quare differt a remissione gratuita, quæ etiam amicabilis compositio appellatur cap. super eo, de transact. Nam qui ita paciscitur donationis causa, rem certam, & indubitatam remittit, cit. l. 1. Ut, si aliquis lite, quam juste movere potest, gratis cedat, omnemque actionem remittat: vel, si creditor, cui aliquando jure centum debentur, exactis octoginta, viginti remittat: vel, si Summus Pontifex, parte debitorum incertorum condonata, reliquam in pias causas erogari præcipiat; censeri non debent proprie transactiones, sed liberales compositiones, ut dictum est in part. 2.

Sciendum V. Certum esse, quod orta lite de Ecclesiastico beneficio, vel alia re spirituali, non prohibentur partes gratis, & amicabiliter inter se componere, ut expresse habetur in cit. cap. Super eo. Et non requiritur superioris auctoritas, ut docet Abb. ibid. præterquam, si oporteat possessorem beneficii illud dimittere, quod sine superioris auctoritate fieri non potest, sicuti habetur in cap. Admonet, cap. Quod in dubiis de renunciat. & videri potest Ugol. tab. 1. cap. 29. Item certum est, quod transactio est simoniaca, in qua ex una parte beneficium Ecclesiasticum, ex altera vero parte res temporalis datur, remittitur, retinetur, ut habetur expresse in cap. Cum pridem, de pactis, cap. super eo, cap. constitutus, de transact. cap. 2. de arbitris. Ratio est, quia transactio est species quædam commutationis, ut dictum est, adeoque est contractus reciprocus: spiritualia autem cum temporalibus commutari non possunt absque vitio simoniæ.

Sciendum VI. Quod quamvis controversiæ, quæ circa alias res, vel jura spiritualia versantur, terminari possint offerendo, vel retinendo aliud spirituale, id tamen concessum non est in materia beneficiali, nisi prælati auctoritas intercedat. Verum, cum Prælati, aut Judicis Ecclesiastici auctoritate, perinde ac permutatio, ita & transactio in beneficiis justa de causa fieri potest, designando etiam annuam pensionem ex beneficii reditibus solvendam ei, qui alteri beneficium relinquit, sicuti constat ex cap. Nisi essent. Et ex cap. 2. de arbitris. Notant tamen Doctores, pensionem, aliamve præstationem temporalem solum providentia Prælati, Judicis, aut Arbitri propter bonum pacis resignari posse: non item, si partium litigantium pactio, aut inchoata transactio antecessit, sicuti colligitur ex cap. cum pridem, de præben. Si tamen agatur, non de sola temporalitate, sed de pensione aliquo modo spirituali, & naturam beneficii participante, tunc nihil obstare videtur, quod partes inter se conveniant, eamque conventionem Episcopo confirmandam offerant, sicut dictum est de permutatione beneficiorum.

Sciendum VII. Quod præstatio mere temporalis facta auctoritate prælati ad componendas controversias in materia beneficiali, non potest fieri, tanquam in compensationem dubii juris, quod pars alia ad beneficium habet, alias simoniæ vitio non careret, quia spirituale cum temporali compensaretur. Verum aliis de causis, seu titulis adjudicari potest parti, quæ a lite beneficiaria recedit, videlicet in compensationem laborum, & expensarum, quas in litigando frustra faceret, vel ad necessariam sustentationem personæ quæ a jure, & actione desistit, ac denique in bonum pacis, & concordiæ, quæ ipsi etiam transigenti utilis est, adeoque pretio æstimabilis. Ita Suar. Abb. Laym.

Sciendum VIII. Quod renunciatio, quæ est abdicatio voluntaria, qua quis dimittit beneficium in manibus Prælati, quatuor modis fieri potest. Primo pure, & absolute, id est, sine onere pensionis, & sine designatione personæ, cui conferatur. Secundo pure, sed non absolute, idest, sine onere pensionis, sed cum conditione expressa, ut detur tali personæ, & non alio modo, neque aliter. Tertio, nec absolute, nec pure, sed sub conditione, ut detur tali personæ, & cum onere pensionis. Quarto absolute, sed non pure, quia sine designatione personæ, sed cum designatio-

ne

ne oneris, vel pensionis. Primo modo licita est, & potest fieri in manibus Ordinarii, qui illud beneficium conferre potest. Tertio modo illicita est, & simoniaca, si fiat in manibus Ordinarii Papa inferioris. Quarto modo licita est, si pensio fuerit spiritualis, & probabile est posse fieri in manibus Ordinarii, quia Episcopus ex justa causa potest pensionem spiritualem beneficiis imponere, ut docent Gigas, Felin. Decius, Terol. Alii id negant, quia ex Constit. Pii V. quæ incipit: Intolerabilis: adempta est Episcopis omnis potestas pensiones creandi. Sic Bonac. Azor. Salmant. Remanet dubium de secundo modo. Circa quod

Sciendum IX. Quod renunciatio, quæ fit sine onere pensionis, sed cum conditione, ut beneficium detur determinatæ personæ, & non aliter, non est simoniaca ex jure divino, quia non datur spirituale pro temporali, ut per se patet: prohibetur tamen fieri in manibus Episcoporum, aut aliorum Papa inferiorum, ut patet ex stylo Curiæ: & ideo aliqui dicunt esse simoniacam ex jure Ecclesiastico, si fiat in manibus Episcopi, vel alterius Prælati. Ita Sylv. Rodr. Flaminius. Alii id negant, quia non intervenit pactum, nec Ordinarius coarctatur ad admittendam renunciationem. Ita Valen. Less. Alii denique dicunt, quod, si præcedat pactum cum Episcopo, ut ipse acceptet cum illa conditione, erit simonia: quia omnis pactio circa beneficia prohibita est. Si vero non interveniat pactio, non erit simonia. Sic Sanch. Bonac. Sot. Villal. Salmant. Erit tamen quoddam injustitiæ, & sacrilegii genus, quia res sacras disponere vult contra jura, ac si esset dominus; adeoque poterit Episcopus, ob crimen in tali resignatione attentata commissum, eum tali beneficio privare, & alteri conferre, ut notat Innoc. in cap. Quod in dubiis. Si tamen talis resignatio fiat sine ullo pacto, aut conditione rigorosa, sed rogando Episcopum, ut tali personæ conferat, tunc se habet ut simplex renunciatio, adeoque non est prohibita, ut docent Navar. Azor. Pal. Guttier. Hujusmodi vero renunciationes cum rigorosa conditione factæ nullo modo admitti possunt ab Episcopo, etiam rejecta conditione, ut turpi; sicuti docent Rebuff. Suarez, Garcia, contra Arag. Covarruv. Sanch. Sotus.

CAPUT VII.

De Simonia Confidentiæ.

Specialis hæc simonia a Summis Pontificibus Pio IV. in bulla, quæ incipit, Romanum Pontificem: & Pio V. in bulla, quæ incipit, Intolerabilis, damnata est, contra eos, qui beneficium Ecclesiasticum simplex, aut curatum, regulare, aut sæculare, alicui procurant, eligendo, præsentando, confirmando, instituendo, resignando, cum certa confidentia, id est expresso, aut tacito pacto, ut is, cui procurator, elapso aliquo tempore, illi ipsi, qui procuraverat, vel alteri resignet, vel pensionem, aut fructus ex eo præstet. Ad cujus simoniæ notitiam

Sciendum I. Quod quatuor modi simoniæ confidentialis distingui solent. Primus dicitur Accessus, habetque locum in eo, qui ad beneficii Ecclesiastici provisionem concurrit eligendo, præsentando, aut confirmando, si id agat cum certa confidentia, id est, pactione aliqua intercedente, ut beneficium postea ipsimet, vel alteri resignetur, puta nepoti. Secundus dicitur Regressus, habetque locum in eo, qui renunciat beneficium in favorem alterius cum certa confidentia, seu pacto, quod postea tempore conveniente ad ipsum renunciantem, vel aliam personam, v. gr. consanguineum ejus, idem beneficium regressurum sit. Quorum modorum Simoniæ mentio fit in Trident. sess. 25. c. 7. de reform. atque idcirco sactis constitntionibus adversari dicuntur, quia hæreditariæ successionis imaginem referunt.

Sciendum II. Quod tertius modus simoniæ confidentialis dicitur Ingressus, quando scilicet aliquis beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, alteri renunciat ea confidentia, seu pacto, ut postea ejus possessionem iterum ingrediatur, si is, cui resignaverat, mortuus fuerit, vel fiat, v. g. Episcopus. Quod in fraudem ab iis fieri posset, qui ad beneficium retinendum inhabiles, illud alioquin dimittere deberent; sicuti optime declaravit Ugolin. cap. 22. §. 2. . . . Quartus modus, tam in renunciante

ciante beneficium, quam in conferente, eligente, confirmante, aut præsentante, locum habere potest, si illud alicui obvenire faciat, cum pacto, ut ex eo pensio ipsi renuncianti, aut conferenti, vel alteri personæ solvatur. Verum Navar. & Ugolin. existimant non esse simoniam confidentiæ, si pensio ipsi dimittenti, vel procuranti designetur: sed solum, si alteri personæ: sicuti colligitur ex verbis bullæ Pii V.

Sciendum III. Ex Suar. cap. 43. n. 11. Non committi simoniam confidentialem, sed aliam communem simoniam, si aliqui permutent inter se beneficia cum confidentia, seu pacto regrediendi, vel eadem resignandi aliis, v. g. consanguineis. Nam Pontifices absolute loquuntur de renunciantibus, seu cedentibus, quo nomine, præsertim in materia tam odiosa, ac pœnali, intelligi non debent permutantes beneficia. Secus autem esse videtur, si ipse Episcopus permittens talem permutationem paciscatur de parte fructuum inde suo consanguineo, v. g. pendenda.

Sciendum IV. Quod, si pactum interveniat, non ut idem beneficium, quod Titius contulerat Cajo: sed aliud aliquod beneficium resignetur consanguineo collatoris: Item, si quis, tamquam mediator existens, sibi procuraverit beneficium a collatore, aut præsentatore, cum pacto, ut idem, vel aliud beneficium aliquando resignaretur procuranti, seu mediatori; non committeretur in his casibus simonia confidentialis. Quandoquidem non comprehenduntur sub speciebus supra enumeratis: nihilominus incurreretur communis simonia. Qua de re vide Laym. lib. 4. tr. 10. cap. ult. §. 8. Navar. c. 23. n. 110.

CAPUT VIII.

Utrum liceat spiritualia dare pro munere, quod est ab obsequio, vel a lingua.
2. 2. quæst. 100. art. 5.

Consequenter considerandum est de his, quæ habent rationem pretii in contractu simoniaco. Ad cujus notitiam

Sciendum I. Quod nomine pecuniæ, sicut supra dictum est, intelligitur cujuscumque pretium, quod pecunia mensurari potest. Manifestum est autem, quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari, unde pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac, si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam, quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo, sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu: ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio. Unde Urban. II. relatus causa 1. q. 3. cap. Salvator, dicit: *Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, simoniacus est.* Unde

Sciendum II. Quod, si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum (puta, ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium) ex ipsa devotione obsequii reditur dignus Ecclesiastico beneficio, sicut & propter alia bona opera: unde non intelligitur esse munus ab obsequio, & in hoc casu loquitur Gregor. in registro lib. 2. cap. 57. dicens: *Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere.* Si vero sit in honestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum (puta, quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi) erit munus ab obsequio, & est simoniacum. Unde colliges, quod munus ab obsequio non importat obsequium præcise; sed obsequium indebitum, id est, vel illicitum, vel ad carnalia ordinatum, etiam quod alias de se est licitum. Nam beneficia Ecclesiastica instituta sunt pro sustentatione eorum, qui deserviunt Ecclesiæ, non pro mercede operariorum hujus sæculi.

Sciendum III. Quod, si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen simoniaca: quia nihil

nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, vel pro ipsis apud principem intercedat; vel ut eorum causam, etiamsi justam, in judicio sine alio salario, sive mercede, patrocinetur: vel gratis serviat ad eorum utilitatem temporalem, est manifesta simonia: quia aliquid temporale accipitur pro re spirituali, quæ datur, quod pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur simonia. Aliud ergo est conferre spirituale alicui propter carnalem affectionem: aliud propter obsequium exhibitum, vel exhibendum, ad carnalia ordinatum. Primum non est simonia, quia est gratuita donatio. Secundum est simonia, quia est emptio, & venditio spiritualis pro temporali pretio.

Sciendum IV. Quod munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit: vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo, si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit: quia dat spirituale pro acquirenda utilitate temporali. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem pro digno preces porrigantur, ipsum factum non est simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur: tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno: licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum. Unde colliges, quod, sicut munus ab obsequio intelligitur pro obsequio indebito: ita munus a lingua intelligitur pro precibus, & laudibus pro indigno porrectis.

Sciendum V. Quod hypocrita non dat aliquid spirituale propter laudem: sed solum demonstrat, & simulando magis furtive surripit laudem humanam, quam emat. Unde non videtur pertinere ad vitium simoniæ. Non ergo simonia contrahitur per munus a lingua, si aliquid neque detur, neque ematur ab ipso, qui consequitur munus a lingua, id est laudem humanam, nam simonia includit emptionem, & venditionem, & in ipsa fundatur. Similiter non est simoniacum alicui promittere, aut donare, vel legare rem temporalem sub conditione, aut modo, ut obsequium spirituale præstetur: ut, si parentes filiis munera promittant, ut Sacramenta frequentent: si fidelis donet, aut promittat aliquid infideli, ut baptismum suscipiat: si puellæ dotem, ut religionem ingrediatur: quia non intervenit in his casibus contractus onerosus, quo alteri obligatio imponatur, sed solum donatio liberalis ad alliciendum ad opus bonum, quod non cedit in utilitatem dantis, sed potius recipientis. Si autem conditio, vel modus adjectus esset, ut aliquid præstaretur, vel fieret in utilitatem dantis, promittentis, vel alterius personæ, ut do tibi nummos, ut religionem ingrediaris, ex quo ingressu majoratus filio donantis proveniat, vel familia a fœmina liberetur, tunc erit simonia, quia conditio, vel modus transit in contractum, & commutationem. Imo quotiescumque pactum intervenit dandi temporale, ut fiat spirituale, vel e contra faciendi, vel dandi spirituale, ut fiat temporale, etiam si non cedat in utilitatem dantis, vel recipientis, simonia committitur: quia contractus onerosus intervenit, seu emptio, & venditio.

Sciendum VI. Quod tradita divisio pretii simoniaci in munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio, sufficiens est, & adæquata: ut communiter Doctores fatentur contra Major. in 4. d. 23. q. 3. Siquidem omnia bona, & utilitates temporales, seu externæ, quæ in commutationem venire possunt, vel ad bona fortunæ, seu divitias pertinent: vel per verba, seu quælibet signa sensibilia obtineri possunt, vel denique per alia corporis membra, seu obsequia personalia consequuntur. Ad simoniam enim non sufficit dare spirituale, & accipere temporale ob amicitiam, consanguinitatem, aut aliam quamcumque causam: sed requiritur, quod temporale detur,

detur, aut intendatur ut pretium rei spiritualis, ad quod requiritur pactio reciproca, & obligatio expressa, vel tacita, vel saltem intentio emendi, aut vendendi: sicut satis constat ex dictis. Quidquid autem temporale munus habet rationem pretii, seu dari potest ut pretium rei spiritualis, ad supra dicta tria membra reducitur.

CAPUT IX.

De Divisione Simoniæ.

CONsequenter ad ea quæ pertinent ad quidditatem contractus simoniaci, considerandum est de divisione simoniæ. Circa quod

Sciendum I. Quod dividitur primo simonia in eam, quæ est prohibita, quia mala: & in eam, quæ est mala, quia prohibita. Ita docet Glossa communiter recepta in cap. ex parte I. ver. remittere, de officio delegati. Ibique DD. sensus divisionis est, quod alia simonia sit, quæ juri naturali, ac divino repugnat: alia vero, quæ ex rei natura simonia non est, sed solum Ecclesiastica lege prohibetur, sicut explicat Henricus de Gandavo quodl. 6. quæst. 26. Simonia juris divini, seu naturalis est, quoties pro re temporali datur res spiritualis, aut spirituali annexa, puta Sacramenta, beneficia Ecclesiastica, & hujusmodi. Simonia solius juris Ecclesiastici committitur dupliciter, vel quando res spiritualis cum spirituali permutatur, puta beneficium cum beneficio: vel quando materia, circa quam versatur, neque in se, neque in proxima habitudine, aut intrinseca dependentia, sed solum remote, aut accidentaliter, rei spirituali annexa est: cujusmodi annexio, & habitudo non sufficeret ad vitium simoniæ spectata rei natura, nisi Ecclesiastica constitutio accederet: Qua ratione solo Ecclesiastico jure prohibitum est, ne pro sacro oleo, vel chrismate aliquid exigatur cap. Non satis, de simonia. Et in Concil. Calcedon. c. 2. relato in cap. Si quis Episcopus I. qu. I. tanquam simoniacum prohibetur, ne Episcopus pro pecunia aliquem promoveat ad officium dispensatoris, seu Æconomi: aut defensoris, seu Syndici: aut Judicis circa res temporales Ecclesiæ. Ita plerique DD. apud Cajet. ver. Simonia reg. 3.

Sciendum II. Quod simonia ex solo jure Ecclesiastico ortum ducens, nullam vere, proprie, atque univoce dictam rationem simoniæ habere potest, ut docent Sotus, Valen. Laym. Quemadmodum fieri non potest, ut contractus, qui sua natura usurarius non est, jure positivo vere, ac proprie usura evadat. Nam, sicut omnis usura debet esse lucrum ex mutuo, & consequenter ubi hæc ratio reperitur, ibi usura est contra jus naturale, & divinum: ubi vero non reperitur, ibi non est vere, & proprie usura, quamvis illicitus, ac pœnis usuræ subjectus contractus esse possit propter positivum jus, ubi hoc viget; Sic etiam omnis simonia debet esse emptio, aut venditio, seu contractus onerosus, seu commutatio rei spiritualis pro temporali tanquam pretio: quæ ratio ubi reperitur, ibi simonia est juri naturali, ac divino repugnans: ubi vero non reperitur, ibi non est vere, ac proprie simonia, licet possit esse pactio irreligiosa, & sacrilega, & pœnis simoniæ subjecta propter Ecclesiasticæ legis prohibitionem, intuitu religionis, sive reverentiæ rebus sacris debitæ, eam prohibentis. Quod ipsum aperte significat Navar. lib. 2. cap. 2. num. 100. Imo hanc esse communem sententiam Doctorum ait Valent. qu. 16. p. 5. licet eam impugnet Suarez cap. 41. n. 3.

Sciendum III. Quod simonia dividitur secundo in Mentalem, Conventionalem, & Realem. Mentalis simonia dicitur hoc loco, non ea, quæ in sola mente, sive proposito, seu intentione consistit committendi simoniam: sed quæ in externum opus transit, quod, licet exterius nullo modo, nec per se, nec propter adjuncta, simoniacum sit, seu appareat, ex sola tamen intentione, & affectione tale est. Videlicet, si aliquis rem spiritualem alicui conferat, quasi ex obligatione justitiæ in compensationem obsequii temporalis indebiti, licet nulla pactio, nec expressa, nec tacita, antecesserit. Et viceversa, si aliquis rem temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione justitiæ eam debeat in compensationem pro spirituali re, ab alio sibi collata, nulla prorsus antecedente pactione, sicuti bene explicat Ugolin. tab. 2. in fin.

Quare

Quare simonia mentalis plerumque accidit ex parte tantum unius dantium: quamvis etiam accidere possit ex parte utriusque, sed casualiter tantum, non ex conventione, sicuti notavit Suar. cap.41. n.3. in fin.

Sciendum IV. Quod simonia conventionalis dicitur, quæ in pactionem mutuam, expressam, vel tacitam transit: sed reali traditione, seu executione nondum consummata est. Porro conventionalis simonia est duplex. Una pure conventionalis, cum ex neutra parte traditio subsecuta est. Altera mixta, cum vel traditio rei temporalis, sive pretii tantum facta est, nondum tradita re spirituali: vel vice versa, tantum rei spiritualis traditio facta est, nondum tradito pretio, seu re temporali. Inter quas simonias hæc posterior detestabilior apparet, & magis accedens ad malitiam, & consummationem simoniæ realis. Nam deformitas, & malitia, aut irreligiositas simoniæ in eo consistit, quod res spiritualis in commutationem veniat pro temporali pretio: id vero consummari videtur hoc ipso, quod res spiritualis tali intentione propter præcedentem pactionem traditur, sicuti notavit Suarez cap.41. n.8. & seqq.

Sciendum V. Quod Realis denique simonia dicitur, quæ ipsa rei traditione perficitur, & consummatur, sive ex parte unius tantum contrahentium, quæ dicitur simonia mixta: sive ex parte utriusque, quæ perfecte consummata, & simpliciter realis dicitur. Unde ex dictis duo colliges. Primo, quod simonia conventionalis est quasi media inter mentalem, & realem: quia mentali simoniæ conventionalis superaddit externam pactionem, expressam, vel virtualem, seu tacitam: ipsi vero conventionali realis simonia superaddit executionem, seu traditionem rerum, de quibus simoniaca conventio facta est. Secundo, quod, si quis ficte promittat dare rem spiritualem pro temporali, sine animo se obligandi, ac solvendi, is conventionem simoniacam non committit, sed fingit se committere. Eademque ratione is, qui ficte promittit dare rem temporalem pro spirituali, conventionalem simoniam non committit, sicuti recte notant Cajet. Sot. Valent. Ille vero, qui ita deceptus dat rem temporalem pro promissa spirituali, simoniam dumtaxat mentalem committit, propter quam nulla pœna incurritur: quamvis uterque a Judice puniri possit, sicuti notavit Suarez cap.41. n.4.

CAPUT X.

Utrum sit conveniens simoniaci pœna, ut privetur eo, quod per simoniam acquisivit. 2.2.qu.100. art.6.

Denique considerandum est de pœnis simoniaci. Et primo de pœna temporali, qua privatur eo, quod per simoniam acquisivit. Secundo de pœnis spiritualibus, quas incurrit. Circa primum igitur

Sciendum I. Quod nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit. Puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem Domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest. Nec potest repetere pecuniam, quam turpiter dedit, licet alius injuste detineat, quia injuste acquisivit. Unde damnata fuit ab Alexan. VII. hæc prop. 22. *Non est contra Justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Simoniacus ergo peccat contra justitiam, & per hoc, quod vendit rem spiritualem, vel spirituali annexam, contra voluntatem domini: & quia exigit pretium rei, quam vendere non potest, adeoque sine ullo jure exigendi. Unde nec qui vendit rem spiritualem, retinere potest pretium injuste acquisitum: nec qui emit rem spiritualem, potest illam licite retinere, quamvis in pœnam delicti non possit repetere pretium. Quo supposito,

Sciendum II. Quod hoc, quod aliquis privetur eo, quod accepit, non solum est pœna

pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ: puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest. Et ideo, si aliquis scienter, & propria sponte simoniace accipiat ordinem, vel Ecclesiasticum beneficium, non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet careat executione ordinis, & beneficium resignet cum fructibus inde perceptis, sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia: & tenetur ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt a possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui superfunt, detractis expensis factis causa fructuum, exceptis fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si vero eo nesciente, nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit, nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo, quod fuit promissum.

Sciendum III. Quod pecunia, vel possessio, vel fructus beneficii simoniace accepti debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt, non obstante, quod prælatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen, quod quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si vero prælatus, & totum collegium sunt in culpa; tunc debet cum auctoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari. Pretium autem simoniace acceptum pro re spirituali vendita, ex ipso jure naturæ deberet restitui danti, qui injuste læsus fuit a venditore: sed quia, qui solvit pretium, ex ipso jure naturali meretur privari pretio jam soluto, ratione patrati delicti, indignus esse videtur, ut ipsi restitutio fiat, arg. l. 2. Cod. de condictis ob turpem causam. Quam ob rem S. Thom. 2. 2. qu. 32. a. 7. & q. 62. a. 5. ad 2. Adrian. Covar. Sylv. Navar. Less. & alii communiter dicunt, quæ simoniace accepta fuerunt, ea post præstitam rem spiritualem, non danti, sed Ecclesiæ, aut pauperibus restituenda esse. Sotus autem, Bannez, & alii apud Less. dicunt, generaliter ante Judicis sententiam restituendum esse danti. Neque obstat, quod Navar. objicit; Turpiter acceptum restituendum non esse turpiter danti, cum sit in pari turpitudinis causa. Nam regula ista locum habet in Foro externo, in quo datum ob turpem causam non potest repeti. Abbas vero, Covar. Victor. Suar. Laym. dicunt, quod pretium acceptum pro renunciatione beneficii, electione, aut præsentatione ad illud, ante Judicis sententiam restitui debet Ecclesiæ, in cujus injuriam simonia commissa est, quia ita jura decernunt, quod etiam docet D. Tho. in præsen. art. ad 4. Quamvis consuetudine obtentum sit, ut pauperibus restitui liceat, ut aliqui dicunt. In aliis vero casibus ante sententiam judicis restituendum est danti, quia nulla jura afferri possunt, quæ ante Judicis sententiam in conscientia obligent, ut acceptum simoniace ad pios usus convertatur, sed quod dans ob turpem causam mereatur dato privari, propter quod non potest illud in judicio repetere.

Sciendum IV. Quod, si aliqui sunt in monasterio simoniace recepti, & ibi votum solemne fecerint profitendo; non possunt quidem absolvi ab obligatione voti, sed debent ejici a Monasterio illo, in quo fuerunt simoniace recepti. Et, si his scientibus commissa est simonia post consilium generale, sine spe restitutionis de monasterio suo repelluntur secundum jura, & ad agendam perpetuam pœnitentiam sunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco ejusdem Ordinis, si arctior Ordo non inveniretur. Si vero hoc fuit ante consilium, debent in aliis locis ejusdem Ordinis collocari. Et, si hoc fieri non potest, dispensative debent in eisdem monasteriis recipi, ne in sæculo evagentur, mutatis tamen prioribus locis, & inferioribus assignatis. Si vero ipsis ignorantibus, sive ante consilium, sive post, sint simoniace recepti, postquam renunciaverint, possunt de novo recipi, locis mutatis; ut dictum est. Ante professionem vero debent ad sæculum ejici, quia receptio invalida fuit.

Et

Et ideo verum est, quod debet etiam Monachus, quod simoniace acquisivit, amittere, quantum fieri possibile est.

Sciendum v. Quod apud Deum sola voluntas facit simoniacum, unde & simonia per voluntatem definitur, ut dictum est in cap. I. Sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur, ut simoniacus, ut abrenunciare teneatur ea, quæ acquisivit intentione simoniaca, sed debet de mala intentione pœnitere, arg. cap. ult. de simonia. Quod verum est, quando prudenter præsumi potest, quod alter liberaliter dederit, sine ulla intentione simoniaca, adeoque donatio valida fuerit ex parte dantis, & sufficiens ad transferendum dominium in accipientem. Si vero ille, qui dedit rem, nunquam habuerit animum donandi, sed simoniace dandi, licet hanc intentionem in pactum non deduxerit, & hoc ex circumstantiis prudenter judicari possit a recipiente, non potest retinere ea, quæ simoniaca intentione accepit, sed tenetur ea restituere. Quia, sicut in usura non est titulus accipiendi, aut acquirendi auctarium ratione mutui dati, sed solum ratione liberalis, seu gratuitæ donationis: ita in simonia non est titulus accipiendi, aut acquirendi aliquid, quod gratis non datur, sed intentione simoniaca solum venditur, aut pro pretio rei datur, quæ invendibilis est, uti docent Sot. Major. Suar. Medin. Clavius, Henr. contra Cajet. Navar. Philiar.

Sciendum VI. Quod dispensare cum eo, qui est beneficiatus simoniace scienter, solus Papa potest. In aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen, quod prius abrenuntiet quod simoniace acquisivit: & tunc dispensationem consequatur, vel parvam, ut habeat laicam communionem: vel magnam, ut post pœnitentiam in alia Ecclesia in suo ordine remaneat: vel majorem, ut remaneat in eadem, sed in minoribus ordinibus: vel maximam, ut in eadem Ecclesia etiam majores ordines exequatur, non tamen prælationem accipiat.

CAPUT XI.

De pœnis spiritualibus simoniaci in generali.

Simoniaci, tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores, non solum privantur eis, quæ per simoniam acquisiverunt, sed insuper aliis pœnis puniuntur, scilicet infamia, & depositione, si sint Clerici, & excommunicatione, si sint laici, ut habetur, I. q. I. cap. Si quis Episcopus. Et docet S. Thom. in præsen. a. 6. Quas pœnas considerare oportet primo in generali, secundo in speciali. Circa illas igitur in generali consideratas

Sciendum I. Quod certum est, nullas pœnas in jure latas ipso facto incurrendas reperiri pro simoniacis, præter quam ob simoniam commissam in ingressu religionis, in receptione Ordinum, & in beneficiis Ecclesiasticis, ut colligitur ex dictis in cap. ant. & late probant Navar. Ugolin. Suar. Item certum est, ob simoniam pure mentalem in quacumque materia nullam pœnam juris incurri, ut colligitur ex cap. ult. de simonia. Et docet S. Thom. hic art. 6. ad 6. Nec per hoc, quod simonia mentalis actu externo consummatur, pœnæ incurruntur, si pravus affectus sufficienter per actum externum non exprimitur, puta, quia actus ex se est indifferens, ut patet expresse ex cap. fin. de simonia. In tali enim casu simonia per se non est externa, ut a simili dictum est de hæresi in 2. part. tract. I. & docent Cajet. Navar. Sanch. Suar. Nec etiam ob simoniam conventionalem ex neutra parte completam ulla pœna juris incurritur. Imo etiam si pretium sit datum, si tamen res spiritualis tradita non est, nullam ipso facto pœnam simoniacus incurrit: quia jura semper requirunt traditionem rei spiritualis ad incurrendas pœnas, ut patet ex cap. Presbyter. I. q. I. extrav. I. & 2. de simonia. Dubium solum est, an secuta traditione rei spiritualis, etiam si pretium non sit solutum, pœnæ incurrantur a simoniaco. Ad cujus evidentiam

Sciendum II. Certum esse, quod in simonia confidentiæ sufficit ad pœnas incur-

currendas traditio rei spiritualis, de qua fuit facta conventio, propter specialem dispositionem juris, ut notant Navar. Sanchez, & Salmant. In aliis vero simoniis duplex datur sententia, utraque satis probabilis, & in praxi tuta, ut dicunt Suar. Pal. Salmant. Una dicit non incurri pœnas juris, nisi de facto pretium recipiatur: quia pęnæ non incurruntur, nisi per solam simoniam realem: simonia autem realis, ut contradistinguitur a conventionali, non est, nisi ultra pactum detur realis traditio ex utraque parte; Jura enim hanc requirunt, & de completa ex utraque parte loquuntur: Unde, sicuti non incurrit pœnas, qui pretium solvit, & rem spiritualem non accipit; ita nec illas incurrit, qui rem spiritualem tradit, & pretium non accepit. Et ita habere stylum curiæ docent Navar. Zerol. Covar. Sanch. Less. Valent. Altera vero sententia asserit sufficere, quod res spiritualis tradatur sub promissione pecuniæ, ad incurrendas pœnas; quia per solam traditionem rei credita pecunia contractus venditionis completur, in quo simonia realis fundatur: & hoc solum jura requirunt ad incurrendas pœnas, ut patet expresse ex cap. ea quæ, 1. q. 3. & extrav. 2. de simonia. Ita Sot. Ugol. Felin. Cajet. Tolet. Pal. & Garcia, qui probat ex variis decisionibus Rotæ, hanc sententiam ex stylo Curiæ esse receptam, quæ proinde probabilior videtur.

Sciendum III. Circa simoniam realem ex utraque parte completam, quæ non est talis ex jure naturali, & divino, sed solum ex jure Ecclesiastico, dubium est, an illam committens incurrat pęnas in jure latas contra simoniacos. Illas incurrere affirmant Navar. Abb. Felin. Sot. Villal. quia isti vere sunt simoniaci, & jura indefinite pro simoniacis pęnas decernunt. E contra negant Girard. Arag. Rodr. Sanch. Petrus Navar. Dian. & alii apud Salmant. Siquidem verba absolute prolata debent accipi in proprio, & potiori significato, maxime in dubiis, & in materia pęnali. Sed potius, & proprium significatum in simonia, est illa, quæ jure divino, & naturali est prohibita, seu illa, quæ ab intrinseco, & ex natura sua est venditio, vel emptio rei spiritualis, ut patet ex definitione simoniæ: ergo ista solum subjacet pęnis contra simoniacos absolute latis in jure. Et ita colligitur ex proœmio extrav. 2. de simonia. Excipitur tamen simonia confidentialis, & quæ ab officialibus Episcopi in collatione Ordinum committitur: nam licet hæc sit solo jure humano prohibita; tamen subjecta est pœnis latis a Trident. sess. 21. cap. 1. & a Pio IV. & Pio V. ob specialem, & expressam dispositionem juris.

Sciendum IV. Quod pœna privans simoniacum jure acquisito legitime, puta beneficiis antea licite acquisitis, locum non habet, nisi post sententiam Judicis, ut dictum est in tract. de legib. in 1. part. & docent Rebuff. Bonac. Laym. Sanch. Salmant. Excipitur primo simonia confidentiæ propter bullam Pii V. Secundo, simonia commissa ab examinatoribus beneficiorum in Synodo deputatis, qui privantur ipso facto beneficiis antea rite obtentis, etiam ante Judicis sententiam, ut expresse habetur in Trident. sess. 24. c. 18. In ordine autem ad beneficia in posterum obtinenda, aliqui dicunt, quod ipso facto redduntur inhabiles, quia ita expresse habetur in motu Pii V. edito anno 1566. qui incipit: Cum primum. Unde, cum in sacra Pœnitentiaria conceditur absolutio a simonia occulta in beneficio commissa, datur etiam dispensatio ad alia beneficia in posterum obtinenda. Sic docent Bonac. Laym. Ugol. Lug. Rodr. Alii vero id negant: quia in jure antiquo talis inhabilitas non reperitur: Motus autem Pii V. vel non est usu receptus quoad hanc inhabilitatem, vel non obligat in foro conscientiæ ante Judicis sententiam, ut plures dicunt: quia loquitur de convictis, id est per sententiam damnatis: In Pœnitentiaria autem dispensatio datur ad majorem securitatem, ob probabilitatem alterius sententiæ. Sic Sanch. Navar. Salm. Arag. Suar.

CAPUT XII.

De pœnis spiritualibus simoniaci in speciali.

Denique considerandum est de pœnis simoniaci in speciali a jure decretis. Circa quas

Sciendum I. Quod pro simonia commissa in

in ingressu religionis (nomine cujus ingressus in præsenti, valde probabile est, intelligi solam professionem, in qua ingressus consummatur, ut docent Lez. Pal. Bonac.) Dantes, vel recipientes aliquid pro ingressu, scienter tamen, & præsumentes, ipso facto, si sint singulares personæ, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, ex extrav. de simonia; cap. I. Capitulum vero incurrit suspensionem quoad actus capitulares pertinentes ad jurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam. Professio vero simoniaca, licet sit valida, tamen sic professus, vel recipiens simoniace, de monasterio expellendus est sine spe restitutionis, & in locum arctioris regulæ ad perpetuam pœnitentiam detrudendus, juxta cap. Quoniam, cap. de regular. de simonia. Et sunt perpetuo infames ex dicta extrav. §. cæterum, & consequenter sunt irregulares irregularitate ex infamia orta, ut notant Lez. Less. Laym. Salmant.

Sciendum II. Quod pro simonia in Ordinum susceptione commissa, qui simoniace aliquem ordinat, aut ad conferendum Ordinem mediator, seu præsentator existit, eo ipso est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata, quacumque fulgeat dignitate, Pontificia, aut Cardinalitia, juxta extrav. 2. Cum detestabile, de simonia. Sed, cum pœnæ restringendæ sint, & prima tonsura verus ordo non sit, ad illius simoniacam collationem hæc excommunicatio non extenditur, ut docent Less. Pal. Salmant. Insuper simoniacus ordinator ipso jure a collatione quorumcumque ordinum, etiam primæ tonsuræ, & exercitio omnium Pontificalium suspenditur a Xisto V. in bulla, quæ incipit; Sanctum, & salutare, quam Clem. VIII. non revocavit quoad pœnas simoniacorum, ut notant Sanch. Henriq. & insuper est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & alias pœnas incurrit, si censuras violaverit, ex declaratione Xisti V. in cit. bulla.

Sciendum III. Quod ordinati simoniace, si ipsis scientibus id fiat, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & suspensionem ab executione omnium Ordinum susceptorum, & spe attendendi ad alios superiores, ut patet ex bulla Xisti V. extrav. cit. Dictam suspensionem incurrere per modum pœnæ ordinatum simoniace, quamvis absque sua culpa, quia eo ignorante simonia ab altero commissa est, docet S. Thom. in præsenti qu. ar. 6. & cum eo Fellin. Arag. Sot. Oppositum tamen defendunt Sanch. Lez. Villal. Qua de re vide, quæ supra dicta sunt in cap. 10. Denique scienter ordinati simoniace, & consentientes simoniæ ab altero commissæ in sui ordinatione, incurrunt pœnam infamiæ, & depositionis ex cap. ult. q. 3. quæ pœna solum post Judicis sententiam incurritur. Addit Xistus V. omnes prædictas censuras, & inhabilitates esse Papæ reservatas, revocans circa hoc omnia privilegia Episcopis, & regularibus concessa etiam a Trident. Sed hanc bullam in hac parte non esse usu receptam, docent Less. Pal. Salmant.

Sciendum IV. Quod pro simonia commissa in beneficiis (quorum nomine veniunt Abbatia, Generalatus, Provincialatus, Prioratus, & aliæ Ordinum regularium Prælaturæ) conferentes, vel procurantes alteri officium, aut beneficium Ecclesiasticum simoniace, sive per electionem, postulationem, nominationem, confirmationem, sive publice, sive secrete, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. Eam etiam incurrunt recipientes, mediatores, & procurantes, seu cooperantes, ut patet ex extrav. Cum detestabile, de simonia. Et ex bulla Xisti V. Insuper omnes provisiones, & collationes talibus factæ sunt nullæ. Quas pœnas, præter excommunicationem, incurrit qui simoniace promovetur ad beneficium, etiam si simonia ab alio commissa sit ipso nesciente, ut docet S. Thom. ar. 6. vel ipso sciente, & non contradicente, ut patet ex cap. Nobis facit, 27. cap. sicut tuis, 33. de simonia. Excipe, nisi eo nesciente simonia in fraudem, aut odium ipsius ab altero sit commissa, ut dictum est in cap. 10. Insuper incurrunt inhabilitatem ad beneficia in posterum obtinenda; ut plures docent, quamvis id alii negent.

Sciendum V. Quod præter communes pœnas omnibus simoniacis impositas, pro simonia confidentiæ Pius IV. & Pius V. speciales assignant. Quarum prima est, quod Cardinales, Episcopi, & alii Prælati, qui committunt hanc simoniam confidentiæ, sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & si ingre-

ingrediantur, fiunt irregulares. Secunda, quod inferiores sunt ipso facto excommunicati excommunicatione soli Papæ reservata. Tertia, quod collatio, & acquisitio beneficii taliter facta, est nulla, etiamsi non sit completa: sed statim, ac quis simoniace beneficium recipit in confidentia, privatur beneficio, & fructus omnes restituere tenetur, Cameræ Apostolicæ consignandos. Quarta, qui post dictas constitutiones beneficium in confidentiam receperint, privantur omnibus beneficiis antea juste obtentis, & ipso jure fiunt inhabiles ad illa, vel alia in posterum obtinenda. Ad hoc tamen, ut istæ pœnæ incurrantur, requiritur, quod resignatio beneficii in confidentia fiat in manibus Prælati potentis illam admittere, si simonia non adesset, ut notant Salmant.



TRACTATUS DECIMUSTERTIUS.

De Immunitate Ecclesiastica.

Consequenter considerandum est de immunitate Ecclesiastica, quæ comprehendit omnia privilegia statui Clericorum annexa. Et primo in præsenti tractatu considerandum est de Immunitate proprie dicta, quæ concernit personas, causas, loca, & res Ecclesiasticas. Secundo in sequentibus de immunitate improprie, seu metaphorice dicta, quæ concernit tempora Deo dicata. Circa primum igitur sit

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Ecclesiastica Immunitas, & quo jure introducta.

Circa immunitatem Ecclesiasticam quatuor consideranda sunt. Primo quid sit, & quo jure introducta. Secundo circa quid sit. Tertio quibus modis violetur. Quarto, utrum per contrariam consuetudinem tolli, aut minui possit. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod Immunitas dicta est quasi muneris vacatio, prout munus inter alia onus significat, cujus remissio, sive liberatio immunitatem præstat, sicut habetur in l. munus 18. de ver. signific. & l. 1. ff. de jure immunit. Quare Ecclesiastica Immunitas sic recte definitur. ***Jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ a communi onere, seu obligatione liberæ, & exemptæ sunt.*** Quare alio nomine appellari solet libertas, seu exemptio Ecclesiastica, arg. cap. Adversus, de Immunit. Eccles. Unde duo colliges. Primo, quod triplex est Ecclesiastica Immunitas, scilicet localis, quæ Ecclesiis, & similibus Ecclesiasticis locis competit: Realis, qua aliæ res, seu bona Ecclesiastica gaudent: Personalis, quæ personis Ecclesiasticis debetur. Quibus addi debet quarta species, quæ est negotiorum, seu causarum Ecclesiasticarum, suapte natura exemptarum a potestate sæculari; quæ tamen ad prædictas tres species reduci videtur. Secundo, quod particularis alicujus Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ personæ exemptiones, seu privilegia, nomine Ecclesiasticæ immunitatis comprehendi non solent: sed solum exemptiones illæ, quæ toti statui Clericorum, vel omnibus locis, aliisve rebus Deo peculiariter dicatis, communes sunt, sicuti notavit Innoc. & Abb. in cap. Noverit, num. 2. de sent. excom. Quæ ipsa causa est, cur Clerici, ne juramento quidem, Ecclesiasticæ immunitati renunciare possint, cap. si diligenti, de foro compet. Quia non ob peculiarem aliquorum, sed communem Ecclesiasticæ hierarchiæ favorem constituta est.

Sciendum II. Quod non pauci ex Theologis docuerunt, exemptionem Clericorum a civilium principum, & magistratuum jurisdictione, tam quoad illorum personas, quam quoad res Ecclesiasticas, immediate profectam esse ex christianorum principum privilegiis, cum consensu, & approbatione totius populi christiani concessis: quæ exemptorum privilegia a Summis Pontificibus, aliisque Ecclesiæ prælatis, non tantum acceptata, sed etiam propriis sanctionibus confirmata, & defensa fuerunt. Addunt tamen, quod principes, & magistratus sæculares exemptionem Clericis concessam revocare, eosque jugo suo subjicere nunquam possint sine gravi scelere, & tyrannide: quia Christianis principi-

cipi-

cipibus naturalis, atque divina obligatio incumbit, Clericos, & omnes personas, & res Christo peculiariter dicatas a potestate, & jurisdictione eximendi, quatenus ad convenientem Christianæ Ecclesiæ statum necessarium est, uti significat S. Thom. lect. 1. in cap. 13. ad Rom. Ita Sot. Victor. Medin. Palat. Mol. Henriq.

Sciendum III. Quod vera sententia docet, dictam Immunitatem, seu exemptionem Clericorum a divino jure proficisci: legibus autem cum civilibus, tum canonicis, declaratam, & confirmatam esse. Ita Canonistæ communiter, & ex Theologis Almain. Bellarm. Azor. Valen. Suar. Laym. Dicitur enim in Trident. sess. 25. cap. 20. *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse.* Cujus rationem affert Abbas in cap. Solitæ, de major. & obedient. Nulla enim potestas, sive jurisdictio, propria virtute se extendit ultra genus sui objecti, tamquam proprios limites in eo habeat. Ecclesiasticæ autem personæ, & bona sunt extra objectum, ac proprios limites jurisdictionis sæcularis, cum finis, ad quem per se, & directe ordinatur potestas civilis, sit politicus, & temporalis, sub quo res sacræ non continentur, utpote quæ ex natura sua ad finem supernaturalem ordinantur directe: sicuti docet S. Thom. 2. 2. qu. 99. art. 1. ergo nulla potestas sæcularis directe, & per se se extendit ad res sacras.

Sciendum IV. Quod licet privilegia exemptionis personis sacris, & rebus Ecclesiasticis ita concessa sint, ut, si potestates sæculares ea violare præsumant, injuriam Ecclesiastico statui inferant, & juri tam divino, quam humano adversentur; nihilominus is, qui toti Ecclesiæ præest, videlicet Summus Pontifex, vel Concilium generale, poterit ex justa causa aliquid remittere de privilegiis exemptionis, & sæcularibus Principibus permittere, ut adversus Clericos aliquam jurisdictionem exerceant, vel tributa aliqua exigant, sicuti infra patebit. Multo vero magis permittere possunt Prælati Ecclesiæ aliquid contra Ecclesiasticam libertatem factitari, si sine scandalo, aut majoris mali periculo prohibere non valeant. Qua ratione etiam Christus Dominus tributum pro se, & Petro solvit, ne exactores scandalizaret. Et Paulus Apost. Cæsarem appellavit Act. 25. ut inferioris sub Cæsare constituti Judicis iniquam sententiam declinaret, sicuti ipsemet significat cap. 28.

CAPUT II.

De Immunitate personali, quantum ad privilegium Canonis.

Deinde considerandum est de singulis speciebus immunitatis, seu potius partibus ejus. Et primo de Immunitate quantum ad personas, quæ comprehendit duo privilegia, scilicet Canonis, & fori. Circa privilegium igitur Canonis in præsenti

Sciendum I. Quod in Canone, Si quis suadente, 17. q. 4. Innoc. II. ob reverentiam debitam Ecclesiasticis personis, celebrem excommunicationem imponit contra illos, qui tales personas Deo dicatas lædere ausi fuerint, his verbis. *Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandata recipiat.* Porro hoc habet speciale hæc excommunicatio, quod qui illa irretitus est, absque alia declaratione ipso facto vitandus est, quoties, ut dicit Martinus V. in extrav. Ad evitanda scandala, *Adeo notorie illam constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari.* Unde

Sciendum II. Quod ad hoc, ut percussor Clerici, vel Monachi sit vitandus, non sufficit post Concil. Constant. notorietas juris, scilicet per confessionem rei in judicio: sed requiritur notorietas facti, taliter, ut factum ipsum non possit ulla tergiversatione celari, aut aliquo suffragio excusari. Quare nemo tenetur illum vitare, etiam si delictum sit publicum, nisi etiam detur notorietas facti, per hoc, quod crimen ad notitiam majoris partis viciniæ, aut Collegii devenerit, aut detur moralis certitudo per famam communem a fide dignis ortam, ut notant Avil. Dian. Pal. Salmant. Ad notorietatem autem facti de-

bet, ut notant Salmant. adjungi notorietas juris, alioquin semper poterit reus aliqua tergiversatione, aut suffragio factum excusare dicendo, se ad defensionem percussisse, aut se in ebrietate, aut ex ignorantia fecisse. Quamobrem raro contingit talem esse vitandum. Quibus suppositis, pro intelligentia majori supradicti canonis,

Sciendum III. Hanc excommunicationem comprehendere omnes cujusvis sexus, ætatis, ac status personas, etiam impuberes, usum tamen rationis habentes, seu doli capaces, ut constat ex cap. 1. cap. mulieres, cap. pueris, de sent. excomm. Comprehendit etiam cooperantes physice, aut moraliter, mandato, consilio, & consensu, quando efficaciter influunt in percussionem, ut constat ex cit. cap. Mulieres, §. illi vero. Insuper comprehendit ratam habentes percussionem suo nomine factam, ut constat ex cap. Si quis, de sent. excom. in 6. Insuper extenditur ad non impedientes, quando ex justitia impedire tenentur, ex cap. quantæ, de sent. excom. Non autem extenditur ad illos, qui ex sola charitate impedire tenentur, & non impediunt, quia illis damnum non imputatur, ut docent S. Anton. Navar. Bonac. Henriq. Salmantic. contra Cajet. Sylv. Suarez.

Sciendum IV. Quod nomine Clerici veniunt omnes, etiam sola prima tonsura initiati, etiamsi conjugati, excommunicati, vel irregulares sint. Deperdunt tamen hoc privilegium, si sint bigami bigamia reali, vel realiter degradati: vel, si in minoribus ordinibus constituti, habitum, & tonsuram non deferant: vel, si sint conjugati, ex licentia Episcopi alicui Ecclesiæ actu non inserviunt: vel, beneficium habentes, ex licentia Episcopi studio non vacant in aliqua universitate, quasi in via ad ordines sacros, sicut constat ex cap. un. de Cleric. conjug. & Trident. sess. 22. c. 6. Deinde privantur hoc privilegio Clerici, qui, abjectis Ecclesiasticis vestibus, negotiis se ingerunt sæcularibus, & tertio a suo Prælato moniti, non corriguntur, cap. contingit 45. de sent. excom. Imo, si abjecto habitu, tyrannidi, ac enormitatibus se immisceant, privantur ipso facto hoc privilegio ante omnem monitionem, cap. perpendimus 23. cap. Cum non ab homine 14. de sent. excom.

Sciendum V. Quod nomine Monachi veniunt omnes regulares utriusque sexus, donati, conversi, novitii, ut probant Sanch. & Barbos. Item Equites S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, & S. Stephani: quia vel sunt veri religiosi, ut volunt Sanch. & Pellis. vel saltem sunt personæ Ecclesiasticæ gaudentes privilegiis religiosorum, & statui Ecclesiastico annexis. Qua de re Dian. Mota. Cevallos. Similiter fratres tertiarii, Mantellati, Corrigiati, aliique hujusmodi, si vere collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent, gaudent hoc privilegio: & etiam mulieres virginalem, seu cœlibem, aut vidualem expresso voto, & sub dicto habitu, vitam traducentes, sicut declaravit Sacra Congreg. Cardinalium ex Constit. Concilii Lateran. sub Leon. X. quæ habetur sess. 11. Qua de re Salmant. Portel. Rodr. Lez.

Sciendum VI. Quod ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, quod actio sit injuriosa, graviter peccaminosa externe, & violenta, in Clerici, vel Monachi personam, aut rem illi adhærentem, ita, ut re ipsa lædatur, ut ex communi docent Salmant. & noster Pifelli. Unde sequitur, quod excommunicationem incurrit, qui Clericum, aut Monachum mutilat, percutit, verberat, violenter detinet, ne exeat, incarceret, hostiliter insequatur taliter, ut insecutio sit causa læsionis: aut, si violenter aliquid e manibus auferat, vel ejus vestimenta dilacerat, illum conspuit, aut Equum, cui insidet, detineat, vel lædat. Ita colligitur ex cap. Nuper de sent. excom. & docent Avil. Bonac. Pal. Coninck. Laym. Non autem incurritur excommunicatio, si Clericum verbis offendit, vel ad ictum conetur, re tamen ipsa illum non lædit: aut absque violentia vestes ejus surripit, etiam si ob hoc domi manere quasi inclusus cogatur; sicuti docent Cajet. Innoc. Conink.

Sciendum VII. Quod non incurritur excommunicatio ob percussionem jocosam, etiam si gravem, quamvis cum aliqua ira inceptam, ut colligitur ex cap. 1. de sent. excom. aut, si quis subita cholera Clericum percutiat, antequam plene advertat quid faciat: aut quoties ex circumstantia per-

personæ, vel ex modo, percussio, non censetur graviter injuriosa: sicut accidit inter pueros rixantes, & se invicem pugno percutientes, quamvis sanguinem e naribus effundant; Inter ipsos enim levis censetur injuria, ut notant Sot. Pal. Coninck. Nec eam incurrunt, qui Clericum percutiunt, vinculis ligant, aut alia pœna puniunt titulo correctionis, quando ex officio hoc faciunt, ut sunt Prælati, Magistri, parentes, & hujusmodi; sicut constat ex cap. Universitatis 24. de sent. excom. cap. ex tenore, cap. Cum voluntate eod. tit. Quod verum est, etiamsi ira correpti excessum committerent in puniendo; dummodo id principaliter ex odio non faciant; etiamsi Clericus sit in sacris constitutus: sicuti docent Angel. Avil. Bonac. Suar. contrarium tamen docet N. Pisèlli quoad Clericum constitutum in sacris, ex cap. Cum volunt. §. Si qui vero, de sentent. excom.

Sciendum VIII. Quod excusantur ab hac excommunicatione incurrenda, qui occidunt, mutilant, vel graviter offendunt, aut lædunt Clericum, vel Monachum, quando illum inveniunt turpiter agentem, etiamsi actibus non consummatis, cum sua uxore, matre, sorore, aut filia, si hoc faciant in fragranti, & in continenti, quamvis in hoc graviter peccent, sicut constat ex cap. Si vero 1. de sent. excom. Similiter excusatur mulier, quæ a Clerico de turpi facto tentata, illum percusserit ob defensionem honoris, quando illum aliter avertere verbis non potest, uti docent Suar. Avil. Sylv. Denique excusantur omnes, qui ob defensionem justam, & inculpatam Clericum, aut Monachum percutiunt, vel occidunt. Non autem excusatur Clericus se ipsum graviter percutiens, aut occidens ex odio, aut ira graviter peccaminosa: nec alii Clericum graviter percutientes, etiamsi ipse consentiat: semper enim fit gravis injuria statui Clericali; ut notat N. Pisèlli ex cap. Contingit 1. de sent. excom.

Sciendum IX. Ex D. Thom. suppl. 3. p. quæst. 24. art. 1. Quod ab hac excommunicatione, quamvis Papæ reservata, potest absolvi percutiens in octo casibus. Primus est in articulo mortis, in quo a qualibet excommunicatione potest quis a quolibet Sacerdote absolvi. Secundus, si sit ostiarius alicujus potentis, & non ex odio, vel proposito percussit. Tertius, si percutiens sit mulier. Quartus, si sit servus, & dominus læderetur de ejus absentia, qui non est in culpa. Quintus, si regularis regularem percutiat, nisi sit enormis excessus. Sextus, si sit pauper. Septimus, si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius. Octavus, si habeat inimicitias capitales. Insuper quotquot habent legitimum impedimentum, ut non possint apostolico conspectui præsentari, vel ejus legato. Item Clerici collegialiter viventes possunt absolvi ab Episcopo ex cap. quoniam, de vita, & honest. Cleric. Qua de re N. Pisèlli part. 3. tract. 2. App. 1. Ultra hos casus, regulares absolvere possunt ab hac excommunicatione extra Italiam, & intra Urbem, ut constat ex eorum privilegiis.

CAPUT III.

De Causis, & negotiis Ecclesiasticis a civili potestate omnino exemptis.

Deinde considerandum est de exemptione a foro civili. Et primo de causis, & negotiis Ecclesiasticis omnino exemptis a potestate, seu jurisdictione civili. Circa quod

Sciendum I. Quod causæ triplicis generis sunt, aliæ spirituales, seu mere Ecclesiasticæ: aliæ mere civiles: aliæ mixtæ. Causæ spirituales censentur omnes illæ, quæ sunt de fidei doctrina, sacrificio, & Sacramentis, Ministrorum ordinatione, officiis, beneficiis; Ecclesiarum, vasorum, virginum consecratione, & canonizatione Sanctorum: votorum obligatione, & observatione: & denique omnibus, quæ vel ad Dei cultum, vel spiritualem animæ salutem, atque ad peccatorum curationem spectant. Causæ mere civiles dicuntur, quæ sunt de laicorum dominio, tutela, contractibus, testamentis, ac similibus, quæ formam suam, atque obligationem a civili jure acceperunt: Cujusmodi causis Ecclesiastici Judices, ac Pastores ordinarii se immiscere non possunt: quia utriusque potestatis, cum civilis, tum Ecclesiasticæ, officia discreta esse debent, sicuti ait Nicolaus

colaus I. Epist. ad Michaelem Imperat. Denique sunt aliquæ causæ mixtæ, quæ ad utrumque, tum sæculare, tum Ecclesiasticum forum pertinere possunt: & ideo in his datur locus præventioni. Quod potissimum accidit in criminibus, quæ dicuntur mixti fori. Pro quorum notitia

Sciendum II. Ex doctrina Gloss. in Summa causæ II. quæst. I. Quod similiter crimina, alia sunt mere Ecclesiastica, alia mere civilia, alia mixta. Crimen mere Ecclesiasticum dicitur dupliciter. Primo, quod solum Canonico, ac divino positivo juri adversatur: puta, violatio jejunii, aut aliorum præceptorum Ecclesiæ, aut Christi circa Sacrificium, & Sacramenta. Secundo, quod jure etiam naturali prohibitum est immediate, sed a sæculari magistratu non cognoscitur, nec punitur, vel quia ab eo cognosci non potest propter sui spiritualitatem, ut hæresis, simonia: vel, quia non solet cognosci, cum non sit prohibitum jure civili, ut violatio pacti simplicis, deceptio infra dimidium pretii justi in contractibus. Crimen mere civile, dicitur transgressio legis mere temporalis, & politicæ, puta, defraudatio vectigalium, tributorum, delatio armorum, & hujusmodi, quæ secundum formam juris civilis regulari debent. Crimina mixta, seu utriusque fori dicuntur, quæ vel utroque positivo jure, canonico scilicet, & civili prohibita sunt: vel quæ, non solum statui politico, sed etiam supernaturali fini reipublicæ Ecclesiasticæ repugnant, ut sunt violatio Sponsalium, Adulterium, usura, blasphemia, perjurium, sacrilegium, & alia, ut videre est apud Gloss. in cap. Cum sit, de jure compet.

Sciendum III. Quod Catholica veritas est, quam soli hæretici negant, quod causæ omnes spirituales, suapte natura, & institutione divina ab omni sæcularium principum potestate, & jurisdictione pœnitus exemptæ, & liberæ sunt. Quare etiam Ecclesiasticæ appellantur, quia earum cognitio, ac tractatio, ad Ecclesiæ Prælatos proprie spectat. Potestas enim, seu jurisdictio Ecclesiastica, & civilis sunt inter se pœnitus diversæ, & cum origine, tum fine, ad quem ordinantur, omnino discretæ: & ideo versari, & contineri debent intra limites materiæ sibi proportionatæ; quæ proportio ex fine desumitur, supernaturali scilicet, vel politico. Unde Ambros. lib. 3. Epist. 39. dicit. *Noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperandi aliquod jus habere: sed, si vis divinitus imperare, esto Deo subditus: Scriptura est; Quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari.*

Sciendum IV. Quod, sicut corpus spiritui, ita potestas civilis subjecta esse debet potestati Ecclesiasticæ, & non e contra, in his, quæ ad finem supernaturalem ordinantur, & ad salutem animæ pertinent. Unde Athanas. in Epist. ad solitariam vitam agentes, dicit. *Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe: sed potius tu a nobis disce;* loquitur cum Imperatore. Hinc fit, quod licet potestas Ecclesiastica non debeat se intromittere causis mere civilibus, ordinarie loquendo, & directe; tamen extraordinarie, & indirecte potest se illis immiscere, quatenus, vel spirituali fini contrariantur, ut errantes corrigat, vel pertinaciter delinquentes per censuras ad resipiscendum compellat, maxime in causis miserabilium personarum, quando in foro civili injuste gravantur, ut colligitur ex cap. I. & 2. dist. 87. cap. Ex parte, de foro compet. cap. Novit. de Judiciis.

Sciendum V. Quod in causis mixti fori, actor sub quo maluerit Judice reum convenire potest: Quare locus datur præventioni, ut habetur ex cap. Cum sit. Sed, si ab uno Judice causa cognita fuerit, utrum etiam alter Judex, saltem ex officio procedere, & reum punire possit, non concordant Doctores, ut videre est apud Covar. 2. resol. cap. 10. n. 6. Arbitror tamen dicendum, quod, si sub uno Judice reus absolutus fuerit, alter nihilominus causam cognoscere, &, si secundum allegata nocens reperiatur, punire eum potest: quia Jurisdictio Ecclesiastica, & sæcularis sunt omnino separatæ, & discretæ: adeoque absolutio in uno Judicio non parit exceptionem rei in altero Judicio. Ita ex communi Covar. Clar. Laym. Si vero pœna inflicta ab Ecclesiastico Judice sit tantum spiritualis, puta excommunicationis, non prohibetur Judex sæcularis reum afficere pœna sui juris propria, videlicet corporali,

porali, aut mulcta pecuniaria, ut ex communi docent Farinac. Navar.

Sciendum VI. Quod, si Ecclesiasticus Judex reum in suo foro punivit levius, quam merebatur, sive id factum sit ob ignorantiam juris, aut facti, aut similem accidentariam causam: sive, quia Judex non de toto delicto judicare vult, sed tantum secundum qualitatem pertinentem ad suum forum, tali casu Judex sæcularis, causa denuo in suo foro cognita, reum punire non prohibetur, sicuti docent Abb. Clar. Sanch. Molin. Denique, si reus in uno foro, nulla interveniente ignorantia, & fraude, de crimine totaliter judicatus, & punitus fuit, non potest deinde in altero foro judicari, aut puniri, ut docent Mol. Clar. Laym. Quia æquitas non patitur, ut idem de eodem crimine bis judicetur, & puniatur. Quamvis enim Ecclesiastica, ac civilis potestas diversæ sint: tamen una alteram juvare, & una alteri, quatenus æquitatis ratio permittit, consentire debet, arg. cap. I. de novi operis nunciat.

CAPUT IV.

De exemptione Clericorum in Causis Criminalibus.

DEinde considerandum est de exemptione Clericorum a foro sæculari in causis, quæ spirituales non sunt. Et primo de causis criminalibus. Secundo de causis civilibus. Circa primum in præsenti,

Sciendum I. Clericos in omnibus causis criminalibus plenissimum fori privilegium obtinere, ut coram Judice sæculari conveniri, aut puniri nullo modo possint, ut constat ex multis decretis Conciliorum, & Summorum Pontificum, quæ congerit Gratianus in causa II. quæst. I. Eandemque exemptionem Imperatores Christiani agnoverunt, & decreverunt, ut videre est apud Layman lib. 4. tract. 9. cap. 4. Ratio autem, & æquitas hujus exemptionis est, ut dicit Leo I. Epist. 96. ad Episcopos, & Presbyteros Thraciæ, quia valde indecens est, ut statu inferior judicet Superiorem: sed Sacerdotes, aliique Clerici in digniore, & altiore statu sunt, quam laici, cap. duo sunt, dist. 96. Ergo indecens esset, atque in contumeliam Ordinis Clericalis cederet, si Clerici a laicis judicarentur, aut condemnarentur. Plerique tamen Doctores excipiunt casum necessitatis; Quod enim per leges non licet, necessitas quandoque licitum facit, cap. Extra, de reg. juris. Verum, si exacte consideremus, necessitas, seu publici, seu privati mali avertendi, nequaquam tribuit Magistratui laico jurisdictionem in Clericos, sed solum jus defensionis, quam naturalis æquitas cuilibet permittit. Quapropter opus est, ut aliqua Clerici violentia antecesserit, vel saltem periculum violentiæ, quam necesse sit laicos per se ipsos repellere cum moderatione inculpatæ tutelæ. Ex quo

Sciendum II. Quod ob defectum justitiæ, sive ob negligentiam Ordinariorum, Clericos ad sæculare tribunal trahere non licet, sicuti significatur in cap. Qualiter, & quando, juncta rubr. & Gloss. ver. prohibemus. Ratio est, quia, ut inquit Abb. loco cit. n. 7. Naturale est, ut major minoris, & non minor suppleat negligentiam, seu defectum majoris. Ecclesiasticus autem Magistratus major est sæculari, sicut spiritualia potiora sunt temporalibus, cap. denique, cap. duo sunt, dist. 96. Ergo Judex sæcularis non supplet negligentiam Judicis Ecclesiastici, sed potius vice versa, ut habetur in cap. Ex transmissa, cap. licet I. cap. ex tenore, de foro compet. Potest tamen sæcularis admonere, & instare apud Superiorem Ecclesiasticum, ut provideat, & invigilet: non autem se intromittere.

Sciendum III. Quod, spectato communi jure, & seclusis specialibus privilegiis, non potest approbari praxis illa, quam referunt, ac defendere conantur Covar. & PP. Salmant. quod, si aliquis, seu laicus, seu Clericus, vi, aut censuris reprimatur a Judice Ecclesiastico, simplicem querelam deferre possit ad tribunal regium: tunc vero Senatoribus regiis competat, acta omnia, & processum causæ Ecclesiasticæ ad se advocare, & examinare; atque, si injustitiam commissam esse compererint, Ecclesiasticum Judicem ad actorum rescissionem compellere. Nam, ut optime notant Suar. & Laym. hoc esset subordinare jurisdictionem Ecclesiasticam jurisdictioni sæculari tanquam Superiori, quod, sine privilegio delegationis a Sede Apostolica

lica concesso, fieri non potest sine manifesta usurpatione alienæ jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ violatione. Quare necesse est, ut qui existimat, se injuriam, & vim pati a Judice Ecclesiastico, querelam deferat ad ejus Superiorem, videlicet Metropolitanum, vel Summum Pontificem. Quod, si in extraordinario casu id fieri non posset, tunc injuste oppressus naturali jure & se ipsum defendere, & alios quoscumque etiam laicos ad sui defensionem advocare potest, modo injuria manifesta sit, & nihil fiat per modum usurpatæ jurisdictionis, sed solum per modum justæ, ac necessariæ defensionis.

Sciendum IV. Probabile esse, quod Clericus in flagranti crimine deprehensus, aut suspectus de proposito perpetrandi, puta, quia nocte armatus incedit, possit capi a ministro potestatis sæcularis, ut Ecclesiastico suo Judici tradatur, sicuti docent Abb. Navar. Sylv. Sà, Mol. Avil. contra Hostien. aliosque. Necesse tamen est in tali casu, quod laici ex mandato tacito Prælatorum Clericum capiant, ut notavit Suarez; alioquin valde difficile, & moraliter impossibile esset absque tali mandato intra terminos necessariæ defensionis consistere, & jurisdictionem in Clericos non usurpare, ut eruitur ex cap. ut famæ, & singulariter notavit Gloss. in cap. Si Clericos ver. excedatur, de sent. excom. in 6. Similiter probabile est, Clericum debitorem, si fugiat, vel fugam meditetur, posse non tantum a Judice sæculari, sed etiam a creditore privato capi, ac detineri, ut Judici suo sistatur, & ad solutionem compellatur, dummodo debitum alicujus sit momenti, ut docent Abb. Navar. Sylv. Nam hoc casu Clericus perinde se habet, ac si pecuniam alienam fugiens auferret; talem autem capi, & reduci, nemo negat posse licite fieri, quia contra vim injustam naturali jure concessum est se defendere.

Sciendum v. Ex D. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 1. Quod Clericus a Judice sæculari vocari, & compelli non potest ad testificandum, nec etiam in causa, in qua non agitur de pœna sanguinis alteri inferenda: quia testimonium alicujus auctoritate requirere, seu imperare, actus jurisdictionis est, ad proprium Superiorem spectans. Clerici autem exempti sunt a jurisdictione sæcularium Judicum. Quod, si res postulare videtur, ut Clerici testimonium in aliqua causa habeatur, duo modi usurpari poterunt. Primus est, ut Clericus coram suo Ordinario examinatus deponat, ac depositiones ejus, si opus est, ad Judicem sæcularem mittantur. Secundus modus est, ut Episcopus Clerico licentiam det coram sæculari Judice testificandi, sicuti docent Mascard. & Farinac. Verum in causis levibus, in quibus juramentum exigi non solet, consuetudine obtentum esse videtur, ut Clerici sæculares a Judice, vel a partibus rogati ad testificandum, in causis præsertim civilibus, ultro accedant, non requisita prius Episcopi licentia.

Sciendum VI. Quod, si aliquis post crimen commissum, Clericus, vel Religiosus fiat, non poterit a Judice sæculari judicari, & puniri, ut ex communi sent. docent Abb. Covar. Navar. Suar. Quia privilegium exemptionis introductum est ad honorem status Clericalis, quod, utpote favorabile, ampliari debet, & non restringi. Si enim criminosus ad locum sacrum confugiens, inde extrahi, & a sæculari Judice puniri non potest; quanto minus, si ipsamet persona sacra effecta sit? Excipiunt vero Doctores communiter, nisi reus in fraudem Clericus, vel Religiosus factus sit. Dubitant tamen, in quibus casibus criminosus in fraudem clericalem statum assumpsisse credendus sit, ut videre est apud Abb. in cap. de obligatis ad ratiocinia 2. n. 5. Qua de re vide Laym. lib. 4. tract. 9. cap. 4. n. 12. Denique, si Clericus amittat privilegium fori, non poterit a Judice sæculari judicari de crimine prius commisso dum privilegio fruebatur: sed de eo debet judicari a Judice Ecclesiastico: inspicitur enim tempus delicti, sicuti colligitur ex l. 1. ff. de pœnis, & ex communi sent. docent Covar. Clar. Ultimo notandum est, quod quando criminosus in fraudem fit Clericus, remanet devinctus Judici sæculari, non ratione personæ, sed bonorum suorum, adeoque in his solis poterit puniri, non autem in persona; sicuti omnes concedunt.

CAPUT V.

De immunitate Clericorum in civilibus causis.

DEinde considerandum est de immunitate Clericorum in civilibus causis. Circa quod

Sciendum I. Clericos in causis etiam civilibus, ideoque etiam realibus, a sæculari potestate exemptos, & coram Ecclesiastico tantum Judice suo conveniendos esse, utroque jure notissimum est. Quare hanc esse communem Doctorum sententiam testatur Abb. cap. Qualiter, de Judiciis n.8. Ratio est, quia, si bona non habeant obligationem per se, propriam sibi, seu realem, sequuntur conditionem, & statum personæ, ita, ut, si ea eximatur ab obligatione, seu jurisdictione, etiam bona ipsius exempta sint. Siquidem fieri non potest, ut Judex de bonis processum Judicii, atque sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, eidemque jubendo: quæ sine jurisdictione in illam fieri non possunt. Quare certum est, dicit Abbas, quod, si persona exempta est, etiam res ejus. Unde l. ult. C. Ubi in rem actio, & cap. ult. de foro compet. dicitur. Actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur. Quæ regula de personis omnino exemptis, & privilegiatis, sicuti sunt Clerici, absque exceptione certissima est, ut notat Laym. l.4. tract.9. c.5.

Sciendum II. Quod, si bona, quæ a Clericis possidentur, comparatione laici obligationem habeant per se, sibique propriam, puta, quia in feudum data sunt a principe; tunc non sequuntur conditionem personæ. Nam dominium semper manet apud primum conferentem, ad quem pertinet proprie de controversiis super feudo orientibus judicare, sicuti habetur expresse in cap. Ex transmisso, cap. Verum de foro compet. ubi Abb. n.13. Quamobrem in controversiis, quæ ratione feudalium dominiorum oriuntur, ab Episcopo non ad Papam, sed ad Regem, vel Imperatorem appellandum est, ut monent Doctores in cit. cap. Verum. Quia, cum dominus laicus cognoscit in causa feudali, potius judicat super re sua, quam de Clerico, cum tantum sit Judex respectu causarum, quæ oriuntur occasione feudi, ait Abb. in cit. cap. Qua de re vide Suar. libr. 4. defens. fidei Catholicæ cap. 34. num. 26.

Sciendum III. Quod, si bona immobilia Ecclesiæ a laico domino donata fuerint cum revocatione jurisdictionis, quæ v. gr. laico, tanquam advocato Ecclesiæ, competere debent erga bona illi relicta, quæ jus patronatus laicale dici solet; talis conditio tanquam justa omnino servanda est, sicuti docent DD. in cap. Verum de condit. appositis, cap. Præterea 2. de jure patronat. & specialiter notat Suar. lib. 4. cap.14. num.13. ubi dat hanc regulam: Quoties bona a principio data fuerunt Clericis, vel Ecclesiæ sub aliqua conditione, ut semper sub eodem foro maneant, sub quo tunc existebant. Denique extra controversiam est, quod, si Clericus adversus laicum actionem intentat, coram sæculari Judice comparere debet: quia actor forum rei sequitur, cap. Si Clericus, cap. Cum sit, de foro compet. Quibus tamen locis duæ exceptiones ponuntur. Una est, nisi consuetudine aliud observetur. Altera est, nisi causæ sint mixti fori.

CAPUT VI.

De immunitate Ecclesiasticorum bonorum.

COnsequenter ad ea, quæ pertinent ad immunitatem personalem Clericorum, considerandum est de immunitate rerum, seu bonorum Ecclesiasticorum. Circa quod

Sciendum I. Quod bona ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas spectantia triplici genere continentur. Ad primum bonorum genus pertinent ipsæ materiales Ecclesiæ, & adjuncta cœmeteria: vasa item, vestes, & quæcumque consecrata, vel benedicta sunt, tanquam divini cultus instrumenta. De quibus omnibus indubitatum est, ex speciali ratione a tributo, vectigali, & quibuscumque exactionibus immunia esse debere. Ratio est, quia hæc nullam utilitatem temporalem habent, quæ in æstimationem venire possit: quandoquidem ad divini cultus ministerium dedicata, nullis aliis usibus humanis, ac profanis applicari debent. Simili ratione ab

omni

omni onere, ac servitio libera sunt Ecclesiæ arcæ, domus, & horti juxta positi; siquidem hæc omnia ferme nullum alium usum, aut fructum habere possunt, nisi ordinatum ad sacrum ministerium. Et ideo nullo prorsus onere, vel servitio gravari, aut, si antea gravata erant, liberari debent, juxta cap. Secundum canonicam, cap. sancitum est, 23. qu. 8. & cap. 1. de censibus.

Sciendum II. Quod alterum genus continet bona Ecclesiarum cum immobilia, tum mobilia quæcumque. Cujusmodi bona a tributis, & omni exactione sæcularium potestatum libera esse oportere, utroque jure certum est. Sunt enim patrimonium Christi, ut plane consequens sit, exemptionem hanc divini juris esse, quia Filium Dei liberum esse oportet ad exactione principum terrenorum, juxta illud Matth. 17. *Ergo liberi sunt filii*. Duæ tantum exceptiones ex communi sent. admittendæ sunt. Prima, si fundator Ecclesiæ in fundatione moderatam aliquam præstationem cum Episcopi consensu sibi reservavit: nam ejusmodi pacta, sive conditiones servari oportere colligitur aperte ex cap. Verum, de condit. apposit. & aliis juribus. Secunda, si bona, antequam ad Ecclesiam quocumque titulo devenerint, reali aliquo onere, servitio, pensione, tributo obligata fuerunt: nam res transit cum onere suo, cap. ex litteris de pignorib. Donans enim bona Ecclesiæ juri alieno non potest præjudicare. Ex hoc tamen male infertur, quod inter hæc onera debeant numerari tributa: quia onus solvendi tributa non est mere reale, sed adhæret rebus propter personas, quæ sub principis jurisdictione existentes, lege tributi obligari possunt: ergo, si transeunt ad omnino exemptos, pariter & illa eximi oportet, juxta regul. Juristarum: Mutata persona, mutatur etiam conditio rei. Qua de re vide Laym. l. 4. tr. 9. c. 6. ubi diffuse explicat distinctionem inter onus reale, personale, & mixtum.

Sciendum III. Quod tertium genus bonorum sunt, quæ ad singulas personas Ecclesiasticas dominii capaces proprie spectant. Eaque duplicis generis sunt. Nam quædam titulo spirituali acquisita sunt, puta, beneficiorum reditus, Missarum stipendia: Quædam vero ex titulo temporali, v. g. hæreditate, arte, manuum labore: ideoque illa Clericalia, hæc patrimonialia bona hoc loco appellari possunt. Bona Clericalia ab omni exactione, & tributo sæcularium principum libera esse debere, est communis Doctorum sent. tradit in cap. sancitum, 23. q. 8. cap. 1. de censibus. Nam sive hæc Clericorum stipendia, & lucra spectentur quoad titulum, & causam acquirendi, sive spectentur quoad personas, a quibus acquisita sunt, neutra consideratione sæculari potestati subjecta esse possunt. Sed & in bonis patrimonialibus Clericos exemptos esse a sæcularuim principum exactionibus, & juridictione, est communis Doctorum sent. & sumitur expresse ex c. Adversus, de immunitate Ecclesiar. & l. 2. & constit. Item nulla, Cod. de Episc. & Cleric. quod juri divino, & naturali consonum est. Nam solvere tributum subditorum proprium est: personæ autem Ecclesiasticæ immunes sunt a jurisdictione sæcularium. Accedit, quod, cum domini sæculares a Clericis accipianr spiritualia commoda, æquum non est, ut etiam temporalia ab iis exigant, sed potius tribuant, juxta illud Apostoli, 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

Sciendum IV. Quod regula illa, quam tradit Gloss. in cap. Ecclesia, ver. personis Ecclesiast. de constit. Quod bona Clericorum propria, & bona Ecclesiarum eodem jure, ac privilegio gaudent; vera est in iis tantum privilegiis, quæ principaliter competunt personis, sive statui Ecclesiastico, rebus vero ipsorum accessorie, v. g. ut coram sæculari judice tanquam rei non conveniantur, etiam in causa civili, ac reali: ut a vectigali, tributo, collecta, non tantum mere personali, sed etiam mixta, liberi, & immunes sint. Ea vero privilegia, quæ ob favorem bonorum Ecclesiasticorum principaliter data sunt, ut est beneficium restitutionis in integrum, si Ecclesia in contractu læsa sit: item, ut non tempore ordinario usucapio immobilium bonorum Ecclesiæ perficiatur; non competunt bonis Clericorum propriis, sicut ex communi notavit Abbas in cap. vigilanti, num. 36. de præscript. & in cap. Ecclesia, n. 7. Ratio est, quia bona Ecclesiastica inter res sacras numerantur, cujus rei signum est, quod eorum

eorum injusta ablatio sacrilegium censetur. Non ita vero bona Clericorum propria, præsertim ex temporali titulo acquisita, sacra censentur: consequenter nec ejusdem juris favorem merentur. Videri potest Suar. lib. 4. c. 23. defens. fidei.

CAPUT VII.

Quænam personæ Ecclesiasticæ exemptione gaudeant.

Deinde considerandum est in speciali de personis, quæ exemptione, seu immunitate Ecclesiastica gaudent. Circa quod

Sciendum I. Quod non tantum Clerici, sed etiam regulares omnes utriusque sexus, etiam novitii eorum, & laici conversi a potestate sæculari exempti, & immunes sunt. Ita sumitur ex lib. 16. Cod. Theodos. de Episc. & Cleric. l. 36. Authen. Justiniani Imper. Novella 123. §. Si quis contra, Collat. 9. quam allegat, & confirmat Gregor. I. Papa, lib. 11. Epist. 54. relatus in cap. de persona, 11. q. 1. & ex cap. Clericis, de immunit. Eccles. in 6. quibus in juribus expressa mentio fit exemptionis personarum regularium. Item ex cap. Non minus, cap. Adversus, extra. eod. tit. & constit. Friderici Imperat. statuimus, Cod. de Episc. & Cleric. quibus juribus generatim eximuntur Ecclesiasticæ personæ, quo nomine comprehenduntur quoque regulares utriusque sexus, eorumque Novitii, ac laici conversi, omnesque illi, quos supra cap. 2. dixi gaudere privilegio canonis. Notanda est enim regula, quam tradit Suarez lib. 4. defens. c. 29. n. 7. Quibus personis ex vi sui status competit privilegium canonis, iisdem etiam privilegium fori, seu exemptionis a potestate sæculari, ac vice versa, competit. Ratio est, quia privilegium canonis ideo personis concessum est, quia sacræ sunt, Deo dicatæ, ideoque Ecclesiasticæ: Atqui ob hanc causam non oportet eas sæculari potestati subjectas esse: sed ad Ecclesiæ tribunal pertinere: ergo utrumque privilegium eisdem personis competere debet. Unde

Sciendum II. Quod non tantum Clerici in sacris, sed etiam in minoribus ordinibus constituti, vel prima tantum tonsura insigniti, privilegio gaudent exemptionis, dummodo conditiones habeant requisitas a Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. videlicet, ut, vel beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel Clericalem habitum, & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato sui Episcopi deserviant: vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos, versentur. Circa quam constitutionem quædam notanda sunt. Primo, quod non statim Clericus minoribus initiatus fori privilegium amittit, si semel, aut iterum tonsuram, & habitum deferre intermiserit; sed tantum, si non deferendi consuetudinem habuerit. Contra etsi semel dimiserit, si postea sine fraude, & dolo reassumpserit, recuperat privilegium, ut ex communi docent Covar. Suar. Sylv. Layman, Secundo, etsi Clericus beneficiatus habitum, & tonsuram nunquam deferat, non amittit tamen privilegium fori, donec ab Episcopo ter monitus incorrigibilem se ostenderit, juxta cap. In audientia, cap. contingit 41. de sent. excomm. Tertio, privilegium fori, de quo hic Trident. loquitur, trahit etiam secum exemptionem a tributis, sicuti ex communi docet Suar. cap. 27. num. 14. & consuetudine observari notat Covar. c. 31.

Sciendum III. Quod Clerici conjugati, qui cum unica, eaque virgine contraxerunt, si tonsuram, & vestes deferant Clericales, & statui eorum convenientes, insuper alicujus Ecclesiæ servitio, seu ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, ac ministrent, præter privilegium canonis, etiam fori exemptionem retinent; tamen dumtaxat in causis criminalibus, sive criminaliter, sive civiliter agant: in causis vero mere civilibus, atque tributorum solvendorum obligatione, subjecti manent sæculari potestati; nisi speciali lege, consuetudine, vel privilegio etiam in his eximantur. Ita habetur in cap. un. de Cleric. conjug. in 6. juncto Trident. sess. 23. c. 6. Adde, Clericum conjugatum, etsi negotiationem aliquam exerceat, non ideo canonis, ac fori privilegio privari, sed neque per sententiam privandum esse, nisi indecens negotiatio esse videatur. Non enim omnis

omnis negotiatio, quæ aliis Clericis prohibita est, etiam conjugatis prohibita censeri debet, arg. cap. Joannes, de Cleric. conjug. juncta Gloss. ver. non potest, & notant Covar. Sylv. Suar. Laym. contra Clarum.

Sciendum IV. Quod, si captus a Judice sæculari, excipiat se Clericum esse, vel Clericali privilegio gaudentem; talis causa, seu incidens quæstio, non a sæculari, sed ab Ecclesiastico Judice cognosci debet: sicuti habetur expresse in cap. Si judex, de sent. excomm. in 6. Si tamen notorium sit, exceptionem frivolam, inanem, & solum fallendi causa appositam esse, haud dubie sæcularis Judex, ea rejecta, in causa principali procedere poterit. Denique notandum, quod Ecclesiasticæ personæ, quæ statum immutabilem habent, ut sunt Clerici in sacris constituti, & religiosi professi privilegium fori regulariter non amittunt, nisi eo per sententiam priventur in criminis pœnam, sicuti notavit Suarez, c. 29. n. 8. Aliæ vero Ecclesiasticæ personæ, quæ statum mutabilem habent, ferme arbitratu suo abjicere possunt habitum, eoque deposito privilegiis Clericalibus privari.

CAPUT VIII.

De asylo, seu jure immunitatis constituto Ecclesiis, aliisque locis piis.

DEinde considerandum est de immunitate locali, seu de asylo, seu jure immunitatis constituto Ecclesiis, aliisque locis piis. Circa quod

Sciendum I. Quod legibus tum civilibus Christianorum Imperatorum, tum multo magis canonicis, quibus etiam dictæ leges civiles approbatæ, & stabilitæ sunt, immunitas reis ad Ecclesiam, aliaque loca pia confugientibus constituta est. Quæ quidem immunitas, licet exemplar habuerit in lege Mosaica, & juris naturalis æquitati contentanea sit; nullo tamen jure naturali, aut divino legis Christi præcipitur. Non enim id absolute præcipit lex naturalis, etiam supposita sanctitate loci, quippe cui extractio malefactorum, quæ per se justa est, haud repugnare videtur. Multo minus lex positiva Evangelica talem immunitatem decrevit: quandoquidem Christus Dominus supra legem naturæ, ac Fidei, nullas leges cæremoniales, nisi circa ritus sacrificii, & sacramentorum, addere voluit: reliqua vero Ecclesiæ disponenda reliquit, ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 106. a. 2. Quo supposito,

Sciendum II. Quod loca, quæ hac immunitate gaudent secundum jura, sunt in primis templa, & sacella, auctoritate Episcopi consecrata, aut benedicta, aut alia ratione, puta Crucis erectione, deputata ad publicum sacrificii, & sacramentorum usum. Nam talia loca sacra censentur, ideoque nullis temerariis ausibus prophananda sunt, cap. penult. de immunit. Eccles. ubi id explicat Abb. n. 5. Ubi eadem ratione infert, etiam Oratoria Ecclesiastica immunitate gaudere, si cum Episcopi auctoritate divinis officiis deputata, licet nec consecrata, nec benedicta sint. Secus autem sentiendum est de privatis Oratoriis, in quibus Papa, vel Episcopus licentiam dedit Missas celebrandi: hæc enim immunitate non gaudent, uti ex communi annotavit Sanchez lib. 9. de matrim. d. 15. num. 39. extendenda est hæc immunitas. Primo, ut locum habeat etiam in Ecclesia interdicta, aut polluta, vel violata. Secundo etiam in Ecclesia, ubi adhuc divina mysteria non sunt celebrata. Tertio in cœmeteriis, & in omnibus locis, seu habitaculis Ecclesiæ, puta sacristia, atrio, porticu, quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus, sicuti dicitur in cap. Si quis contumax, 17. q. 4. Quarto extenditur ad domos, atria, & quæcumque loca existentia in circuitu 40. passuum in Ecclesiis majoribus 30. vero in minoribus. Quinto extenditur ad omnia loca, quæ canonico jure religiosa censentur, ut est hospitale auctoritate Episcopi constitutum, Religiosorum monasteria cum toto ambitu claustri, Episcopi Palatium etiamsi ab Ecclesia sejunctum, ut eruitur ex cit. juribus. Sexto Doctores illam extendunt ad Sacerdotem manu gestantem sacram Eucharistiam, ut videre est apud Laym. lib. 4. tract. 9. c. 2. numer. 6.

Sciendum III. Quod omnes fideles cujuscumque conditionis existant, si ad Ecclesias, vel loca sacra jam dicta confugiant, gaudent immunitate Ecclesiæ, exceptis casibus

sibus in jure expressis, ut constat ex cap. Inter alia, de Immun. Eccles. cap. Frater, cap. Minor. Probabile est etiam infideles gaudere hac immunitate, ut docent Sylv. Dian. Armil. Salmant. saltem, si velint converti, ut docent Lez. Laym. Pal. & ita declarasse Sacram Congr. refert Barbosa. Probabilissimum etiam est, Clericos, & Religiosos gaudere hac immunitate respectu suorum prælatorum, ita, ut non possint ab ipsis extrahi, si ad Ecclesiam propriam confugiant, ut sæpius declaravit sacra Congr. teste Diana, Barbosa, Farinac. Bord. Guttier. Probabile tamen est oppositum, quod tenent Suarez, Pal. Bonac. Laym. Sylv. Lez. extenditur etiam dicta immunitas in causis civilibus, etiam ad fallitos, ut docent Farin. Suar. Pal.

Sciendum IV. Quod casus, ob quos hac immunitate malefactores non gaudent, sunt atrociora quædam crimina, quæ ad septem genera reducuntur, quæ recensentur in bulla Gregor. XV. quæ incipit: Cum alias nonnulli, his verbis; *Ad unam tantum formam reducimus, & moderamur, ut Laici ad Ecclesias, locaque sacra confugientes, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, & publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditione proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ majestatis rei in personam ipsiusmet principis, immunitas Ecclesiastica non suffragetur*, ubi, ut vides, solum septem genera malefactorum ab immunitatis Ecclesiasticæ participatione excluduntur. Qua de re Salmant. tr. 18. cap. 3. p. 3.

Sciendum V. Quod effectus hujus immunitatis sunt octo. Primo, ut reus ad Ecclesiam confugiens pro asylo, in ea capi, vel ab ea invitus extrahi non possit, cap. inter alia, de Immunit. Eccles. Secundo, ne reus in Ecclesia existens vinculis alligetur, vel alio modo personaliter vexetur, cap. definivit, 17. q. 4. Tertio, ne fugienti ad Ecclesiam impediantur alimenta, vestitus, & reliqua vitæ necessaria, l. præsenti, C. de his qui, cap. definivit, cit. Quarto, ne bona delinquentis, quæ secum ad Ecclesiam tulerit, auferantur; dummodo tamen aliorum non sint, vel aliis obligata, ut declaravit S. Congr. anno 1642. Quinto, ne reus, dum in Ecclesia moratur, damnetur ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, vel ad exilium, triremes, servitutem, flagellationem, vel quid simile, cap. Inter alia, cap. constituimus, 17. q. 4. consuetudo tamen est in contrarium; ut notat Farinac. Sexto, ut extractus violenter, extra casus in jure expressos, ante omnia debeat Ecclesiæ restitui, cap. Minor, 17. q. 4. Septimo, quod, si reus de facto ab Ecclesia extrahatur, talis extractio nulla sit, & omnes actus ex illa secuti, ut expresse habetur in bulla Gregor. XV. Judex tamen non teneretur restituere reo damna inde secuta, quia non peccat contra justitiam, sed solum contra religionem, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 2. ad 3. contra Suar. Lez. Pal. Octavo, si Judex velit extrahere reum ab Ecclesia extra casus permissos, illi per vim resisti possit: quæ tamen resistentia a personis Ecclesiasticis fieri non debet per arma materialia, sed per censuras, & claudendo ostium, & reum de manu ministrorum eripiendo; alias, si mors, vel mutilatio sequeretur, fierent irregulares. Ita Pelliz. Bonac. Lez. Salmant.

Sciendum VI. Quod violatores hujus immunitatis Ecclesiasticæ peccant graviter peccato sacrilegii, quod reputatur læsæ majestatis divinæ, & ob id a jure civili pœna capitali, & ultimo supplicio punitur, l. præsenti, C. de his, ex jure autem canonico judicio Episcopi pœnitentia publica puniri possunt, nec non pœna pecuniaria, in cultum Ecclesiæ violatæ applicanda, cap. Si quis contumax, 17. q. 4. quæ pœnæ innovatæ sunt a Trident. sess. 25. c. 20. Insuper in bulla Gregor. XV. incurrunt ipso facto excommunicationem Judex mandans delinquentem extrahi, aut extractum non restituens: deinde omnes ministri ad hoc concurrentes: & denique quælibet alia persona, etiam particularis, quæ quomodolibet ad talem extractionem adjuvaverit. Et non solum has pœnas incurrit, qui de facto extrahit, sed, qui extrahere proxime tentavit mandato, vel ejus acceptatione, vel tentando aperire portam Ecclesiæ, vel extrahere inde delinquentem, etiamsi non potue-

potuerit. Ita Farinac. Pelliz. Lez. Bord. Pal. Hanc excommunicationem incurrunt etiam regulares, si reos, ad sua Monasteria, vel Ecclesias confugientes, præsumant expellere, ut colligitur ex cap. Minor, 17. q. 4. & ex bulla Gregor. salvo tamen jure naturali illos ejiciendi, si regularem observantiam perturbent, vel damnum inferant, vel inquieti, injurii, odiosi sint religiosis: quia tunc non est præsumere, sed uti jure suo, ut docent Sanch. Salmant.

Sciendum VII. Quod ab hac excommunicatione nequeunt confessarii regulares absolvere sæculares ex vi suorum privilegiorum, nisi particularem habeant facultatem ab Ordinario: quia ab eis quoad hoc sublata est omnis facultas a Clem. VIII. in decreto edito super casuum reservatione: & insuper intra Italiam extra Urbem nemo potest ab hac excommunicatione absolvere, nisi solus Summus Pontifex, ut ex communi notat noster Piselli. Denique notandum est, quod in casibus exceptis, spectato juris rigore, non potest Judex laicus extrahere delinquentem ab Ecclesia absque licentia Episcopi, vel ejus officialis, etiam si Ecclesia sit regularium, aut alio modo exempta. Sed ex consuetudine, & praxi communi, posse Judices sæculares in casibus expressis, inconsulto Episcopo, reos ab Ecclesia extrahere, quando certo constat delictum non gaudere immunitate, docent Suar. Pal. Covar. Farinac. Salmant. Nec tunc Judex pœnam violatorum incurret: Episcopus vero ab Ecclesiis, vel Monasteriis regularium non potest reum extrahere, etiam si sit Clericus, sine licentia Prælati regularis: quia in locos, & personas exemptas non habet jurisdictionem. Sic Pelliz. Cespedes, Salmant.

CAPUT IX.

Quibus modis Immunitas Ecclesiastica violari soleat, & puniri.

Post hæc considerandum est de modis, quibus immunitas Ecclesiastica violari solet, ejusque violatio puniri. Circa quod

Sciendum I. Quod Ecclesiastica immunitas duobus modis violari potest. Uno modo solo facto, seu privata usurpatione juris, puta, res Ecclesiæ surripiendo, Ecclesiasticam personam percutiendo. Alio modo sub prætextu publicæ potestatis, seu jurisdictionis in Ecclesias, aut Ecclesiastica bona, & personas. Tametsi autem uterque modus violandi ex genere suo sit peccatum mortale, tum quia injuriam continet adversus justitiæ virtutem, tum quia sacrilegii malitiam habet contra virtutem religionis: tamen posterior modus multo gravior, ac detestabilior censetur, arg. cap. Si vero, de sent. excom. in quo habetur: Si ostiarius, dum turbam arcet, Clericum percutiat, ab Episcopo absolvi posse, nisi percussio gravis, sive enormis sit: at vero, si officialis, id est Judex, vel apparitor potestatis sæcularis in Clericum manus injiciat, ad Sedem Apostolicam mittendum esse: quia non tantum injuriam infert, sed etiam jurisdictionem usurpat, sicuti ait Abb. ibidem. Quapropter posterior iste modus Ecclesiasticam libertatem violandi vix unquam ex levitate materiæ venialis efficitur: nam, v.g. exiguum aliquod tributum a Clericis exigere tanquam debitum Ecclesiasticæ potestati non exiguam injuriam continet, cum significet subjectionem Clericorum, quæ ipsos dedecet. Nunc vero subjiciam modos speciales, quibus Ecclesiastica libertas sub prætextu publicæ sæcularis potestatis violari solet: qui quatuordecim numerantur. Pro quorum notitia

Sciendum II. Quod primus modus est, si Magistratus sæcularis reum ad Ecclesiam, tamquam ad asylum confugientem, inde extrahere præsumat, præter quam in casibus jure canonico concessis: sicut dictum est in cap. ant. Secundus, si domini temporales in domibus Ecclesiarum hospitium sibi vindicent tanquam jure debitum, c. 1. de immun. Ecclesiar. juncta Gloss. ver. hospitium, ubi ait: sed charitativum hospitium petere possunt a Clericis. Tertius, si sæcularis magistratus Clericos, tamquam reos, ad tribunal suum, præter juris canonici dispositionem, trahere præsumat: quod sub pœna ferendæ excommunicationis jure antiquo prohibitum erat cap. Nullus Judicum, 11. qu. 1. & cap. 2. de foro comper. Nunc autem est excommunicatio bullaris decimaquinta. Quartus, si temporales rectores, seu potestates, Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas angariis, collectis,

ctis, seu talliis, vel similibus exactionibus, atque oneribus gravant: quod sub anathematis districtione prohibetur in cap. Non minus, & cap. adversus. Nunc autem est excommunicatio bullaris decima octava.

Sciendum III. Quod quintus modus est, si sæculares potestates pedagia, gabellas, seu portoria, ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis exigant pro rebus ipsarum propriis, & quas non causa negotiationis deferunt: quod prohibetur in cap. Quamquam, de censibus in 6. addita censura ipso facto incurrenda excommunicationis, si singulares personæ fuerint: si vero universitates, Interdicti. Hodie vero excommunicatio ista videtur Papæ reservata in bulla Cœnæ §. decimo octavo, illis verbis: vel similia onera. Idque docent Sylv. Suar. Sayr. contra Navar. Sextus modus est, si domini temporales, jurisdictionem quamlibet, reditus, seu fructus, ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum pertinentes, usurpent: vel quavis occasione, aut causa, sine Summi Pontificis, vel aliorum, ad id potestatem habentium, expressa licentia sequestrent: & annexam id habet excommunicationem bullarem decimam septimam. Videri potest Cajet. ver. excommun. c.27. Septimus modus, qui statuta, vel consuetudines contra Ecclesiæ libertatem introductas, observari præcipiunt: vel secundum eas judicare, aut judicata in publicam formam scribere præsumunt. His excommunicatio ipso jure decernitur in cap. Noverit de sent. excom.

Sciendum IV. Quod octavus modus est: Qui quovis modo impediunt, ne causæ, ratione personarum, negotiorum, aut rerum ad forum Ecclesiasticum ordinario, aut delegato jure pertinentes (uti sunt beneficiales, decimarum, & hujusmodi) in eodem foro definiantur: vel, qui talem causam ad forum sæculare violenter trahere conantur. Contra hos excommunicatio ipso jure lata est in cap. Quoniam, de immunit. Eccles. in 6. & videri potest excom. bullaris 14. & 16. Nonus modus est, si Magistratus sæcularis Ecclesiasticas personas compellat ad munera sordida, cap. generaliter 16. quæst. 1. vel angarias, aut alia munera, seu servitia indebita. Const. item nullæ, Cod. de Episc. & Cleric. hodie vero id prohibitum videtur excommun. bullari 18. Decimus modus est, si temporales domini subditis suis interdicant, ne Ecclesiasticis personis quicquam vendant, aut, ne aliquid ab ipsis emant; aut, ne eis molant, panem coquant, aut alia obsequia exhibeant, ob quam causam illi excommunicationis sententiam ipso facto contrahunt, cap. ultim. de immunit. Eccles. in 6. Undecimus est, si sæcularis in bona Ecclesiasticorum, ea occupando, arrestando, contra juris ordinem invadat, sub prætextu debiti non soluti, justitiæ non ministrandæ. Nam ordinarie non desunt remedia querelam deponendi apud Superiorem, videlicet Papam. Qua de re videri potest D. Martha part. 4. casu 41. n. 30.

Sciendum V. Quod duodecimus modus est, si sæcularis potestas cum auctoritate se immiscet electioni Ecclesiasticæ: quo in casu electio fieri dicitur per abusum sæcularis potestatis, cap. quisquis, de elect. ubi etiam pœnæ adjiciuntur, ut, qui tali electioni suæ consentit, electionis commodo careat, & ad quamcumque aliam dignitatem ineligibilis fiat, donec cum eo dispensetur, etiam ab Episcopo, secundum Gloss. ibi ver. fiat. Clerici autem electores, qui electionem tali modo celebrare præsumpserint, jure eligendi ea vice privantur, & ab officiis, ac beneficiis pœnitus suspendi debent. Videri etiam potest cap. Sciant cuncti, de elect. in 6. ubi excommunicatio ipso jure infertur omnibus, qui Ecclesiasticam personam, ejusve consanguineos, Ecclesias, aut bona gravant, propterea quod eum, pro quo rogatur, eligere nolint, vel postulare, instituere, confirmare: uti Doctores communiter extendunt apud Suarez, disp. 23. sect. 4. n. 5. Sayrum lib. 3. cap. 34. n. 8.

Sciendum VI. Quod decimustertius modus est, si sæculares potestates leges condant, vel statuta edant, aut servari faciant, quæ Ecclesiasticæ libertati adversantur, sicuti habetur in Authen. Cassa, & irrita, Cod. de SS. Ecclesiis, & cap. Noverit, de sent. excomm. hodie autem est excomm. bullaris 15. Decimus quartus modus. Qui Clericum, vel Ecclesiasticam personam ad curam, seu tutelam suscipiendam compellit, l. generaliter, Cod. de Episc. & Cleric. & cap. ult. dist. 88. quod est

est S. Cypriani, lib. epist. 9. ubi ait, pro dormitione ejus, qui Sacerdotem, aut altaris ministrum tutorem constituere ausus est, oblationem, seu deprecationem aliquam ab Ecclesia faciendam non esse. Agnationis tamen tutelam legitimam Clerici suscipere possunt, cap. ult. dist. 86. Multoque magis miserabilium, aut aliarum patrocinio destitutarum personarum curam, cit. cap. ult. & cap. 1. dist. 87. juncta Gloss. & cap. 1. dist. 88. Qua de re vide Layman, lib. 3. tract. 4 cap. 9. n. 4.

CAPUT X.

Utrum Ecclesiastica immunitas per contrariam consuetudinem tolli, aut minui possit.

Denique considerandum est, utrum per consuetudinem contrariam tolli possit, aut minui Ecclesiastica immunitas. Circa quod

Sciendum I. Quod consuetudo, quamvis immemorialis, si sola sit, & nullo statuto, seu privilegio Summi Pontificis adjuvetur, non potest Ecclesiasticæ immunitati quicquam derogare: Ita Doctores communiter in cap. Clerici. Ratio est, nam, si consuetudo Ecclesiasticæ immunitati derogare posset, vel id fieret per modum renunciationis, interveniente scientia, & patientia, ideoque tacito consensu Summi Pontificis: vel per modum legitimæ præscriptionis, quæ, etiam ignorante principe, adversus legem fieri potest. Sed neuter horum modorum sufficiens est. Non prior, quia satis constat, Summum Pontificem hujusmodi consuetudinibus non præbere consensum approbativum: quin potius eas reprobare, & damnare per generalia edicta, & censuras bullæ: particulatim vero interdum tolerare, quia, ob periculum majoris mali, efficacius resistere, & prohibere non potest. Non posterior modus, nam consuetudo, quæ ut irrationabilis damnata est, non potest via præscriptionis legem abrogare, sicuti constat ex cap. ult. de consuet. Sed consuetudo adversus Ecclesiasticam libertatem, tanquam irrationabilis, passim in jure damnatur, tum canonico, tum civili: ergo non potest via præscriptionis legem abrogare.

Sciendum II. Quod nemo dubitat, quin Summus Pontifex per speciale privilegium, ob justam causam concessum alicui Principi, aut Magistratui sæculari, ex parte aliqua derogare possit Ecclesiasticæ immunitati, ut proinde virtute talis privilegii laici capaces sint jurisdictionis in Ecclesiasticas personas, secundum limites concessionis. Quapropter, etiam si accidat, titulum privilegii, vel concessionis modo exhiberi non posse; si tamen constans semper fama, & traditio fuerit de accepto privilegio, ideoque laici jurisdictionem aliquam in Clericos exercuerint, fundantes se non in mera consuetudine, quippe quæ juribus reprobata est, sed in titulo privilegii; tunc ex temporis immemorialis consuetudine cum bona fide, non quidem oritur jus, ac titulus privilegii, sed præsumptio accepti privilegii. Qua de re vide Suarez lib. 4. defens. cap. 34. num. 17. ubi etiam addit, quod Summus Pontifex abolere possit talem consuetudinem, cum ea tantummodo niti debeat accepto privilegio, quod, tametsi datum est circa causas spirituales, tamen ex plenitudine potestatis, ob justam causam revocari potest, juxta doctrinam Innoc. in cap. de postulat. Prælator. in fin. n. 1.

Sciendum III. Quod non refert, tametsi concordata super ea re inter Ecclesiæ Prælatos, & Principem sæcularem edita, atque Summi Pontificis consensu, & auctoritate confirmata sint: nihilominus enim ex gravi causa, ad bonum publicum pertinente, revocari poterunt. Vel enim concordia ideo tantum facta est, ut intelligatur, quousque privilegia, a Sede Apostolica gratuito concessa, se extendere debeant; & tunc manifestum est, concordiam in gratuitis privilegiis fundatam, ex causa aliqua revocari posse. Vel concordia transiit in pactum onerosum, atque reciprocum; & tunc quoque, ob causam gravissimam, ad bonum commune conducentem Ecclesiæ, Summus Pontifex revocare posset, ut bene docet Suarez, quippe cum ejusmodi casus in ipsa concessione, aut concordia, semper exceptus censeatur: dummodo tamen parti privilegiatæ compensatio damni fiat, si quod ex tali revocatione patiatur: sicuti notat Suarez lib. 8. de legib. cap. 37. num. 5. & lib. 4. defens. cap. 34. num. 24.

TRA-

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS.

De Festorum sanctificatione.

CONsequenter considerandum est de immunitate impropriè, seu metaphoricè dicta, id est de exemptione, seu libertate ab impedimentis cum exterioribus, tum interioribus cultus divini, cui quidem Clerici quotidie vacare debent, quasi in Dei ministerium specialiter segregati: Laici vero fideles statutis temporibus, quibus ex præcepto Ecclesiæ, sepositis curis temporalibus, & carnis illecebris abdicatis, se ipsos hostiam viventem, Deo placentem, & rationabile obsequium offerre debent. Ad hoc deputati sunt dies festivi, & dies jejuniorum; illi quidem, ut, abjectis curis exterioribus, per exteriorem cultum religionis, mens Deo facilius adhæreat: isti vero, ut, per jejunia casta vitia carnis reprimantur, quæ animum a Deo abstrahunt. Quapropter prius in præsenti tractatu considerandum est, de festorum sanctificatione: Deinde in sequenti tractatu, de jejuniorum observatione. Circa primum igitur sit

CAPUT PRIMUM.

Ad quem Dei cultum obliget præceptum divinum sanctificandi dies festivos.
S. Thom. 2. 2. qu.122. art.4.

CIrca festorum sanctificationem tria consideranda sunt. Primo festorum institutio, & finis. Secundo, servilium prohibitio, & Missæ auditio. Tertio, ab observantia præcepti legitima excusatio. Circa primum igitur in præsenti

Sciendum I. Quod præceptum observandi diem festum, obligat ad cultum latriæ Deo vero exhibendum. Remotis enim impedimentis veræ religionis per primum, & secundum præceptum Decalogi; consequens fuit, ut tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera religione fundarentur. Sicut enim agricola primo purgat agrum, & postea projicit semina, secundum illud Hierem. 4. *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas, & tribulos;* ita homo circa religionem primo erat instituendus, ut impedimenta veræ religionis excluderet, & postea in vera religione fundaretur. Ad religionem autem pertinet cultum Deo exhibere; & ideo tertium præceptum Decalogi obligat ad cultum latriæ Deo vero exhibendum, ut certum est apud omnes Doctores. Unde Exod. 20. præceptum hoc proponitur per hæc verba: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices;* id est, deputatum habeas ad vacandum Deo, & illum colendum: res enim sanctificari dicuntur, per hoc, quod cultui divino deputentur. Solum difficultas est inter Theologos, an præcipiatur directè, & per se, cultus Dei externus, seu per actus exteriores religionis Deo exhibendus: an simul, & principaliter præcipiatur cultus Dei internus, qui consistit, in oratione, & devotione. Ad cujus evidentiam

Sciendum II. Quod in observantia diei festi duo sunt consideranda: quorum unum est, sicut finis, & hoc est cessatio ab omni actu peccati, & quies mentis in Deo: alterum vero est, sicut id, quod se habet ad finem, & hoc est cultus Dei exterior, & cessatio operum servilium. Finis autem præcepti non cadit sub præcepto: sed solum id, quod est ad finem: & ideo quies mentis in Deo, & cessatio ab omni actu peccati, in quo consistit cultus Dei interior, non cadit litteraliter, & directè sub tertio præcepto Decalogi, quod est de sanctificatione Sabbati: sed secundum moralem significationem hujus præcepti significatur, ut finis, & secundum hoc quodammodò est præceptum generale, ut inquit D. Thom. hic ad I. Cultus autem exterior, & cessatio operum servilium cadit litteraliter, & directè sub tertio præcepto Decalogi: & secundum hoc est præceptum speciale. Unde D. Thom. in resp. ad 2. dicit: Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit: quia per actum peccati agit contra finem hujus præcepti, quia magis impeditur a quiete mentis in Deo, quam per opus corporale licitum, quod secundum se fieri potest sine peccato, & in tantum prohibetur, ut mens libere Deo vacare possit.

Sciendum III. Quod finis cujuslibet præcepti duplex est. Unus extrinsecus, ad quem legislator intendit manuducere, seu perducere per observantiam præcepti: & hic finis est facere homines virtuosos, vel in ordine politico, seu civili: vel in ordine supernaturali, secundum differentiam legislatorum: & hic finis dicitur etiam remotus, & generalis, & sub præcepto non cadit; alioquin qui virtuosus non esset, præceptum adimplere non posset: nec ullum præceptum imperfectis imponi posset, sed solum perfectis, qui præceptis non indigent. Alter est finis intrinsecus, & proximus, qui immediate respicitur a præcepto tanquam objectum, seu materia, quæ specialiter præcipitur: & hic finis cadit sub præcepto, & ordinatur ad finem extrinsecum, & remotum ipsius præcepti. Sic igitur dicendum, quod in observantia Sabbati, seu diei festi, duo sunt consideranda, quorum unum est, sicut finis intrinsecus, & hoc est, ut homo vacet rebus divinis per actus externos religionis, per quos manuducatur ad quietem mentis in Deum, seu ad colendum Deum in spiritu, & veritate, quod significatur in hoc, quod dicit: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ divino cultui applicantur. Aliud autem est cessatio operum, quæ significatur, cum subditur: *Septima die Domini Dei tui non facies omne opus*. Sed de quo opere intelligatur, apparet per id, quod exponitur Levit. 23. *Omne opus servile non facietis in eo*. Et hæc cessatio ordinatur, tanquam in finem proximum ad vacandum Deo, seu cultui ejus religioso: significat vero morali sensu cessationem ab omni actu peccati. Quapropter

Sciendum IV. Quod sub præcepto sanctificandi diem festum, duo litteraliter cadunt, scilicet vacare Deo, per cultum externum religionis, quod est principale, & ut finis intrinsecus in hoc præcepto: & cessatio ab omni opere servili, quod est minus principale in hoc præcepto, & ordinatum ad tollenda impedimenta extrinseca cultus exterioris religionis, seu ad removendum obstacula talis cultus. Unde colliges, quod hoc præceptum est affirmativum: quia directe, & per se præcipit cultum externum Deo exhibendum, & jure naturali Deo debitum, quod non obligat pro semper, sed statutis diebus, & temporibus. Materialiter tamen, ex parte scilicet causæ disponentis, & removentis prohibens, negativum est, & per prohibitionem servilium operum explicatur: sicut cum communi, & probabiliori sententia docent Sotus, Suarez, Salmant. Contra Cajet. Lean. Filliuc. Insuper colliges, quod peccatum commissum in die festo, puta fornicatio, non induit novam specie malitiam contra virtutem religionis (nisi fortasse fiat in contemptum diei festi:) quia non contrariatur directe, & ad litteram præcepto de sanctificando die festo: sicut illi contrariatur exercitium servilium operum; sed solum illi contrariatur metaphorice, seu improprie, & indirecte, ex parte scilicet finis extrinseci hujus præcepti: ut ex communi sent. docet Cajet. contra aliquos antiquos Doctores.

Sciendum V. Ex D. Thom. ad 1. Quod præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum, est partim morale, partim autem cœremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus: sicut corporali refectioni, somno, & aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub præcepto morali: Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum cœremoniale. Similiter cœremoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in sepulcro, quæ fuit septima die. Et similiter secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: & secundum hoc quodammodo est præceptum generale. Similiter etiam cœremoniale est secundum significationem anagogicam, prout scilicet præfigurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Unde præceptum de sanctificatione Sabbati ponitur inter præcepta Decalogi, in quantum est

præ-

præceptum morale, non in quantum est cœremoniale.

Sciendum VI. Quod, sicut in scriptura divina traditur nobis cultus interior Dei sub aliquibus corporalium rerum similitudinibus, ita cultus exterior Deo exhibetur per aliquod sensibile signum. Et, quia ad interiorem cultum, qui consistit in oratione, & devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus Sancti instinctu; præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu secundum aliquod sensibile signum. Et, quia præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima, & communia legis principia; ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus sub signo communis beneficii, quod pertinet ad omnes homines, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, a quo requievisse dicitur Deus septima die; in cujus signum dies septima mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum Deo. Et ideo Exod. 20. præmisso præcepto de sanctificatione Sabbati, assignatur ratio, quia *sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & in septima die requievit*. Et ita explicant hoc præceptum Doctores communiter cum D. Thom. contra Scot. Angel. Tabien. qui dicunt hoc præceptum obligare directe etiam ad actus internos cultus latriæ.

CAPUT II.

De mutatione Sabbati in diem Dominicum. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4.

DEinde considerandum est de mutatione Sabbati in diem Dominicum, observandum in nova lege. Circa quod

Sciendum I. Ex D. Thom. cit. Quod observantia diei Dominicæ in nova lege, succedit observantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani. Nec etiam hujusmodi observatio est figuralis, sicut fuit observatio Sabbati in veteri lege: & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominico, sicut in die Sabbati, ut infra dicetur. Sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia hujusmodi, & etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege: quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco, & tempore. Convenienter autem, hanc unius integri diei ex quavis hebdomada ad Dei cultum designationem, tanquam æquitati naturali maxime consonam, Ecclesia mox Apostolorum tempore recepit, ut patet ex Actibus Apostol. c. 20. Et hactenus studiose servavit, præter quam quod sublato sabbato, tanquam pertinente ad Mosaicam legem, & umbratiles figuras, quibus nova lex non adstringitur, imo nec uti debet, sicut dicit Apost. ad Galatas 5. ejus loco dominicam diem substituit, quæ in Evangel. dicitur prima sabbati, in qua Christus a mortuis resurrexit. Qua de re Justinus Martyr in Apolog. 2. pro Christianis, S. August. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 13.

Sciendum II. Quod inter Dominicos dies omnium præcipua, aliorumque quasi prototypon est Dominica Resurrectionis, quæ quotannis celebrari debet in prima die hebdomadis post decimamquartam lunam primi mensis. Primus autem mensis non omnis ille censetur, in quem cadit æquinoctium vernum: si enim æquinoctium sit post quartamdecimam lunam, mensis ille lunaris non erit primus, sed ultimus anni, cum credibile non sit, Deum creasse mundum ante æquinoctium. Ex quo sequitur Pascha non posse celebrari 22. Martii: quia æquinoctium semper cadit in diem 21. Martii, quæ si sit dies Dominica, in eundem incidit decimaquarta luna, in qua Ecclesia non celebrat Pascha, sed transfert in Dominicam sequentem, ne cum Judæis in celebratione Paschatis conveniat: quandoquidem nos Christiani Pascha non celebramus ex observatione legis Mosaicæ: sed in memoriam Christi, qui post lunam decimamquartam resurrexit. Quare termini inter quos Paschalis festivitas cadere potest, sunt a 22. Martii inclusive usque ad 25. Aprilis inclusive. Contingere enim potest, ut luna quartadecima primi mensis cadat in diem 18. Aprilis, quæ, si Dominica sit, Pascha in ea non celebratur, ut dixi, sed transfertur in sequentem Dominicam, quæ erit dies 25. Aprilis.

Sciendum III. Quod deinde sequitur, primum mensem nunquam incipere ante diem octavum Martii, neque post quintum diem Aprilis. Quæ omnia tradit Beda lib. de ratione temporum cap. 43. & 49. Clavius in apologia novi Kalendarii lib. I. c. I. Videri etiam potest Eusebius lib. 5. historiæ cap. 23. & Patres in fragmento Concilii Palestini sub Victore I. ubi ostendunt, mundum a Deo creatum esse tempore verno in æquinoctio, quod est octavo Kalend. April. luna prima. Id quoque hoc loco observare libet, ex antiqua traditione decretum esse apud S. Petrum Alexandrinum Patriarcham in canonibus de lapsis, tom. I. Concil. & in Concil. Nicæno cap. 20. ut die dominico (sicuti & toto Paschali tempore) fideles non genibus flexis, sed stando orationes perficiant; ut memores sint, se cum Christo resurrexisse a morte animæ in spem vitæ æternæ. Id vero etiam hodie secundum Romanæ Ecclesiæ ritum in choro publico observandum est: aliis vero fidelibus privatim domi, aut in templo orantibus, nulla hodie lex his regionibus imposita viget.

CAPUT III.

De institutione aliarum festivitatum præter Dominicum diem.

DEinde considerandum est de institutione aliarum festivitatum præter Dominicum diem. Circa quod

Sciendum I. Quod, præter Dominicum diem, aliæ pari veneratione, ac cultu observandæ festivitates Dei, Christi Domini, & Sanctorum ejus, institutæ sunt, partim Pontificia lege universam Ecclesiam obligante, partim vero Episcopalibus, seu Diœcesanis statutis, sicut habetur in cap. I. dist. 3. de consecrat. cap. ult. de feriis. Quibus tamen locis significatur, quod, si Episcopus particularia festa instituere velit, non tantum Cleri consensum requirendum esse, sed etiam populi, uti notavit Abb. in cit. cap. ult. num. 5. Est vero id speciale, quod Episcopus in hoc casu statuere non possit sine populi approbatione, ne is multitudine festorum gravetur, & a necessariis laboribus impediatur; ut proinde hoc ob quandam æquitatis rationem statutum sit, juxta juris reg. 29. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Si tamen populus justam causam contradicendi non habeat, eo etiam invito festum institui poterit, sicuti annotarunt Abb. & Tab. Quinimo huic juri laicorum, plerisque in locis derogatum esse per contrariam consuetudinem, docent Suarez cap. 11. num. 9. & Azor. tom. 2. lib. I. cap. 16. quæst. I.

Sciendum II. Quod quomodo per diuturnam consuetudinem populi, celebrantis quotannis aliquod festum cum expresso, aut tacito Episcopi consensu, non tanquam ex libera devotione, sed tanquam ex obligatione, lex particularis introduci possit, dictum est in prima parte, tract. 4. cap. ult. Illud vero hic addo, postquam semel festum particulari statuto, vel diuturna consuetudine introductum est, & stabilitum, non posse deinde a populo abrogari, sed a solo Episcopo: idque non tantum populo petente, sed etiam eodem abnuente, sicuti docet Suarez tom. I. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. II. num. 9. Deinde, si ita videbitur, potest Episcopus festa particularia abrogare dumtaxat secundum diei dimidium, ut videlicet matutino tempore vacatio sit operum servilium, post meridiem vero operibus insistere liceat: quo ipso etiam modo festa per statutum, vel consuetudinem initio constitui nihil obstat, sicuti etiam Navar. notavit cap. 13. Manual. num. 6.

Sciendum III. Quod, quia varii abusus irrepserant, specialiter circa festa particularia, pluribus in locis, novissime Urban. VIII. in bulla, quæ incipit: Universa per orbem; assignat dies festivos sub præcepto observandos in posterum, omnes alios revocando, & declarando non obligare sub præcepto: & admonendo Episcopos, ne in posterum dies festivos de præcepto indicant. Dies autem festos de præcepto assignat eosdem, qui modo per universam Ecclesiam celebrantur secundum Kalendarium Romanum, videlicet; Dominicam Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus: Dominicam Pentecostes cum duobus diebus sequentibus: festum Natalis Domini, Epiphaniæ, Circumcisionis, & Ascensionis: item festum inventionis SS. Crucis, & Nativitatis, Annunciationis, Purifica-

ficationis, & Assumptionis Matris Dei, & semper Virginis Mariæ: Item festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & natalis in cœlum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi Majoris, Joannis Evangelistæ, Thomæ, Jacobi Minoris, & Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thaddæi, & Mathiæ: item S. Stephani Protomart. S. Laurentii Levitæ, & Mart. SS. Innocentium Mart. S. Joseph, S. Annæ, & festum omnium Sanctorum: & insuper Patroni principalis Regni, seu Provinciæ: & Patroni principalis Civitatis, Oppidi, vel Pagi, ut patet ex verbis præfatæ bullæ. Ex Decreto vero Clemen. XI. sub die 6. Decembris 1708. additum est de præcepto per totum orbem festum Conceptionis B. V. Mariæ.

Sciendum IV. Quod qualiter facienda sit electio Patroni ex Decreto Congr. Sacrorum Rituum sub die 23. Martii 1630. emanato, & ab Urban. VIII. approbato, apud Salmantic. reperies tract. 23. cap. 1. p. 5. num. 108. Solum Addo, quod Regulares tenentur observare dies festos Patroni principalis Regni, Diœcesis, Civitatis, aut Oppidi, sub ritu duplici primæ classis, non tamen ad octavas tenentur, ut præcepit Greg. XIII. die 30. Decembris 1573. & declaravit S. Rituum Congr. 17. Maji 1628. Deinde Tridentin. sess. 25. cap. 12. concedit facultatem Episcopis instituendi festa, ut sequitur: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur*; idque juri etiam antiquo consonum est, ut notat Rodr. tom. 2. Regul. quæst. qu. 70. art. 1. Sed ait, secus sentiendum de festis, quæ populus vovit, & Episcopus approbavit: hæc enim non propterea ex Episcopali præcepto promanant; sed primordialem naturam personalis obligationis ex voto servant. Consequenter, si regulares voto populi non consenserunt, eo etiam non obligantur: quamvis, si postea temporis successu consuetudo servandi festum per modum legis communis introducatur, etiam exempti se conformare tenentur.

CAPUT IV.

Qualiter, quos, & ad quid obliget præceptum Ecclesiæ observandi dies festos.

Consequenter ad institutionem considerandum est de obligatione, quam in speciali inducit præceptum observandi dies festos. Circa quod

Sciendum I. Quod præceptum servandi dies festos obligat sub mortali, cum sit in materia gravi, & quoad substantiam pertineat ad præcepta Decalogi. Unde merito damnata fuit ab Innoc. XI. hæc prop. 52. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*. Obligat autem ad audiendam Missam, & abstinendum a servilibus, ut patet ex cap. Missas, de consecr. d. 1. cap. Omnes, cap. Sacerdotes, cap. Si quis etiam, dist. ead. cap. Licet de feriis, & tenet communis sent. Ultra hæc duo nulla alia datur obligatio ex vi hujus præcepti. Nam licet Parochi ex Trident. sess. 24. c. 4. teneantur sub gravi prædicare populo omnibus diebus Dominicis, & solemnibus diebus festis; non tamen ob hoc omnes fideles in particulari tenentur prædicationi interesse, cum vel sint jam instructi, vel aliter instrui possint de necessariis ad salutem. Sed dato etiam, quod essent obligati talibus diebus interesse prædicationi, hæc obligatio non proveniret ex præcepto sanctificandi festa, sed ex præcepto addiscendi necessaria ad salutem, de quo dictum est in tract. de Fide.

Sciendum II. Quod obligatio diei festi durat spatio 24. horarum, quæ computandæ sunt a media nocte antecedente usque ad aliam mediam noctem sequentem: sic enim obtinuit consuetudo legitime introducta, & communiter recepta ex usu Romanæ Ecclesiæ. Unde canones, qui dicunt, a vespera in vesperam computandos esse dies festos, vel intelligendi sunt, de nocte in aliam noctem, ut explicat consuetudo legitima legum interpres; vel, si aliter intelligantur, consuetudine ipsa legitima sunt abrogati: sicuti probabilius docent Navar. Covar. Suar. Bonac. Sayr. Pal. Azor. Salmantic. contra Abb. Ang. Sylv. & Rosell. Notandum tamen, quod nul-

nullum jus prohibet, ne Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopus in sua Diœcesi possit præcipere observantiam diei festi usque ad meridiem, ut supra dictum est. Item, quod, si festum alicujus Sancti cadat in diem impeditam, transferatur in aliam diem non impeditam, quoad officium tantum: non tamen quoad indulgentias, aut obligationem audiendi Missam, & abstinendi a servilibus, nisi specialiter id concessum fuerit, sicut declaravit Sacra Congr. die 10. Junii 1619. & tenent S. Anton. Suar. Azor. Sayr. Sylv.

Sciendum III. Quod omnes utriusque sexus fideles statim, ac ad usum rationis perveniunt, tenentur servare festa, quæ in universa Ecclesia observantur. Ad ea vero, quæ in aliquo Oppido, Civitate, aut Provincia, ex præcepto Episcopi coluntur, tenentur solum cives, & incolæ illius Civitatis, Oppidi, aut Provinciæ respective. Nam statim, ac ad usum rationis perveniunt, sunt capaces, ut per leges gubernentur; ideoque obligantur legibus tum divinis, tum humanis, quæ absolute, & sine determinatione ætatis imponuntur, sicuti est hæc lex de observantia festorum. Ita ex communi sent. S. Anton. Suarez, Salmantic. Led. aliique contra Cordub. Ostiens. & Ancharan. qui dicunt pueros non statim, ac perveniunt ad usum rationis, obligari hoc præcepto, sicut nec præcepto annuæ communionis, aut alio imponente censuras. An vero peregrini dum a proprio territorio absunt, teneantur ad festa particularia locorum, per quæ transeunt, aut in quibus morantur minore parte anni, dictum est in tract. de legibus.

CAPUT V.

De præcepto audiendi Missam diebus festis.

PRimum, quod in Ecclesiastico præcepto de observatione festi continetur, affirmativum est, scilicet auditio Missæ; ad quod implendum tria requiruntur, scilicet, quod integra Missa audiatur, intentio illam audiendi, & quod devote, & attente audiatur. Ad quorum evidentiam

Sciendum I. Certum esse dari Ecclesiasticum præceptum, legi naturali, & divinæ conforme, de Missa omnibus diebus festivis audienda, quod habetur in cap. omnes, & in cap. Missas, de consecration. d. 1. & obligat sub mortali, etiam secluso contemptu, & scandalo, ut eruitur ex prop. 52. damnata ab Innoc. XI. obligat autem omnes baptizatos, non solum laicos, & religiosos, sed etiam Sacerdotes non celebrantes, ad unicam tantum Missam, sed totam, & integram audiendam, ut constat ex cit. c. Omnes. Satisfit autem huic præcepto, si Missa quævis, & in quocumque ritu ab Ecclesia approbato, celebrata a Sacerdote non vitando, deposito, aut infideli, audiatur, etiam si extra propriam parochiam, quoties (secluso privilegio) celebratur extra domum sæcularium. Ita Lug. Garc. Lean. & noster Pisellі, & alii communiter.

Sciendum II. Circa integritatem Missæ, quod debent audiri omnes ejus partes successive. Quare, si duæ partes ex diversis Missis simul audiantur, non satisfit præcepto, & opposita opinio damnata fuit ab Innoc. XI. prop. 53. Si vero successive audiantur, quamvis a diversis Sacerdotibus, etsi ordine inverso, & interrupte, satisfit præcepto, ut docent Navar. Tolet. Laym. Bonac. aliique contra Suar. Azor. Con. Lug. Nam licet illæ duæ dimidiæ Missæ diversorum sacrificantium non concurrant ad unitatem sacrificii; sufficiunt tamen ad unitatem, & integritatem obsequii præcepti ab Ecclesia in cultum Dei. Sine causa autem hoc facere, esset veniale, quia non servatur modus, & perfectio præcepti, ut docent communiter Doctores.

Sciendum III. Quod omittens audire unam partem essentialem, seu principalem Missæ, puta consecrationem, oblationem, aut sumptionem, non satisfacit præcepto, & peccat mortaliter: quia hæ partes ad integritatem Missæ pertinent, & per consequens Missa integra non auditur. Ita Coninck. Bonac. Pal. Henriq. contra nostrum Thom. Hurtado, Lean. Suar. Laym. Si autem omittitur pars minus principalis extra canonem, tunc omissio tertiæ partis, puta usque ad evangelium, ut vult Sot. Suar. Navar. vel usque ad offertorium exclusive, ut probabile censent Azor. Rodr. Graff. Bonac. Lay. non erit mortale. Multo

to minus erit mortale, si omittantur solum ea, quæ sunt post communionem usque in finem, ut docent Cajet. Sot. Regin. & alii communiter. Intra canonem vero omissio minoris partis, puta, a consecratione usque ad sumptionem, vel orationem dominicam, erit mortale: quia gravior materia, utpote dignior, censenda est, ut bene notant Suar. Pal. Lug. & Lean.

Sciendum IV. Quod, qui non potest assistere Missæ integræ, potest autem mediæ, tenetur medietatem illam audire, si includat partes substantiales Missæ, puta a canone incepto usque in finem, ut docent communiter Doctores contra Sanctium. Consecratione vero peracta, non teneri ad reliquum, affirmant Henriq. Ant. a Spiritu Sancto, & alii. Qui partem levem sine causa omittit, peccat venialiter, ut est certum apud omnes: non tenetur tamen sub veniali supplere defectum, audiendo partem levem omissam ex alia Missa, ut docet Filliuc. quamvis oppositum probabilius videatur Leandro. Qua de re vide prop. 54. damnatam ab Innoc. XI. Hic autem notat Pal. posse aliquem audire Missam integram, & adhuc peccare graviter, si se exposuit periculo illam non audiendi: & e contra Missam non audire absque peccato, si per ipsum non stetit, quin audiret. Quod advertere debent confessarii diligentes in examinando pœnitentes.

Sciendum V. Requiri præsentiam humanam, seu moralem, & ex se religiosam, ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam: quia actus humanus, seu moralis, & cedens in cultum Dei ab Ecclesia præcipitur, ut est certum apud omnes: præcepta enim dantur de actibus virtutum. Ad hoc tamen non est necesse, quod Missa visu percipiatur, vel auribus verba audiantur; nam cœcus, & surdus, adhuc Missæ religiose assistere potest, & præcepto satisfacere, ut omnes fatentur. Sufficit ergo, quod sciens, & volens Missæ assistat taliter, ut aliquo sensu possit percipere ea, quæ in Missa peraguntur, si impedimentum non haberet, sive extrinsecum, sive intrinsecum. Ex quo colliges, quod satisfacit præcepto, qui in magno populi concursu existens post columnam, aut post parietem, aut etiam extra Ecclesiam (ut fieri solet, cum locus capax non est totius multitudinis) ex signis aliorum sensu aliquo percipere potest, quid agatur in Missa: facit enim unum corpus cum aliis. Similiter moraliter censetur assistere Missæ, qui pro deferendo libro, thure, aliisque necessariis ad sacrificium, a Missa recedit, etiamsi extra Ecclesiam, & per multum tempus: sicut docent Dicastil. Lean. Salm. contra Bonac. Pal. Fag. E contra non censetur moraliter assistere Missæ ebrius, aut dormiens, nisi forte sibi continuo violentiam inferret ad somnum pellendum, ut notant Salmant.

Sciendum VI. Quod ad satisfaciendum huic præcepto non requiritur intentio adimplendi præceptum; sed sufficit intentio, seu voluntas faciendi actum præceptum, ut est certum. Unde, si quis nesciens esse diem festum, Missam audiat ex devotione: vel sciens esse diem festum, non intendat per illam Missam satisfacere præcepto, adhuc satisfacit: quia humano modo adimplet rem præceptam: Non enim Ecclesia præcipit obedientiam formalem, sed actum latriæ, qui per obedientiam materialem præstatur, quo posito, non est in potestate agentis suspendere effectum satisfactionis: sicuti notant Lug. Laym. Suar. Vasq. Salmant. aliique communiter. Qui vero ex pravo fine pergit ad Ecclesiam, ibique Missam audit devote, & attente quantum ad exteriorem actum, sed sine devotione, aut attentione interna, imo cum positiva aversione ad audiendam Missam (puta, quia coactus, aut metu impulsus illam audit, alias non auditurus, si posset) peccat quidem graviter coram Deo, qui scrutator est cordium, sed adhuc satisfacit præcepto Ecclesiæ, quæ non judicat de actibus internis: sicut patet ex his, quæ dicta sunt in tract. de legib. cap. 12. & in tract. de statu Clericorum, cap. 7. Multo magis, quia præceptum de sanctificandis festis, etiam in quantum divinum est, obligat directe, & ad litteram ad solum cultum externum latriæ, ut dictum est supra cap. 1. adeoque contra illud non fit directe per pravos actus internos, sed solum indirecte, ex vi scilicet aliorum præceptorum divinorum.

Sciendum VII. Quod certum est, ad satisfaciendum huic præcepto, requiri in audiente Missam attentionem externam, exclu-

cludentem scilicet omnes actiones incompossibiles cum attentione externe humana; ut sunt dormire, confabulare, scribere, vel quid hujusmodi. Si vero actiones non sint multum distrahentes, & compossibiles sint cum externa, & humana assistentia, ut deambulare eleemosynas colligendo in præsentia altaris, se vestire, vel quid simile, non officiunt auditioni præceptæ: & multo minus officiunt actiones sacræ, ut est recitare officium divinum, rosarium, vel alias orationes, quæ potius coadjuvant, ad rite sacrificio assistendum: sicuti ex communi docent Navar. Suar. Sot. Sanch. Pal. Bonacin. Cajet. Qui autem confitetur sua peccata tempore Missæ, & Confessarius audiens confessiones, non censentur habere præsentiam moralem, seu attentionem externam sufficientem ad adimplendum præceptum; cum istæ actiones, quantumvis sacræ, in externo, & communi modo operandi alienæ sint ab assistentia religiosa cultus sacrificii, & multum ab eo distractivæ. Ita probabilius docent Bonac. Lugo, Card. Coninck. Dicastil. Salmantic. contra Pal. Regin. Less. Molfes.

Sciendum VIII. Quod, sive requiratur attentio interna ad satisfaciendum huic præcepto, in quantum Ecclesiasticum est, ut plurimi volunt: sive non, ut alii plures defendunt; certum est, quod audiens Missam voluntarie distractus peccat mortaliter coram Deo: quia omittit opus necessario connexum cum actu externo præcepto. Non tamen omnis distractio voluntaria sufficit ad mortale: sed illa solum, quæ totaliter distrahit ab attentione saltem ad ea, quæ in Missa aguntur, vel dicuntur. Non enim mens humana ita limitata est, ut non possit simul attendere ad plura, ut bene notant Salm. Insuper Notant Sanch. Navar. & Cajet. quod, si advertens, se mente distrahi, & divagari, adhibeat mediocrem diligentiam, ut attendat, nullo modo peccat: Si vero non adhibeat mediocrem diligentiam, dummodo ex proposito, & data opera non sit distractus totaliter, & displicentiam habeat, licet frigide, & negligenter resistat evagationi mentis, peccat solum venialiter: quia attenta humana fragilitate, impossibile est moraliter, hominem retinere imaginationem actu advertentem, juxta illud Psalm. 39. *Cor meum dereliquit me.*

CAPUT VI.

De causis excusantibus ab audienda Missa in die festo.

Omnes causæ excusantes ab audienda Missa in die festo de præcepto ad quatuor reduci solent, scilicet, ad impotentiam physicam, ad impotentiam moralem, ad charitatem, & consuetudinem legitime præscriptam. Circa quas

Sciendum I. Quod impotentia physica, sive proveniat a vinculo corporali, ut si quis sit incarceratus, mare navigans, lecto decumbens ob infirmitatem: sive proveniat a vinculo spirituali, vel ex parte sui, ut, si sit excommunicatus, aut interdictus; vel ex parte alterius, ut, si non adsit Sacerdos, vel nonnisi excommunicatus, suspensus, aut interdictus, excusat ab audienda Missa. Nam ad impossibile nemo tenetur: impossibile autem censetur a jure, quod licite fieri non potest. Quod, si aliquis negligens sit ad tollenda hæc impedimenta, peccat quidem ex alio capite, sed non contra hoc præceptum, quod non obligat ad tollenda impedimenta tam remota, ut docent Navar. Azor. Suar. Bonac. aliique relati a Salmant. tr. 5. cap. 6. p. 5. contra Nunn. & quosdam alios. Nec tenetur quis uti mediis extraordinariis, de se odiosis, & juri communi contrariis, quæ in præcepto audiendi Missam non continentur: ut, si pro audienda Missa necessarium est Sacerdotem conducere, aut domi Missam procurare, si habeat privilegium; sicuti ex communi docent Suarez, Bonac. Salm. contra Nunn. Tenetur tamen uti privilegio juri communi conforme, quo tollitur impedimentum, v. gr. interdicti: quia in tali casu obligatio audiendi Missam, non provenit ex privilegio, sed ex præcepto Ecclesiæ: Privilegium vero solum tollit impedimentum, ideoque cessat causa excusans ab adimpletione præcepti. Ita Suar. Bonac. Navar. Lug. & alii communiter contra Avil. Dian. Coninck. & Alterium.

Sciendum II. Quod altera causa excusans est impotentia moralis, si videlicet Missa

Missa audiri non possit, nisi cum magna difficultate, vel jactura bonorum non mediocris æstimationis. Qua ratione excusantur a Missa audienda, qui timent probabiliter jacturam vitæ ob graves inimicitias: vel jacturam famæ, ut, si innupta gravida esset: vel sine pudore exire non possit, quia non habet vestem honestati status decentem: vel ob intemperiem aeris timet jacturam salutis ratione suæ infirmæ dispositionis, vel ab Ecclesia longe distaret, ita, ut sine gravi molestia illuc jure non posset: vel gravem mariti indignationem timeret: vel incursus latronum, si domum solam relinqueret: vel gregem absque custodia non posset relinquere ob periculum gravis damni: vel habeat urgentia negotia, quæ præveniri non potuerunt, aut differri: vel ratione officii, quo v.g. castra custodire debet: vel filios parvulos domi solos deserere non possit: vel ob imperium domini, ne a domo expellatur, dummodo hoc frequenter non fiat; in tali enim casu alium dominum pium quærere tenetur. Hos, & similes casus passim apud Doctores reperies.

Sciendum III. Quod tertia causa excusans ab audienda Missa in die festo est charitas, ut, si servitium necessarium infirmi deserere quis non possit, ut docent Pal. Suarez, Bonacin. prævalet enim in tali casu jus naturale, & divinum juri positivo. Qua ratione excusant aliqui Doctores fœminam, si interdum domi se contineat in die festo ad vitandum occursum amasii: In quo tamen casu non consentiunt Doctores. Nam Valent. & Lopez putant, teneri ad omittendam Missam bis, vel ter, si creditur vir ex fragilitate casurus. Suar. Sanch. Bonac. & alii dicunt, posse relinquere Missam ad evitandam ruinam proximi, non autem teneri, quia utitur jure suo, nec scandalum est datum, sed acceptum ex malitia alterius. Sed probabilior sententia docet, hanc causam non esse legitimam, adeoque non excusare ab audienda Missa: quia observantia præceptorum non est omittenda ob scandalum passivum ex malitia tantum alterius acceptum. Ea enim, quæ sunt de necessitate præcepti, prætermitti non possunt sine peccato mortali: manifestum est autem, quod nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat: quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius. Et ideo ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. Ita D. Thom. 2.2.q.43. a.7. & cum eo Henriq. Pal. & alii.

Sciendum IV. Quod quarta causa excusans ab audienda Missa in die festo, est consuetudo rationabilis, & legitimo tempore præscripta, & a prælatis Ecclesiæ tolerata, ut ex communi sententia docent Lean. Pal. Salmant. Unde hoc titulo excusantur fœminæ, quæ per aliquot dies post partum ab ingressu Ecclesiæ abstinent: & in aliquibus locis virgines nubiles, vel nobiles, dummodo ob alias causas, & ad prophana visenda a domo non exeant, neque se ad fenestras spectandas præbeant. Ita Bonac. Cajet. Laym. Suar. Azor. Similiter ob viri mortem excusari solent conjuges viduæ a Missa audienda, ubi adest consuetudo recepta, dummodo ad alias res non sacras, neque urgentes exeant, ut notant Pal. & Salmant. Ratio autem omnium est, quia consuetudo prævalere potest contra jus positivum; licet nulla consuetudo prævalere possit contra jus naturale, aut divinum.

CAPUT VII.

De prohibitione operum servilium in diebus festis.

ALterum, quod in Ecclesiastico, & divino præcepto de observantia diei festi continetur, negativum est, per quod scilicet prohibentur opera servilia in diebus festis, ut liberum sit vacare cultui divino. Circa quod

Sciendum I. Ex. D. Thom. 2.2. qu. 122. ar.4. ad 3. quod triplex est servitus. Una quidem, qua homo servit peccato, secundum illud: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Et secundum hoc omne opus peccati dicitur servile. Alia vero servitus est, qua homo servit homini: est autem homo alterius servus, non secundum mentem, sed secundum corpus; & ideo opera servilia secundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri servit. Tertia autem est servitus Dei, & secundum

dum hoc opus servile potest dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei servitium. Si autem sic intelligatur opus servile, non prohibetur in die festo, quia hoc esset contrarium fini observationis diei festi. Homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinet in die festo, ut vacet operibus ad Dei servitium pertinentibus: & inde est, quod, sicut dicitur Joann. 7. *Circumcisionem homo accipit in sabbato, ut non solvatur lex Moysi*. Inde etiam est, quod, sicut dicitur Matth. 12. *Sabbatis Sacerdotes in templo sabbatum violant*, (idest, corporaliter in sabbato operantur,) *& sine crimine sunt*. Et sic etiam Sacerdotes in sabbato circumferentes arcam non transgrediebantur præceptum de sabbati observatione. Similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam diei festi, puta, si quis doceret verbo, vel scripto, sed alia opera servilia, quæ dicuntur servilia primo, vel secundo modo, contrariantur observationi diei festi, in quantum impediunt applicationem hominis ad divina. Ad cujus evidentiam

Sciendum II. Quod, quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Unde Aug. dicit in lib. de decem chordis c.3. *Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro desidiosus existeret: & melius fœminæ eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis suis impudice saltarent*. Non autem, qui peccat venialiter in die festo, contra hoc præceptum facit; quia peccatum veniale non excludit sanctitatem. Ubi notandum, quod in tantum dicit D.Tho. quod magis agit contra hoc præceptum, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus, secundum se licitum, id est præcisive a prohibitione præcepti licitum, facit: quia facit contra finem hujus præcepti, qui est quies mentis in Deo, quam significat hoc præceptum secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: uti docet in resp. ad 1. Et secundum hoc est præceptum cæremoniale, & quodammodo est præceptum generale; ut ibid. docet. Non autem agit directe, & ad litteram contra hoc præceptum, in quantum morale est, & præceptum speciale, sicuti peccat, qui opus corporale prohibitum facit in die festo, per quod directe violat hoc præceptum litteraliter sumptum.

Sciendum III. Ex eodem D. Thom. ad 3. Quod opera corporalia ad spiritualem Dei cultum non pertinentia, in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes: in quantum vero sunt communia servis, & liberis, servilia non dicuntur. Quilibet autem tam servus, quam liber, tenetur in necessariis providere non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipue quidem in his, quæ ad salutem corporis pertinent, secundum illud Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*. Secundario autem in damno rerum vitando, secundum illud Deuter. 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo*. Et ideo opus corporale pertinens ad conservandam salutem propriam corporis non violat sabbatum. Non enim est contra observantiam sabbati, quod aliquis comedat, & alia hujusmodi faciat, quibus salus corporis conservatur. Similiter opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra observantiam sabbati. Unde dicitur Joan. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabbato*. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbatum. Unde dicit Dominus Matth. 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habet unam ovem, & si ceciderit sabbato in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?*

Sciendum IV. Ex dictis colligi posse, quod scribere, & transcribere, non sunt opera prohibita in die festo, sunt enim opera liberalia. Probabile etiam est, quod pingere non sit opus servile, ut docent Ang. Sylv. Azor. quod Armil. extendit ad recamaturas, quas acu faciunt puellæ, ut addiscant. Sed probabilius est, per se esse utrumque opus servile, uti docent Cajet. Suar. Pal. Farinac. Sanch. Salmant. Iter agere equo, curru, pedibus, per se opus servile non est, est enim opus naturale, & ingenuum: sicuti docent Cajet. Navar. Suar.

Suar. Sanch. contra Abul. Sylv. Sot. Venari, aucupari, piscari ex genere suo servilia opera esse videntur, ideoque jure communi prohibita, sicut colligitur ex cap. licet de feriis: consuetudo tamen contrarium obtinuit, sicut & in multis aliis. Ita Sylv. Rosel. Gord. Laym. contra plures, qui dicunt non esse opera servilia. Mercatus, licet non sit opus servile, tamen prohibetur in cap. 1. de feriis. Cæterum consuetudine jam introductum est, quod Nundinæ, & mercatus fiant diebus festis; quam tamen moderari oporteret, ut notant Navar. Suar. Qua de re vide Salmant. tr.23. cap. 1. punct. 13. §. 1. & quæ infra dicam de causis excusantibus laborantes in die festo.

Sciendum v. Quod opus suapte natura liberale, ut studere, docere, scribere, vel aliud hujusmodi, non evadit servile, ideoque prohibitum in die festo, eo quod propter lucrum, & mercedem exerceantur. Nam lucrum, aut merces, non mutat naturam operis, quandoquidem etiam opera, seu obsequia, quæ libero homine digna sunt, tamen mercede æstimari possunt: sicuti vice versa opera servilia non ideo talia esse desinunt, & concessa in diebus festis, quia sine mercede fiunt. Ita Cajet. Navar. Med. Lop. Suar. Salmant. Armil. aliique contra Abb. Sylv. Ang. Rosel. & Tabien. Quapropter merces, & lucrum per accidens se habent ad opus servile, & non servile; alioquin damnare oporteret tot Artium professores, & Causidicos, qui festis diebus in scribendis prælectionibus, homiliis, & aliis hujusmodi, propter lucrum, aut salarium occupantur: & consuetudo, & communis fidelium persuasio sententiæ oppositæ repugnat.

CAPUT VIII.

De placito, seu judicio forensi in diebus festis a jure prohibito.

Nomine placiti veniunt omnes actiones, quæ strepitum judicialem important, quæque licet sint liberales, tamen non solum ab utroque jure prohibentur in die festo: sed etiam ipso jure irritæ sunt, quoties absque necessitate, aut pietatis causa fiant. Circa quod

Sciendum 1. Quod in die festo prohibentur omnes partes judicii, quæ ad tres revocantur. Fit enim inchoatio causæ per rei citationem, quippe quæ est basis, & fundamentum judicii: Processus per causæ cognitionem, examinatis, & juratis testibus, exhibitis instrumentis: Ac terminus per sententiæ prolationem. Igitur citatio partis facta in die festo, etiamsi intimanda alia die, sive facta alia die, pro die tamen festo intimanda, est non solum illicita, sed etiam invalida: quia strepitus judicialis cadit in diem festum. Ita communiter Doctores Canonistæ, & Theologi, contra Abb. & Anton. Item nec licite, nec valide possunt testes examinari in die festo, si in illo die emissuri sunt juramentum: quia sic expresse habetur in cap. Omnis, de feriis. Imo probabilius est, dictum examen esse invalidum, etiam si partes in die festo conveniant, & juramentum die antecedenti præstitum sit: quia dictum examen est actus judicialis. Ita Suar. Bonac. Pal. Fag. Trull. contra Abb. Marant. Azor. Villal. qui dicunt, esse validum, sed illicitum. Denique omnis sententia, sive criminalis, sive civilis, quæ judicialem strepitum importat, in die festo nulla, & irrita est. Ita Barb. Bonac. Sanch. ex consequenti autem illicita est in die festo executio sententiæ, quamvis latæ in die profesto: quia executio pertinet ad terminum, & complementum judicii, ut docent citati Doctores contra Abb. Sed, quia sunt aliquæ exceptiones,

Sciendum 11. Quod extrajudiciales actus ex hoc capite prohibiti non sunt, videlicet, si advocatus judicem festo die informet: si arbitrator, qui non ut judex procedit, sed, ut amicabilis compositor, seu pacis conciliator, arbitrium suum festo die dicat: Verus autem arbiter, qui instar judicis est, sive a Judice flagitatus, sive sponte electus, festis diebus judicare non potest, sicut habetur expresse in l. omnes dies, Cod. de feriis. Similiter licitæ sunt in die festo dispensationes, collationes beneficiorum, transactiones, scripturæ contractuum, & alii actus voluntariæ jurisdictionis: quia non requirunt strepitum judicialem; quod & generalis consuetudo confirmat, ut notat Barbosa. Pari ratione sententia excommunicationis in die festo non videtur esse pro-

prohibita, sicut docent Abb. & Suarez; propterea quod non necessario requirit judicialem causæ cognitionem, seu processum. Multoque magis absolutio a censura, & omnis actus voluntariæ jurisdictionis festis diebus fieri potest, argum. leg. actus, Cod. eod. Appellatio vero licita est, quia est justa defensio, ut notant Abb. & Cajetan.

Sciendum III. Probabile esse, quod juramenta extrajudicialia, quibus firmantur contractus (& a fortiori quæcumque alia juramenta) in die festo non esse prohibita, uti docent Cajet. Laym. Salmant. contra Suar. Pal. Fag. Quod, si in cap. I. de feriis, major prohibitio juramenti facta fuit, sicuti textus significare videtur, non est id usu receptum, vel postea abrogatum. Imo pro causis matrimonialibus, aliisque spiritualibus causis, licitum esse juramentum etiam in judicio diebus festis, docet S. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 10. & cum eo Sylv. Sct. Cajet. Sanch. Salmant. aliique contra Suar. Pal. Fag. Bonac. Laym. Hoc certum est, quod in casu necessitatis, aut pietatis, non tantum juramentum, sed & alii actus judiciales, etiam in causis temporalibus, licite fieri possunt, ut dicitur in cap. ult. de feriis. Tales autem causæ, ut explicat Andreas Gail. lib. I. observat. 53. sunt alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, & miserabilium personarum: Item causæ, quæ celeritatem requirunt, quia alioquin res peritura sit. Unde Suarez cap. 30. inter alia notat, latronem de fuga suspectum posse festo die capi, & incarcerari: Item in parvis Oppidis posse die festo causas civiles agitari, si aliis diebus rusticani homines adesse, vel commode vocari nequeant.

CAPUT IX.

De causis excusantibus laborantes in die festo.

Obligatio cessandi ab operibus servilibus, vel forensibus, aliisque prohibitis in diebus festis, ex quatuor causis cessare solet, quæ sunt necessitas, pietas, dispensatio, & consuetudo, ut colligitur ex cap. ult. de feriis. Ad quarum evidentiam

Sciendum I. Quod necessitas duplex est: Una publica, puta, reficiendi pontes, fontes, piscandi certum genus piscium, quod nonnisi diebus opportunis capitur, juxta cap. licet, de feriis. Altera privata, vel subveniendi gravi necessitati propriæ, vel proximi; vel vitandi gravis damni imminentis. Ad pietatem vero pertinet tum religio in Deum, tum misericordia in proximum. Ad dispensationem adjungi solet legitima consuetudo a Prælatis scita, & tolerata, ut notat Suarez, tom. 2. de festis, cap. 33. Porro tria advertenda sunt circa has causas. Primo, ut, quantum fieri potest, scandalum caveatur. Secundo, quod opus, si die antecedente fieri possit, non potest licite differri in diem festum. Tertio, si causa excusans manifesta sit, non est opus petere licentiam a superiore, licet interdum securius, & decens sit, præsertim quando impedimentum diu, aut ordinarie duraturum est. Sin vero causa dubia, utrum sufficiens sit, tunc dispensatio necessaria est. Quibus præsuppositis, ut ad singulas causas explicandas procedamus,

Sciendum II. Ad necessitatem publicam pertinere primo, si paranda sunt aliqua ad communem populi utilitatem, ut animalia occidere, & excoriare: panes facere, & coquere, & consequenter ad id necessaria parare, ut farinam cribrare, triticum terere mola: quod tamen intelligendum est respectu pistorum, furnariorum, aliorumque publicæ commoditati deservientium, quia in his semper datur necessitas ob concursum populi, & utilitatem reipublicæ. Ita Sa, Pal. Lean. Bonac. Sanch. Non tamen licitum erit præparare in die festo cibos, qui non ad usum communem necessarium, sed potius ad gulositatem deserviunt, & aliis diebus possunt sufficienter præparari, ut sunt qui ex faccharo conficiunt, nisi aliqua necessitas urgeat, quæ præveniri non potuit, ut docent Sanch. & Salmant. contra Palaum; qui dicit hoc posse fieri ex consuetudine jam introducta. Secundo, si paranda sint aliqua ad communem populi festivitatem, puta in adventu principis. Tertio ratione necessitatis publicæ excusantur agricolæ, qui tempore messis, & vindemiæ laborant diebus festis, ne fructus pereant: item hortulani rigantes olera; & alii hujusmodi: quia hæc ne-

cessa-

cessaria sunt ad communem victum, & utilitatem reipublicæ. Ita S. Thom. Sanch. Suar. Barb. A fortiori licita sunt in die festo opera naturalia, ut comedere, bibere, se lavare, & similia: sicut docet S. Tho. 2. 2. qu. 122. a. 4. ad 3.

Sciendum III. Quod ratione necessitatis privatæ excusantur artifices, pauperes, qui aliter se, suamque familiam decenter sustentare non valent, nisi laborent in die festo, audita tamen prius Missa. Item licitæ sunt omnes actiones, quæ ordinantur ad ornatum, & decentiam corporis, ut barbam radere, & similes, saltem ex consuetudine; ut docent Regin. & Lean. quamvis probabilius sit, has actiones secundum se non esse licitas in die festo, nisi necessitas agricolarum, & peregrinorum id expostulet, quia hi cogendi non sunt aliis diebus operas suas deserere: hac autem necessitate præcisa, consuetudo in contrarium non est ubique recepta, aut tolerata. Ita Sanch. Tolet. Cajet. Salmant. Item excusantur sartores, si adsit moralis necessitas conficiendi vestes pro aliquo funere, aut simili causa urgente, cui diebus profestis satisfacere non valuerunt: & idem dicendum de sutoribus, aliisque hujusmodi: sicuti docent Laym. Dian. Trull. Salmant. Denique excusantur Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, cum pro infirmis laborare debent, juxta illud Joan. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in die sabbati*. Ita Tolet. Navar. Suar. Item permissum est in nova lege christianis coquere cibos quotidianæ necessitati vitæ deservientes, ut docet S. Thom. cit. ad 4.

Sciendum IV. Quod ratione vitandi damni, licitum est laborare in die festo ad extinguendum ignem, ad colligendas segetes, ne a flumine rapiantur: ad congregandas oves, ne rapiantur ab hostibus. Item servis, si compellantur a Domino, & nisi obediant, timeant grave damnum: dummodo hoc non fiat in contemptum religionis a domino infideli, tunc enim omne damnum potius pati debent. Ita Azor. Cajet. Navar. Bonac. Sanchez, qui hanc doctrinam extendunt ad uxores, & filios, si timeant gravem indignationem parentum, aut mariti. Item excusantur decolantes ferrum, coquentes vitrum, saponem, calcem, tegulas, & alii hujusmodi, si opus jam inchoatum continuent in diebus festis: quia alias grave damnum paterentur. Ita Laym. Sot. Navar. Probabilius est, quod non liceat laborare in die festo ob magnum lucrum acquirendum, præcisa necessitate, quia cessatio lucri contingentis, non est vere damnum imminens: & ex alia parte, quis non putaret, se magnum lucrum acquirere laborando in die festo, & sic præceptum eludere? Ita Abul. Suar. Sylv. Pal. Salmant. & alii contra Cajet. Ang. Sanch. Bonac. Hæc & his similia necessitas licita facit, juxta reg. 4. de regul. juris. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: nam & sabbatum custodiri præceptum est, Machabæi tamen sine culpa in sabbato pugnabant*.

Sciendum V. Quod ratione pietatis liciti sunt in die festo omnes actus judiciales in causis miserabilium personarum, ut dictum est in cap. ant. Opera vero servilia tunc licita sunt ob pietatem, quando vel per se ordinantur ad Dei cultum: vel, si per accidens ordinantur ad illum, aut ad misericordiam erga proximum, detur actu necessitas illis subveniendi: Sin vero detur actu necessitas, non licet laborare in die festo, etiamsi ex intentione operantis labor ordinetur ad inserviendum proximo, vel illi subveniendum, puta ad faciendum eleemosynas, vel quid simile: quia cessante urgente necessitate, primum opus pietatis est vacare Deo, & cultum ei exhibere in die festo. Ita Abul. Navar. Suar. Sanch. Bonac. Salmant. Denique ad pietatem erga se ipsum pertinet, si quis post auditam Missam laboret in die festo ad vitandum otium, quando illud non vitando est in probabili periculo peccandi, ut docet Sylv. ver. Dominica, qu. 5. dicto. 3. Sa, ver. festum, nu. 6. quod tamen raro accidere videtur, ut scilicet aliter peccatum declinari non possit.

Sciendum VI. Ex communi sententia, sicut admonet Suar. tom. 2. de festis, cap. 3. interdum præter aliquam necessitatis, aut pietatis rationem, accedere etiam consuetudinem a Prælatis toleratam: ut, quod artifices aliqui in quibusdam locis festis diebus ad vesperam materiam præparent pro labore diei sequentis: quod mercatores in die festo rusticis vestes, calceos, & cætera vendant: quod mercatus fiant, & mul-

ta alia, quæ tolerantur scientibus, & non repugnantibus Prælatis. His etiam causis additur expressa dispensatio, quam concedere potest Episcopus in tota diœcesi, etiam in ordine ad festa generalia pro tota Ecclesia imposita: & Prælati regulares suis subditis, & etiam domesticis, ut patet ex eorum privilegiis: Imo etiam Parochi eam concedere possunt, ut absolute docet Laym. lib. 4. tr. 7. c. 4. n. 2. vel saltem in absentia Episcopi, aut quando urget casus particularis, & Episcopus adiri non potest, cum hoc ad bonum regimen Ecclesiæ requisitum sit, ut docent Cajet. Sot. Navar. Suar. Qua de re vide, quæ dixi in tract. de legib. c. 25.

CAPUT X.

De parvitate materiæ excusante a gravi culpa laborantes in die festo.

CErtum est hoc præceptum admittere parvitatem materiæ, quæ licet non excuset totaliter a culpa, excusat tamen a gravi peccato laborantes in die festo. Solum difficultas est, quænam sit judicanda parva materia respectu hujus præcepti. Circa quod

Sciendum I. Quod aliqui Canonistæ apud Suarez asserunt, quod, si labor non pertingat ad tertiam diei partem, octo videlicet horas, non est materia gravis. Unde in hac sententia, si demas a vigintiquatuor horis tempus noctis ad somnum necessarium destinatum: tempus refectionis meridianæ, & serotinæ: tempus necessarium ad audiendam Missam, & ad alias naturales operationes requisitum; poterit quis absque scrupulo gravis peccati, sine ulla necessitate, aut alia causa urgente, totum tempus diei festi in operibus servilibus occupare: ex qua sententia illative sequitur, quod *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*; quæ est prop. 52. damnata ab Innoc. XI. Relicta igitur hac opinione, tanquam erronea, & scandalosa,

Sciendum II. Quod alii dicunt, exercere opera servilia per tres horas in die festo, materiam gravem non esse: hæc enim solet esse tertia pars temporis, quo operarii laborare solent in diebus profestis. Ita Pasqual. Marcant. & Pastor. Tertia vero sententia moderatior tenet, in festo una integra hora laborare esse materiam gravem. Ita Azor. Villal. Bonac. & alii apud Suarez. Quarta sententia docet, quod, si labor excedat horam, & dimidiam, aut unum quadrantem, erit materia gravis: quia in hoc spatio temporis effici potest notabile opus servile: pro qua sententia stare videntur PP. Salmanticenses, tr. 23. cap. 1. p. 14. §. 1. Quinta sententia est Suarii, quæ nihil determinat, asserit enim, id arbitrio prudentum relinquendum esse: cui videtur non dissentire Palaus. Sexta sententia affirmat, non esse materiam gravem per duas integras horas in die festo laborare. Ita Dian. Val. Granad. Henriq. Bassæus, Lean.

Sciendum III. Septima denique, & probabilior sententia docet, quod licet laborare infra duas horas in die festo non sit mortale; tamen, si labor ad duas horas pertingat, erit culpa mortalis. Sic Trull. Filliuc. Sanch. & probabiliorem dicunt Salmant. Inter has sententias, prima est evidenter falsa: secunda est nimis laxa, nam tertia pars rei prohibitæ gravis esse videtur, sicut & rei præceptæ, ut patet in recitatione horarum Canonicarum. Quinta nihil determinat. Tertia tutior est. Quarta, sexta, & septima probabiliores videntur. Unde colliges, non peccare mortaliter dominum, qui præcipit, ut plures famuli per unam horam in die festo laborent: tum, quia præcipit id, quod in singulis erit ad summum veniale peccatum: tum, quia obligatio satisfaciendi præcepto huic est personalis, ideoque modicus labor unius non continuatur cum modico labore alterius: tum denique, quia hoc non impedit, quin famuli cultui divino, qui est finis intrinsecus hujus præcepti, vacare possint. Ita Sanch. Trull. Bonac. Oviedo, Salmant. & alii, contra M. Gonet.

TRA-

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS, ET ULTIMUS.

De Jejunio Ecclesiastico.

Denique pro coronide totius materiæ moralis considerandum est de Jejunio Ecclesiastico, per quod tollitur impedimentum intrinsecum quietis mentis in Deum. Per ipsum enim carnis concupiscentiæ frenantur, & immoderantia passionum reprimitur; taliter, ut spiritus libere inhærere possit divinis. Unde canit Ecclesia: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia*. Circa Jejunium autem tria consideranda sunt. Primo ejus obligatio. Secundo determinatio. Tertio excusatio. Unde sit

CAPUT PRIMUM.

Utrum Jejunium sit actus virtutis.
S. Thom. 2. 2. q.147. art.1.

Jejunium connumeratur aliis virtutum actibus 2. ad Cor. 6. ubi Apostolus dicit. *In jejuniis multis, in scientia, in castitate &c.* ad cujus rei evidentiam

Sciendum I. Quod ex hoc aliquis actus est virtuosus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum: hoc autem convenit Jejunio. Assumitur enim Jejunium principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde Apostolus dicit in auctoritate inducta: *In jejuniis, in castitate:* quia per jejunia castitas conservatur. Ut enim Hieronymus dicit in lib. I. contra Jovin. *Sine Cerere, & Baccho, friget Venus*; id est, per abstinentiam cibi, & potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc, quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda: Unde dicitur Daniel. 10. quod post Jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo. Tertio, ad satisfaciendum pro peccatis: Unde dicitur Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in Jejunio, in fletu, & planctu*. Unde patet, quod Jejunium est actus virtutis.

Sciendum II. Quod medium virtutis non accipitur secundum quantitatem, sed secundum rationem rectam, ut dicitur in 2. Ethic. cap. 6. Ratio autem judicat, quod propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo, quam sibi competeret secundum statum communem: sicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda, & multo magis ratio recta hoc ordinat ad spiritualia mala vitanda, & bona prosequenda: non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit: quia, ut Hieron. dicit, & habetur, de consecr. dist. 5. cap. Non mediocriter. *Non differt, utrum magno, vel parvo tempore te interimas: quia de rapina holocaustum offert, qui, vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderate corpus affligit*. Similiter etiam ratio recta non tantum de cibo subtrahit, ut homo reddatur impotens ad debita opera peragenda. Unde dicit Hieron. cit. loco, quod *Rationalis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert*.

Sciendum III. Quod contingit, quod aliquis actus, qui ex genere suo est virtuosus, ex aliquibus circumstantiis adjunctis redditur vitiosus. Unde, licet Jejunium moderatum secundum rectam rationem sit ex genere suo actus virtuosus; tamen ex adjunctis circumstantiis potest reddi vitiosus, & Deo displicens, puta, si contra obedientiam fiat, vel charitati præferatur, aut aliis virtutibus non associetur. Et ideo Judæis interrogantibus Isai. 58. *Quare jejunamus, & non aspexisti?* respondit Dominus: *Ecce in diebus Jejunii vestri invenitur voluntas vestra*. Et paulo post subditur: *Ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie*. Quod exponens Gregor. in Pastor. part. 3. cap. 10. dicit: *In cassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus mens vitiis dissipatur*. Et August. in serm. 130. de temp. dicit, quod *Jejunium verbositatem non amat, divitias superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere*, quod

quod est infirmum, & *fragile*. Et ideo Apostolus in auctoritate inducta jejunium conjungit actibus aliarum virtutum, sine quarum consortio Deo acceptum esse non potest.

Sciendum IV. Quod Jejunium naturæ, quo quis dicitur jejunus, antequam aliquid prorsus comedat, vel bibat: quodque ab Ecclesia Spiritus Sancti instinctu præcipitur sumpturis Eucharistiam, ut Augustin. dicit Epist. 118. consistit in pura negatione, & communiter omnibus convenit, & bonis, & malis: quilibet enim, antequam comedat, jejunus est; unde non potest poni actus virtutis: sed solum illud Jejunium, quo quis ex rationabili proposito a cibis aliqualiter abstinet, quod proinde est Jejunium morale. Unde primum dicitur Jejunium jejunii, secundum vero jejunium jejunantis, quasi ex proposito aliquid agentis. Formale enim in actu virtutis est electio, cum virtus moralis sit habitus electivus in medietate consistens: unde actus moralis tunc est virtuosus, quando ex proposito voluntatis eligitur secundum moderationem rectæ rationis. Sic igitur Jejunium, ut sit actus virtutis, & Deo acceptum, quatuor conditiones habere debet. Prima est, quod sit moderatum a ratione recta secundum regulas temperantiæ, quod pertinet ad substantiam actus, illumque constituit ex genere bonum. Altera est, quod ex electione fiat, quod pertinet ad formale virtutis, secundum quod jejunium dicitur actus moralis, seu voluntarius. Tertia est, quod ordinetur ad finem honestum, a quo voluntas dicitur bona, & specificatur in esse morali. Quarta est, ut secundum omnes circumstantias, determinantes actum in individuo, jejunium nihil dissonet a recta ratione: sicut aperte ex hucusque dictis colligitur.

CAPUT II.

Utrum Jejunium sit actus abstinentiæ.
2. 2. quæst. 147. art. 2.

Isidorus dicit, quod *Jejunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum*. Ergo jejunium est actus abstinentiæ, quæ pars temperantiæ ponitur, sicut dictum est in 2. part. Ad cujus evidentiam,

Sciendum I. Quod eadem est materia habitus, & actus. Unde omnis actus virtuosus, qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet, quæ medium in illa materia constituit. Jejunium autem attenditur in cibis, in quibus medium adinvenit abstinentia. Unde manifestum est, quod Jejunium est abstinentiæ actus. Considerandum tamen est, quod jejunium dupliciter dicitur. Uno modo proprie, & sic consistit in abstinendo a cibis, & secundum hoc est actus specialis virtutis, scilicet abstinentiæ. Alio modo metaphorice, & sic dictum consistit in abstinendo a quibuslibet nocivis, quæ maxime sunt peccata; & secundum hunc sensum Hieron. dicit super illud Matth. 17. Hoc genus dæmoniorum &c. *Jejunium non solum est ab escis; sed a cunctis illecebris abstinere*. Et secundum hoc Jejunium pertinet ad omnem virtutem, & generale Jejunium vocatur ab August. tract. 17. in Joan. pope fin. Vel potest dici, quod etiam Jejunium proprie dictum est abstinentia ab omnibus illecebris: (connexive scilicet) quia per quælibet vitia adjuncta desinit esse actus virtuosus, ut dictum est in cap. ant.

Sciendum II. Quod nihil prohibet actum unius virtutis pertinere ad aliam virtutem, secundum quod ad ejus finem ordinatur. Et secundum hoc nihil prohibet jejunium pertinere ad religionem, vel ad castitatem, vel ad quamcumque aliam virtutem. Jejunium igitur est actus abstinentiæ, tanquam virtutis elicientis: potest tamen ab aliis virtutibus imperari, per hoc, quod ab illis ordinetur ad proprios fines, & sic ad illas pertinere, non tanquam actus ab ipsis elicitus, sed ut actus ab ipsis imperatus. Unde ex objecto, seu ratione materiæ, erit in specie abstinentiæ: ex fine vero, qui de formali se habet in actu morali, erit in specie religionis, vel alterius virtutis jejunium imperantis. Notandum igitur est, quod Jejunium, (sicut & quilibet actus virtutis) tripliciter potest considerari. Primo secundum se. Secundo in ordine ad virtutem imperantem. Tertio, in quantum respicit virtutem elicientem, a qua procedit. Jejunium secundum se consideratum est actus bonus, & proinde præcipi potest, & exerceri tam a bonis, seu justis, quam a malis, seu peccatoribus.

bus. Consideratum vero in ordine ad imperantem, seu operantem, potest esse bonus, vel malus, secundum quod ad finem bonum, vel malum ordinatur. In quantum vero respicit virtutem elicientem, seu virtutem abstinentiæ, a qua procedit, est actus virtutis perfectæ, seu connexæ cum omnibus virtutibus, & nullo modo potest esse actus malus, nec ex fine, nec ex circumstantiis, nec ex immoderantia, nec ex defectu rectæ electionis: & hoc pacto non jejunat, nisi qui est in statu gratiæ, & charitatis, & abstinet ab omni illecebra; sicut dictum est cap. ant.

Sciendum III. Quod ad fortitudinem, secundum quod est specialis virtus, non pertinet perferre qualcumque molestias, sed solum illas, quæ sunt circa pericula mortis. Sufferre autem molestias, quæ sunt ex defectu delectabilium tactus, pertinet ad temperantiam, & ad partes ejus, & tales sunt molestiæ Jejunii, quas perferre pertinet ad virtutem abstinentiæ. Notandum tamen, quod ratione connexionis virtutum, non potest Jejunium virtuose fieri, seu a virtute temperantiæ procedere, nisi jejunans habeat virtutem fortitudinis, alias non erit firmus in jejunando, & perferendo molestias: sicut etiam, nisi etiam habeat virtutem prudentiæ, per quam discrete jejunet: & omnes virtutes possunt concurrere, vel ratione materiæ, vel per redundantiam, ut dictum est in 2. part. tract. 3.

CAPUT III.

Utrum Jejunium sit in præcepto.
2. 2. qu. 147. art. 3.

Hieron. in Epist. ad Lucinium dicit de jejuniis loquens; *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur*. Ergo Jejunium est in præcepto. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut ad sæculares principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus: ita etiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis. Dictum est autem, quod Jejunium utile est ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis in spiritualia. Unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad prædicta: & ideo jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ. Qui enim tenetur ad finem, ex vi ejusdem præcepti tenetur ad media necessaria ad illum finem. Sed determinatio temporis, & modi jejunandi secundum convenientiam, & utilitatem populi Christiani, cadit sub præcepto juris positivi, quod est a Prælatis Ecclesiæ institutum: & hoc est Jejunium Ecclesiæ, aliud vero est naturæ, seu virtutis.

Sciendum II. Quod Jejunium secundum se consideratum non nominat aliquid eligibile, sed pœnale quoddam. Redditur autem eligibile, secundum quod est utile ad finem aliquem. Et ideo absolute consideratum non est de necessitate præcepti: sed est de necessitate præcepti unicuique tali remedio indigenti. Et, quia multitudo hominum, ut plurimum, indiget tali remedio, tum quia *in multis omnes offendimus*, ut dicitur Jacob. 3. tum etiam, quia *caro concupiscit adversus spiritum*; ut dicitur ad Galat. 5. conveniens fuit, ut Ecclesia aliqua jejunia statueret ab omnibus communiter observanda, non quasi præcepto subjiciens id, quod simpliciter ad supererogationem pertinet, sed quasi in speciali determinans id, quod est necessarium in communi ex ipso jure naturali. Unde Jejunium Ecclesiasticum est in præcepto quidem juris positivi, sed fundatur in præcepto juris naturæ. Et ideo indubie ad mortale obligat talis præcepti transgressio. Quapropter damnata fuit ab Alexand. VII. hæc prop. 23. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto*. Ad cujus evidentiam

Sciendum III. Quod præcepta, quæ per modum communis statuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes, sed secundum quod requiritur ad finem, quem legislator intendit, cujus auctoritatem si aliquis transgrediendo statutum con-

contemnat, (puta, quia non vult se subjicere præcepto) vel, etiamsi non contemnat, hoc modo transgrediatur, quod impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor. Si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servet, præcipue in casu, in quo, etiam si legislator adesset, non decerneret esse servandum, talis transgressio non constitueret peccatum mortale. Et inde est, quod non omnes, qui non servant jejunia Ecclesiastica, peccant mortaliter: sed solum illi, qui absque rationabili causa excusante, vel eximente ab obligatione jejunii, illud non observant, sive hoc faciant ex contemptu, vel inobedientia formali, puta, quia nolunt se subjicere præcepto: sive ex alia causa, puta passione, per inobedientiam materialem transgrediendo præceptum.

Sciendum IV. Quod quando Augustin. Epist. 116. cap. 19. dicit, quod *Quidam ipsam religionem nostram, quam manifestissimis, & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei misericordia voluit esse liberam, servilibus premunt oneribus;* loquitur ibi de his, quæ neque sacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt. Jejunia vero, quæ sunt in præcepto, sunt in Conciliis Episcoporum statuta, & consuetudine universalis Ecclesiæ roborata. Nec sunt contra libertatem populi Christiani, sed magis sunt utilia ad impediendam servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galat. 5. *Vos enim fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem detis in occasionem carnis.* Ad tria autem obligat præceptum Jejunii ab Ecclesia statuti, de quibus infra considerandum erit, scilicet ad abstinendum ab esu carnium, & insuper in quadragesima ab esu ovorum, & lacticiniorum: ad unicam comestionem: & ad tempus refectioni determinatum.

Sciendum v. Quod, sicut dictum est in tract. de legib. cap. 7. Modus virtutis intrinsecus in tribus consistit, secundum Philos. in 2. Eth. cap. 1. Quorum primum est, si aliquis operetur sciens. Secundum, quod aliquis operetur eligens, vel volens, & propter hoc eligens: in quo importatur duplex motus interior, scilicet voluntatis, & intentionis. Tertium autem, ut firmiter, & immobiliter operetur, quod proprie pertinet ad habitum, ut scilicet aliquis ex habitu radicato operetur. Primum judicatur a lege divina, & a lege humana, secundum quas ignorantia vel excusat a transgressione præcepti, si est invincibilis: vel non excusat ab omissione, si vincibilis est: quod enim aliquis facit ignorans, per accidens facit. Secundum judicatur a lege divina, non autem a lege humana, quæ non judicat de actibus internis. Tertium non judicatur nec a lege divina, nec a lege humana, quia præcepta dantur etiam imperfectis. Sic igitur dicendum, quod, qui ignoranter transgreditur præceptum jejunii, non judicatur ad pœnam, nec in judicio divino, nec in judicio Ecclesiæ. Similiter qui observat jejunium, quamvis non ex habitu temperantiæ, quia existit in peccato mortali, non judicatur ad pœnam neque a Deo, neque ab Ecclesia. Qui vero jejunat, vel cum prava intentione, vel cum tristitia, puta, quia coacte jejunat, peccat quidem coram Deo, a quo judicatur ad pœnam: sed ab Ecclesia non judicatur ad pœnam, utpote quæ non judicat de actibus internis. Unde colliges, quod ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, sufficit quod jejunium quoad substantiam observet, sic enim rem præceptam ab Ecclesia materialiter exequitur: quod sufficit, ut non sit transgressor hujus præcepti: licet peccet mortaliter actu interno contra aliud præceptum divinum.

CAPUT IV.

Utrum omnes ad jejunia Ecclesiæ teneantur.
2. 2. qu. 147. art. 4.

Deinde considerandum est, quos obliget præceptum Jejunii Ecclesiastici. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut dictum est in cap. ant. statuta communia proponuntur, secundum quod multitudini conveniunt: & ideo legislator in eis statuendis attendit id, quod communiter habetur, & in pluribus accidit. Si quid autem ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiæ statuti repugnet, non intendit talem

lem legislator ad statuti observantiam obligare, in quo tamen est discretio adhibenda. Nam, si causa sit evidens, per se ipsum potest homo statuti observantiam prætérire, præsertim consuetudine interveniente: vel, si non possit de facili recursus ad Superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi: & hoc est observandum in jejuniis ab Ecclesia institutis, ad quæ omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum. Hæc est ergo differentia inter præcepta divina, & statuta Ecclesiæ, quod præcepta Dei sunt juris naturalis, quæ secundum se sunt de necessitate salutis. Sed statuta Ecclesiæ sunt de his, quæ non per se sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesiæ; & ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad observanda præcepta hujusmodi non teneantur.

Sciendum II. Quod in pueris maxime est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto: tum etiam, quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septenii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus, vel minus, secundum modum suæ ætatis. Quandoque tamen magna tribulatione imminente in signum pœnitentiæ arctioris etiam pueris jejunia indicuntur; secundum illud Joel. 2. *Sanctificate Jejunium: congregate parvulos, & sugentes ubera*. Ita cum D. Thom. communiter Doctores contra Durand. Innoc. & Abul. Verum tamen est, quod statim, ac ad usum rationis perveniunt, tenentur ad abstinentiam a carnibus, & lacticiniis, ut docent communiter Doctores. Aliquando etiam ex ipso jure naturali obligari possunt ad jejunandum, si sit necessarium ad resistendum tentationibus, sicut constat ex supra dictis.

Sciendum VII. Quod ratione etiam ætatis a jejunio excusantur senes, sed in qua ætate non conveniunt Doctores. Aliqui enim dicunt, solos septuagenarios a jejunio excusari. Ita Bonac. Sylv. Tolet. Alii dicunt, nullam ætatem posse præscribi, sed attendendum esse ad robur, & vires uniuscujusque. Ita S. Anton. Led. Cajet. Sed probabilior sententia asserit, quod jam hac nostra ætate senes sexagenarii, etsi robusti sint, a jejunio excusari, quia tunc, ut in pluribus, jam vires deficiunt: & ita respondisse anno 1570. S. Pium V. testatur Llamas. Hanc sententiam tenent Sanch. Trull. Navar. Lean. Salmant. Imo Sanch. referens alios in Consil. num. 6. dicit, fœminas quinquagenarias deobligari a jejunio: quod tamen non est admittendum, cum fœminæ regulariter facilius, quam viri jejunium ferre possint, ob majorem phlegmatum copiam, & vitam quietam. Ex his inferunt aliqui, Religiosos professos pari modo ratione ætatis excusari a jejuniis regulæ, sicuti a jejuniis Ecclesiæ. Ita Rodr. Med. Tamb. Graff. Alii vero id negant, si vires suppetunt, quia promissio observandi regulam fuit voluntaria, & perpetua, adeoque regulanda secundum obligationem voti, quæ durat usque dum vires suppetunt. Ita Bord. Azor. Sanch. Lez. Salm. & alii communiter.

Sciendum IV. Quod circa peregrinos, & operarios distinguendum videtur: quia, si peregrinatio, & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda. Si tamen immineat necessitas statim peregrinandi, & magnas diætas faciendi: vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possint Ecclesiæ jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum: quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, nisi forte, ubi est ita consuetum, quia ex hoc ipso, quod Prælati dissimulant, videntur annuere. Ita S. Thom. ad 3. Unde merito damnata fuit ab Alexand. VII. hæc prop. 30. *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obli-*

gatione jejunii : nec debent se certificare, an labor sit compossibilis cum jejunio. Et prop. 31. *Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiam si iter unius diei conficiant*.

Sciendum v. Quod, sicut ex dictis colligitur, excusantur a jejunio exercentes opera charitatis, misericordiae, religionis, sive spiritualia, sive corporalia sint, quando commode cum jejunio compati nequeunt. Quod verum est, etiamsi talia opera exerceant propria voluntate, etiamsi non ex officio, aut obedientia, aut ob communem utilitatem, ut probabiliter tenet sententia, quam docent Sanch. Armil. Villal. Salm. contra Navar. Cajet. Sylv. Nam, sicut ait S. Thom. in 4. d. 15. q. 3. art. 5. q. 2. ad 3. *Si enim sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad hoc ex necessitate non teneatur, indiscretum est jejunium, etsi non sit illicitum*. Quare excusantur a jejunio, qui plurimis infirmis inserviunt in hospitalibus, & monasteriis: qui in publicis processionibus cruces graves portant, aut se flagellis cruentant: praedicatores, qui ter, vel quater in hebdomada concionantur, non solum in die concionis, sed in vigilia: similiter confessarii, qui per totam diem confessiones excipiunt: Cantores, si jejunando adsit periculum amittendae vocis. In his tamen, & similibus casibus discretio adhibenda est, an labor sit compatibilis cum jejunio. Qua de re vide Salmant. tract. 23. cap. 2.

Sciendum vi. Quod pauperes, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiae, a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat. Ita S. Thom. ad 4. Similiter ratione impotentiae physicae, vel moralis excusantur a jejunio infirmi, convalescentes, valetudinarii, & similes, qui non tantum a jejunio, sed etiam ab obligatione abstinendi ab esu carnium eximuntur, etiam si infirmitas ex propria culpa contracta sit. Quod, si non ita certa, aut gravis sit infirmitas, debet peti consilium Medici, aut Superioris, ut docent Covar. Navar. Sanch. Item excusantur a jejunio, qui vacuo stomacho vertiginem patiuntur, vel fere per totam noctem calefieri, aut dormire non possunt. Ita Sanchez, Fag. Villal. Similiter excusantur praegnantes, & lactantes, etsi robustae sint. Azor. Lez. Bonac. item excusant mulieres, qui nubiles formam amittere timent, vel nuptae debitum reddere non possent, si jejunarent, Navar. Less. Sanch. quod tamen intelligi debet de jejuniis indiscretis, ut notant Salmant. Qua de re vide S. Thom. suppl. 3. p. qu. 64. art. 1. ad 3.

Sciendum vii. Ex Div. Thom. ad 5. Quod magis convenit, ut cum imperfectis, & novitiis in jejuniis dispensetur, quam cum antiquioribus, & perfectis, ut patet in Gloss. ord. super illud Psalm. 130. *Sicut ablactatus est super matre sua*. Quam dispensationem concedere possunt Episcopi, & Praelati regulares respectu subditorum; Imo & Parochi, ex consuetudine saltem, quando facilis non sit recursus ad Superiorem, ut docent Navar. Ledes. Lopez, Salmantic. Imo etiamsi facilis sit recursus ad ipsum, uti docent Innoc. & alii Canonistae, & plures Theologi cum D. Tho. in 4. d. 5. q. 3. art. 2. q. 4. contra Angel. & Tabien. quam facultatem extendunt etiam ad Vicarium Parochi, qui exercet alios actus Parochialis jurisdictionis, Sanchez, Pal. & Sanctius. Nam hoc convenit suavi regimini Ecclesiae. Abbatissae vero, & Priorissae directe quidem dispensare non possunt in jejuniis, cum non sint capaces spiritualis jurisdictionis: sed solum indirecte, declarando scilicet, non teneri in tali determinato casu moniales ad jejunandum, & tunc Superior, vel Religio intelligitur dispensare, ut docent Portel. Lez. Laym. Salmant. Denique possunt Episcopi cum tota communitate dispensare in jejuniis ex justa causa, ut docent Sanch. Laym. Salmant.

CAPUT V.

Utrum convenienter determinentur tempora Jejunii Ecclesiae. 2. 2. q. 147. art. 5.

Deinde considerandum est, quam convenienter Ecclesia determinaverit jejunium.

nium. Et primo quantum ad tempora. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, jejunium ad duo ordinatur, scilicet ad deletionem culpæ, & ad elevationem mentis in superna. Et ideo illis temporibus specialiter fuerunt jejunia indicenda, in quibus oportebat homines a peccato purgari, & mentem fidelium elevari in Deum per devotionem, quæ quidem præcipue imminent ante paschalem solemnitatem, in qua & culpæ per baptismum relaxantur, qui solemniter in vigilia Paschæ celebratur, quando recolitur Dominica sepultura: quia per baptismum consepelimur Christo in mortem, ut dicitur ad Rom.6. In festo etiam Paschæ oportet, maxime mentem hominis per devotionem elevari ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit. Et ideo immediate ante solemnitatem paschalem Ecclesia statuit esse jejunandum. Et eadem ratione in vigiliis præcipuarum festivitatum, in quibus præparari nos oportet ad festa futura devote celebranda. Similiter etiam Ecclesiastica consuetudo habet, ut in singulis quartis anni sacri Ordines conferantur, ad quorum susceptionem oportet per jejunium præparari, & eos, qui ordinant, & eos, qui ordinandi sunt, & etiam totum populum, pro cujus utilitate ordinantur. Unde & legitur Lucæ 6. quod Dominus ante discipulorum electionem exivit in montem orare.

Sciendum II. Quod ratio etiam numeri, quantum ad quadragesimale jejunium, est triplex secundum Gregor. hom. 15. in Evang. Primo quidem, quia virtus Decalogi per libros quatuor sancti Evangelii impletur: denarius autem quater ductus in quadragenarium surgit. Vel, quia in hoc mortali corpore quatuor elementis subsistimus, per cujus voluntatem præceptis Dominicis contraimus, quæ per Decalogum sunt accepta. Unde dignum est, ut eandem carnem quater decies affligamus. Vel, quia ita offerre contendimus Deo decimas dierum. Dum enim per trecentos, & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, qui sunt jejunabiles in sex septimanis quadragesimæ, quasi anni nostri decimas Deo damus. Singula vero jejunia quatuor temporum tribus diebus continentur propter numerum mensium, qui competit cuilibet tempori: vel propter numerum sacrorum Ordinum, qui in his temporibus conferuntur. Ubi notandum cum S. Thom. ad 2. quod Ecclesia non servat jejunia quatuor temporum, nec omnino eisdem temporibus, quibus Judæi, nec etiam propter causas easdem.

Sciendum III. Quod Jejunium exultationis, de quo mentionem facit August. in lib. 2. de consensu Evangelist. c.27. dicens, *Sicut est jejunium afflictionis, ita est jejunium exultationis*, ex instinctu Spiritus Sancti procedit, qui est Spiritus libertatis: & ideo hoc jejunium sub præcepto cadere non debet. Jejunia ergo, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, sunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ. Propter quod non est jejunium ab Ecclesia institutum toto paschali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus si quis jejunaret contra consuetudinem populi Christiani, quæ ut August. dicit Epist. 86. est pro lege habenda, vel etiam ex aliquo errore, (sicut Manichæi jejunant, quasi necessarium tale jejunium arbitrantes) non esset a peccato immunis: quamvis ipsum jejunium secundum se consideratum omni tempore sit laudabile, secundum quod Hieron. dicit ad Lucinium, & refertur dist. 76. c. *Utinam omni tempore jejunare possemus*. Ita S.Thom. ad 3. Consuetudine tamen introductum jam est jejunium in vigilia Pentecostes, quamvis adhuc duret tempus paschale.

Sciendum IV. Quod jejunium obligat etiam quatuor diebus antecedentibus primam Dominicam quadragesimæ, qui dies Cinerum dicuntur, & adjuncti 36. diebus quadragesimæ, qui sunt jejunabiles, in totum quadraginta dies jejunii complent ad imitationem jejunii Dominici, ut patet ex cap. Non licet, de consecr. dist. 3. cap. Non oportet, cap. placuit, cap. Quadragesima, tit. eod. d. 1. Consuetudo tamen in aliquibus locis prævaluit, ut quatuor istis diebus jejunium non observetur, scilicet Mediolani, ut testatur Laym. Sicut in aliquibus Germaniæ locis, quod singulis hebdomadibus ter tantum jejunetur, ut testatur Lean. Nam contra præceptum Ecclesiæ, quod dispensabile est, prævalere etiam potest consuetudo, ut notant Salmantic. In omni-

omnibus etiam sextis feriis, & sabbatis totius anni prohibetur esus carnium, nisi incidat festum Natalis Domini, ut patet ex cap. explicari, de obser. jejuniorum, ubi tamen expresse excipiuntur, voto, & regulari observantia, seu præcepto adstricti.

Sciendum v. Quod jejunii Ecclesiastici obligatio incipit a puncto mediæ noctis, & finitur in eodem puncto mediæ noctis subsequentis: quia integrum diem vigintiquatuor horarum durare debet, ut est certum apud omnes. Ubi autem horologium non est, moraliter secundum habitantium æstimationem hic terminus sumi debet. Quod, si vigilia aliqua accidat in die Dominico, transfertur in sabbatum antecedens, ut patet ex cap. Concilium. Item, si festivitas Corporis Christi venerit in vigilia S. Joannis Baptistæ, jejunium transferri debet in feriam quartam antecedentem, ut declaravit Sacra Congr. jussu Urbani VIII. in bulla, quæ incipit: Cum evenire, anno 1638. Episcopi etiam in casu magnæ festivitatis possunt transferre jejunium in diem antecedentem, exceptis jejuniis quatuor temporum, ut docent Cajet. Sylv. Salmantic. Non possunt tamen transferre jejunium Vigiliæ S. Matthiæ Apost. quando venerit in carnis privio, ut declaravit Sacr. Rituum Congr. anno 1644. Non enim est rationabilis causa mutandi consuetum cursum Ecclesiastici ritus, ut reliquiæ idololatricæ superstitionis locum habeant.

CAPUT VI.

Utrum requiratur ad Jejunium, quod homo tantum semel comedat. 2.2. q. 147. ar. 6.

DEinde considerandum est de unica comestione, quæ ex communi consuetudine populi Christiani ad Jejunium requiritur. Circa quod

Sciendum I. Quod jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam: ita tamen, quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest & naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur. Ubi notandum, quod quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget: sed, ut plurimum, omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem. Et ideo ab Ecclesia taxatur unica comestio, non autem quantitas cibi. Unde, si aliquis immoderate cibum sumat in unica comestione, peccabit quidem contra temperantiam, sed præceptum jejunii Ecclesiastici non violabit: ita D. Thom. ad 2. & cum eo Cajet. Led. Bonac. Salm. & alii contra Major. Covar. aliosque.

Sciendum II. Quod unica comestio magis videtur in præcepto jejunii præsupposita, tanquam communiter intellecta, quam expressa, ita, quod hoc modo est statuta ab Ecclesia, & non solum ex consuetudine, juxta illud litteræ: *Ecclesiæ moderatione statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur*. Probatur autem, quod dicimus, tum ex eo, quod jejunium, tanquam a Patribus veteris testamenti acceptum, Ecclesia servat, & indixit. Constat autem, quod apud Judæos semel tantum in die comedebatur, scilicet ad vesperam: tum ex cap. Quadragesima, de consecr. dist. 5. ubi inter dies jejunii, & Dominicos in quadragesima differentia ponitur, dicendo, quod dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur. Constat autem, quod non in aliquo alio subtrahuntur, quam in multiplicata comestione, quoniam in qualitate ciborum conveniunt, ut infra dicetur. Ita Cajet. in com.

Sciendum III. Quod electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. Ita S. Thom. ad 3. Unde ex hoc patet, quod pro sustentatione naturæ, nec vespere, nec mane licet manducare, seu aliquid sumere per modum cibi: licitum autem est aliquid sumere tam mane, quam vespere, non tamen principaliter ad nutrimentum, sed pro medicina, puta, ne potus noceat, aut ex necessitate, licet aliquo modo nutriat. Nam, si quis

si quis non posset aliter jejunare, nisi hujusmodi refectionem sumendo in mane, vel vespere, recte faceret, si illam sumeret, & sic pro suis viribus jejunium persolveret, & satisfaceret optime Ecclesiastico præcepto reliquum diei jejunando. Non enim propterea debet iste omnino prætermittere jejunium, sicut, qui non potest totam quadragesimam, sed ter in hebdomada jejunare, debet sic facere, ut bene hic notat Cajet. ex communi sent.

Sciendum IV. Quod, si quis pluries comedit in die jejunii cibos non prohibitos, probabile est, quod solum peccat in secunda comestione, non autem in subsequentibus: quia, ablata jam per secundam comestionem forma jejunii, hoc amplius subsistere non potest, sicut docent Durand. Cajet. Navar. Suar. & alii apud Salmant. Probabile tamen est, quod teneatur post secundam comestionem jejunare reliquum diei spatium, adeoque quod toties peccat, quoties manducat: Per hoc enim, quod unica comestio præcipitur, excluditur non solum secunda, sed tertia, & quarta, & reliquæ omnes: Unde, sicut per secundam comestionem frangit præceptum abstinendi a pluribus comestionibus, ita, & multo magis illud frangit, qui ter, vel quater non abstinet, ut probabilius docent Major. Medin. Covar. & alii cit. a Salm. Nec forma jejunii in indivisibili consistit, ut supponit opposita opinio; Jejunium enim, ut inquit Isidorus cit. a D. Thom. art. 2. est *parsimonia victus, abstinentiaque ciborum*, adeoque major, vel minor esse potest ex parte positivi, a quo abstinet, sicuti tenebræ, quæ consistunt in privatione, suscipiunt magis, & minus ex parte causæ inducentis carentiam lucis. Nec per hoc, quod aliquis non possit amplius abstinere totaliter a comedendo, quia ad præteritum non datur potestas, eximitur ab obligatione abstinendi a comedendo reliqua diei parte: sicut, qui non potest recitare totum officium, non eximitur ab obligatione recitandi partem, quam potest. Qua de re vide propos. 54. damnatam ab Innoc. XI.

Sciendum V. Quod, qui negotii causa prandium interrumpit, non censetur pluries comedere, etiam si per mediam horam, ut vult Bonac. Trull. Villal. vel per integram horam, ut vult Sanch. Imo etiam si per duas horas interrumpat, ut vult Joan. Sanctius: quia non censetur interruptio moralis, sed solum physica. Similiter, si e mensa quis surgat animo amplius non comedendi, & statim animo mutato revertatur, non censetur pluties comedere, seu moraliter prandium interrumpere, ut docet noster Piselli contra Navar. Less. Bonac. qui tamen concedunt, quod si prandium adhuc duret, non censetur revertens interrupisse moraliter. Qua ratione non frangunt jejunium lectores, & ministri mensæ in monasteriis: & similiter famuli, qui immediate post mensam dominorum comesturi sunt, si aliquid cibi præsumant: quia hoc est inchoatio quædam prandii, & temporis divisio justa de causa facta. Ita B. Benedictus in regul. cap. 38. Abul. Cajet. Bonac. Sanch. Salmant.

Sciendum VI. Quod, qui in die jejunii mane jentaculum sumpsit, puta itineris causa, etiamsi contingat non proficisci, non tenetur eo die jejunare, ut docent Navar. Palud. Sylv. Cæterum hoc absolute falsum est, sicut constat ex supra dictis, & solum concedendum, quando illa sola comestione non potest reliquo diei tempore abstinere a cibo totaliter, ut optime docent Less. Bonac. Salmant. Qui autem rogatus ab amico aliquid cibi sumit, ne inurbanus videatur, si excedat parvitatem materiæ, peccat mortaliter, quia petitio est illicita, utpote contra præceptum Ecclesiæ: nec est urbanitas alteri acquiescere, & consentire in malo. Ita S. Anton. Palud. Cajet. Sylv. Similiter peccat mortaliter, qui in die jejunii pluries modicum cibi sumit absque necessitate, si modica illa notabilem cibi quantitatem efficiant: uniuntur enim, & continuantur inter se ad gravem materiam constituendam ratione ejusdem diei. Unde merito damnata fuit ab Alexan. VII. hæc propr. 29. *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*. Censetur autem notabilis quantitas, si excedat duas uncias, ut docent noster Piselli, & PP. Salmantic. tract. 23. cap. 2. §. 2.

CAPUT VII.

Qualiter refectiuncula serotina compati possit cum unica comestione requisita ad jejunium.

Refectio de sero consuetudine invalescente introducta, in tantum licita est, & ab Ecclesia permissa, in quantum per eam non solvitur forma jejunii, quæ unicam comestionem importat. Considerandum igitur est, qualiter compati possit cum unica comestione. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod, sicut notat Cajet. in com. licet priscis temporibus non fuerit forte licitum sumere fructus, herbas, aut bucellam panis in die jejunii extra unicam comestionem, ne potus lavet stomachum: quia horum usus secundum se est manducatio, ut docet S. Thom. hic ar. 6. hodie tamen omnia licita sunt per modum medicamenti in vespertino potu, fraude cessante, ut somnus necessarius capi possit: quoniam jam consuevit populus christianus uti per modum medicinæ hujusmodi, his, quorum usus est manducatio: sicuti docent S. Anton. Navar. Covar. Sanch. Salmant. & alii Doctores communiter. Quia tamen illa, quæ ex relatione ad aliquid fiunt, ad illius naturam reducuntur, ideo refectio vespertina, quæ prætextu consuetudinis fit in die jejunii, cum consuetudo rationabilis sit, ad rationabilem usum talis refectio reducitur. Et propterea excusantur tales a peccato: instruendi tamen sunt hujusmodi simplices de fundamento consuetudinis, scilicet, quod super modo medicinæ fundata est, quæ secundum mensuram sumi debet, & quantum ad quantitatem, & quantum ad qualitatem, ne noceat. Circa quam mensuram variant Doctores. Unde

Sciendum II. Quod circa quantitatem Sanchez, & Sylv. docent sumi posse quadrantem panis cum paucis uvis passis, vel herbis. Graff. & Antonius de Leon. solum permittunt tres uncias cibi. Alii apud Filliuc. Palaum, & Vvigandt, prudentum judicio relinquunt, concedentes plus nobilibus, ac continuo studio deditis, vel Provincias frigidas habitantibus. Laym. Regin. Filliuc. Villal. designant quartam, vel quintam partem prandii consueti. Lezan. Azor. & alii solum quatuor uncias admittunt. Molfes. & alii apud Filliuc. sex uncias concedunt. Bonacina dicit, standum esse consuetudini, cum ex consuetudine collatiuncula serotina introducta sit. Sed communior sententia docet posse sumi octo uncias, quod & sacrarum Religionum usus confirmat, ut de sua testantur Suarez, & Fagund. & de sua Salmantic. Notant tamen Sanch. Lean. & alii, quod qui excederet per unam, aut duas uncias quantitatem præfixam, maxime si indiget dicto excessu ob debilitatem, vel somnum capiendum, non frangit jejunium; cum non fit excessus notabilis: quod tamen non admittit noster Pifelli. Inter tot sententias, tertia probabilior videtur: quia id, quod solum per modum medicinæ sumi debet secundum rationabilem consuetudinem, ut dictum est, taxari non potest, nisi secundum arbitrium prudentum, attentis omnibus circumstantiis in particulari: sicut & exigit regula temperantiæ, quæ respectiva est, non absoluta, ut dictum est in 2. p. cum D. Thoma.

Sciendum III. Quod in pervigilio Nativitatis Domini, conveniunt Doctores in eo, quod licite sumi potest de fructibus, herbis, aliisque rebus parum nutrientibus; non vero de pane, duplo, aut triplo major quantitas collationis: quia sic tenet praxis, & usus timoratorum, ut testantur Sanch. Fagund. Azor. Villal. Barb. Imo probabilius est ex consuetudine jam introducta, & tolerata a Prælatis, posse sumi de fructibus, & rebus ex saccharo confectis, quantum libuerit, dummodo unica fiat collatio, & de sero. Ita Sanch. Med. Led. Salmant. contra Navar. Angles, & alios apud Salmant. Quod verum est, etiam si vigilia Nativitatis anticipetur in sabbato, per hoc, quod dies Natalis Domini incidat in feria secunda: & etiam si coincidat cum jejunio quatuor temporum, ut docent Salmant. Sanch. Lean. Turrian. aliique contra Bossium nostrum, Pifelli, & Joan. a S. Thoma. Hanc doctrinam extendunt Filliuc. Fagun. & alii ad vigiliam Resurrectionis, & Pentecostes, quod verum est ubi introducta est legitima consuetudo, non vero alibi, ut notant Salmanticenses.

Scien-

Sciendum IV. Circa qualitatem ciborum, quod licet Abb. extra. de observat. jejun. putaverit licitum, uti illa eadem refectione hora vespertina per modum medicinæ, qua jejunantes utuntur mane in prandio: secundum tamen veritatem non est licitum: quia cibus directe sumitur ad sustentationem naturæ per viam nutrimenti: sed medicina non sumitur directe pro nutrimento, sed ne potus noceat, & ut somnus necessarius capiatur. Et propterea Ecclesia interdicendo binam comestionem inhibet eam, ut comestio ordinatur ad nutriendum corpus; vult enim jejunantes affligi in corpore. Et ideo non est licitum in collatione sumere cibos valde nutritivos, ut docent Cajet. & alii Doctores communiter, qui tamen necessitatem excipiunt, quæ licitum facit, quod ex lege licitum non est. Unde nec pisces, nec ova, nec caseus, nec legumina cocta sunt materia apta collationis in die jejunii: bene vero herbæ, fructus, panis, dulciaria, & his similia, sive cruda, sive cocta sint. Excipe tamen necessitatem, ut dixi; quando aliud haberi non potest, vel complexionis status id necessario exigit: quod, si in aliquo quis dubitaret, tute stare potest superioris arbitrio, qui facultatem habet in his dispensandi, ut notat Cajetan.

Sciendum V. Circa tempus collationis, quod, justa interveniente causa (puta negotii urgentis, sermonis, itineris, studii) nullum erit peccatum illam summo mane, vel meridie sumere, & differre comestionem in noctem. Si enim justa causa valet excusare a jejunio, multo magis excusare valet ab ejus circumstantia. Si vero fiat sine causa rationabili, erit peccatum veniale, cum non sit contra substantiam jejunii, sed circa modum accidentalem. Ita Less. Tolet. Azor. Navar. Cajet. Sed nota cum Sanch. quod, si quis in vigilia Nativitatis Domini vult ex justa causa mane, aut meridie collationem sumere, & differre comestionem in noctem, non poterit licite sumere majorem solito quantitatem collationis: quia major in nocte Natalis Domini consuetudine introducta est, & non aliter: & contrarium est improbabile, ut optime dicunt Salmantic. contra Quintanad. tract. 23. cap. 2. Notat insuper Sanch. cum Cajetan. quod, qui jejunare nequit, nisi mane collatiunculam sumendo, debet hoc modo jejunare: quia moralia præcepta morali modo, id est juxta moralem possibilitatem sunt interpretanda, & modo congruentiori exercenda.

CAPUT VIII.

Utrum potus solvat Jejunium. 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 2.

Deinde considerandum est, utrum potus extra unam comestionem sumptus solvat jejunium. Circa quod

Sciendum I. Quod duplex est jejunium. Unum quidem naturæ, quod requiritur ad Eucharistiæ sumptionem: & hoc solvitur per quemlibet potum, etiam aquæ, post quem etiam non licet Eucharistiam sumere. Est autem aliud jejunium Ecclesiæ, quod dicitur jejunium jejunantis: & istud non solvitur, nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere sumptionem potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis immoderato potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam, si immoderate cibum in una comestione assumat. Unde

Sciendum II. Quod quamvis antiqui SS. Patres referant vetera Christianorum jejunia, non solum carnium esu, sed vini potu caruisse, quos plures Theologi postea secuti sunt, asserentes, vinum extra unicam comestionem sumptum frangere jejunium, maxime quando sumitur in fraudem jejunii: quia fraus nemini patrocinari debet, ut tenent Richar. S. Anton. Sylv. Abul. Regin. & alii; tamen jam concors Canonistarum, & Theologorum sententia cum D. Thom. est, quod vinum quocumque fine sumatur, jejunium Ecclesiæ non frangit: quia ex natura sua est potus, & primo, & per se ordinatur ad extinguendam sitim. Potus autem ab Ecclesia non prohibetur in die jejunii: quod & consuetudo fidelium comprobat, quidquid antiquitus observatum fuerit in contrarium. Eadem autem ratio est de potu cervisiæ,

bir-

birræ, aquæ saccharo mixtæ, & aliarum aquarum, quæ ex cinnamomo, cerasis, hordeo, & aliis rebus, fiunt quando adeo liquantur, & in parva quantitate infunduntur, ut propriam cibi naturam amittant, ita, ut evadant verus potus. Aliqua vero liquida, quæ per se ordinantur ad nutriendum, ut lac, jus, & similia, solvunt jejunium, quia habent rationem cibi. Ita Abul. Lez. Sanch. & communiter Doctores.

Sciendum III. Probabilius esse, quod potus chocolatæ per se, & ex natura sua est ordinatus ad nutriendum, ut ex ejus ingredientibus manifestum est, adeoque, si in magna quantitate extra comestionem sumatur, solvit jejunium. Ita Sanchez, Trull. Pal. Villal. aliique plures apud Salmant. tractat.23. cap. 2. §. 2. Qui tamen monent, quod, si chocolata non fit ita spissa, sed ita rara, sicut aliæ potiones artificiales, quæ ex diversis speciebus aromaticis, & saccharo conficiuntur, non frangit jejunium, etiam si multoties sumatur. Cæterum probabile est, potum chocolatæ sicut communiter solet sumi, non frangere jejunium ex natura sua: quia licet satis nutriat, tamen ex sua primæva institutione ordinatus est ad digestionem ciborum, & ad sedandam sitim: & ita declarasse S. Pium V. Gregor. XIII. & Paulum V. refert noster Thom. Hurtado p.2. tract.10. cap.5. ubi hanc sententiam mordicus defendit, & pro ea refert Antolinum, Basilium, aliosque Doctores. Sed quidquid sit de hoc, certum est, potum chocolatæ, saltem ex consuetudine jam introducta, non frangere jejunium, ut de Curia Romana testatur noster Piselli p. I. tract. 13. cap. 3.

Sciendum IV. Quod absque dubio jejunium frangunt recentes Uvæ, quia vere sunt cibi, ut docent Abul. Salmantic. & alii communiter, contra Pasqualig. Et multo magis jejunium frangunt pira, poma, mala citrina, cucumeres, & alii similes fructus: quia per se sunt cibus ad nutriendum ordinatus. Ita Cajet. Bonac. Fag. Filliuc. Quod verum est etiam si ex pomis dentibus contritis solus succus deglutiatur: impossibile enim est, quod tunc aliqua substantia, quæ vere cibus est, non assumatur, ut notant Salmant. cit.

CAPUT IX.

Utrum hora nona convenienter taxetur his, qui jejunant. 2. 2. qu.147. art.7.

Concilium Calcedonense, ut habetur de consecr. dist. I. cap. Solent 58. dicit. *In quadragesima nullatenus credendi sunt jejunare, qui ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium, quod quadragesimali tempore post nonam dicitur.* Ergo usque ad nonam est jejunandum. Ad cujus evidentiam:

Sciendum I. Quod, sicut dictum est, Jejunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ. Unde oportet, quod aliquid addat supra communem consuetudinem, ita tamen, quod per hoc non multum natura gravetur. Est autem debita, & communis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam, tum, quia jam videtur esse completa digestio nocturno tempore, naturali calore interius revocato propter frigus noctis circumstans, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei usque ad summum solis ascensum: tum etiam, quia tunc præcipue natura corporis humani indiget juvari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur. Et ideo, ut jejunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam.

Sciendum II. Quod convenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora nona, quando, inclinato capite, tradidit spiritum. Jejunantes enim, dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur, secundum illud ad Galat.5. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Notandum tamen, quod ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem, (ut dicit D. Th. ad 2.) Sufficit enim, quod sit circa horam nonam: & hoc de facili quilibet cognoscere potest. Modicum enim anticipare non potest multum nocere. Unde qui una hora ante jejunium solveret, non peccaret, ut docent Azor. Pal. Lean. Salmant.

D. S.

Differre autem solutionem jejunii usque ad noctem, etiam sine causa licite fieri potest, dummodo hoc non fiat ex superstitione observandi ritum Judaicum. In veteri enim testamento, qui nocti comparatur Rom. 3. Judæi jejunabant usque ad noctem, ut notat ad primum S. Thom.

Sciendum III. Quod modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere. Non est autem multum temporis spatium, quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueverunt, usque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur: & ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cujuscumque conditionis existat: vel, si forte propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid hujusmodi, hoc eis in magnum gravamen cederet, esset cum eis in jejunio dispensandum, vel, ut aliquantulum prævenirent horam. Ita S. Thom. ad 3. An vero notabilis anticipatio horæ taxatæ, quando fit sine dispensatione, aut causa urgente, sit peccatum mortale, non conveniunt Doctores. Affirmant Abul. Navar. Sylv. Azor. & Sanch. quia ita colligitur ex cit. can. Concil. Calcedon. Sed communior, & probabilior sententia id negat, quia taxatio temporis non pertinet ad substantiam, sed solum ad circumstantiam jejunii, ut etiam asserunt cit. DD. adeoque non impedit finem legislatoris ejus transgressio. Ergo non pertingit ad culpam gravem. Sic Innoc. Archid. Richar. Tol. Bonac. Laym. Lean. & alii communiter apud Salmant. Unde nunc ex communi consuetudine Ecclesiæ licitum est, etiam in quadragesima, jejunium solvere hora circa meridiem, seu hora sexta, ut testantur communiter Doctores, qui post Div. Thomam scripserunt.

CAPUT X.

Utrum convenienter Jejunantibus indicatur abstinentia a carnibus, & ovis, & lacticiniis. S. Th. 2. 2. q. 147. art. 8.

Denique considerandum est de abstinentia ab esu carnium, ovorum, & lacticiniorum, quæ jejunantibus ab Ecclesia præcipitur. Circa quod

Sciendum I. Quod, sicut supra dictum est, Jejunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis, & venereis: & ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo maxime habent delectationem, & iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium, & respirantium, & quæ ab eis procedunt: sicut lacticinia ex gressibilibus, & ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum: & sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incitamentum luxuriæ. Et ideo ab his cibis, præcipue jejunantibus, Ecclesia statuit esse abstinendum.

Sciendum II. Quod ad actum generationis tria concurrunt, scilicet calor, spiritus, & humor. Ad calorem quidem maxime cooperatur Vinum, & alia calefacientia corpus. Ad spiritus autem videntur cooperari inflativa: sed ad humorem maxime cooperatur usus carnium, ex quibus multum de alimento generatur. Alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum cito transit, sed substantia humoris diu manet. Et ideo magis interdicitur jejunantibus usus carnium, quam vini, vel leguminum, quæ sunt inflativa. Similiter Ecclesia Jejunium instituens intendit ad id, quod in pluribus accidit. Esus autem carnium est magis delectabilis communiter, quam esus piscium, quamvis in quibusdam aliter se habeat. Et ideo Ecclesia magis jejunantibus prohibuit esum carnium, quam esum piscium.

Sciendum III. Quod ova, & lacticinia jejunantibus interdicuntur, in quantum sunt ex animalibus exorta carnem habentibus; unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, vel lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia solemnius est quadragesimale jejunium, tum quia observatur ad imitationem Christi: tum etiam, quia per ipsum disponuntur fideles ad redemptionis nostræ mysteria devote celebranda; & ideo in quolibet jejunio interdicitur esus carnium;

nium: In jejunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia: sicut docet S. Thom. ad 3. & colligitur ex cap. Denique dist. 4. & clarius ex can. 56. Sextæ Synodus generalis. Unde merito damnata fuit ab Alexan. VII. hæc prop. 32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia, in Quadragesima, obliget*. Obligat autem sub mortali, ut clare patet ex cit. can. 6. Synodi: &, quia est in materia gravi, ut docent communiter Canonistæ, & Theologi contra Fagund. & obligat etiam in diebus Dominicis, in quibus non jejunatur, quia vere sunt dies Quadragesimæ, ut ex communi docent Salmantic. Cajet. Covar. Sanch. contra Mend. & Pasqual.

Sciendum IV. Ex D. Thom. ad 3. Circa abstinentiam ab ovis, & lacticiniis in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur. Unde Hieron. dicit in Epist. ad Lucinium, de jejuniis loquens. *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur*. Ex huc usque dictis colliges, quod peccat mortaliter, qui in die jejunii carnes comedit, vel in Quadragesima ova, & lacticinia: & toties, quoties ea comedit (nisi parvitas materiæ, necessitas, aut dispensatio excuset.) Cum præceptum in hac parte sit negativum, ut ex communi docent Cajet. Suar. Bonac. Sanch. Salmant. Imo notat Sanctius, quod, qui simul cum carnibus comederet ova, aut lacticinia in Quadragesima, toties, quoties duo distincta peccata committeret, quia præceptum non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, est præceptum negativum, & distinctum a præcepto non comedendi carnes. Unde obiter infertur, quod idem dicendum sit de eo, qui vovet pro aliqua die carnes, aut ova non comedere, quia votum est ad modum præcepti negativi in hac materia, ut docent Navar. Azor. Suar. Sanch. Salmant. contra Palud. S. Antonin. & Pasqual.

Sciendum V. Quod dictum est, nisi parvitas materiæ, aut necessitas excuset. Certum est enim, quod in hoc præcepto, quamvis negativo, admitti debet parvitas materiæ, sicut eam admittit præceptum non furandi, quod est naturale, & negativum, ut notant Sanch. Bonac. Salmant. Parvam autem materiam respectu hujus præcepti, judicat Pasqual. dimidiam circiter unciam carnis. Alii vero probabilius judicant exiguam partem unciæ, seu frustulum carnis exiguum. Ita Lean. Bonac. Salmant. Necessitas autem ab omni lege exempta est, cum nulla lex obliget ad impossibile. Qua ratione excusantur Coqui, & pincernæ ex necessitate servitii, si modicum quid carnis gustent in die jejunii ad faciendam credentiam dominis suis: & idem licite faciunt deservientes infirmis. Similiter, qui non habent alium cibum, aut transeuntes per terras infidelium, ne se prodant, carnes licite comedere possunt in die jejunii. Eadem ratione etiam ubi adest penuria olei, conceditur usus butyri, & saginis, ut notant Laym. Lean. Salmant. Graff. Similiter pauperes ostiatim mendicantes ratione necessitatis possunt vesci frustis carnium, quæ eis donantur, ut notant Sanch. Rodriq.

Sciendum VI. Quod denique dixi, nisi dispensatio excuset. Certum est enim, quod præceptum abstinendi a carnibus in die jejunii, sicut etiam in feriis sextis, & sabbatis: & ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima, obligat omnes, etiam pueros doli capaces, ut testatur consuetudo, quæ est legitima legum interpres; nisi adsit dispensatio. Ubi autem adest consuetudo, quod pueris dentur ova, & lacticinia in Quadragesima, licite hoc fit, quia consuetudo tolerata a Prælatis secum fert tacitam dispensationem. Dispensati vero ad comedendas carnes, a fortiori possunt comedere ova, & lacticinia, & multo magis pisces: possunt tamen peccare contra temperantiam simul carnibus, & piscibus vescendo, præcipue si eis noceat. Notandum tamen, quod, si dispensatio sit limitata ad comedendum carnes salubres, peccabit contra præceptum Ecclesiæ, qui carnes non salubres, aut simul cum carnibus pisces comederet, & non solum contra temperantiam, ut bene notant Salmant. Sanch. Azor. Sed tunc hoc erit mortale peccatum, quando grave nocumentum inferre potest, ratione cujus prohibetur ista simultanea comestio; ut notant Villal. Salmant. & non absolute.

Scien-

Sciendum VII. Quod dispensatus a jejunio, non propterea intelligitur dispensatus ad comedendas carnes, ut est certum apud omnes. Dubium solum est, an dispensatus absolute ad comedendas carnes in die jejunii, sit eo ipso dispensatus a jejunio. Affirmant Cajet. Sanch. & alii plures apud Salm. Quia qui est dispensatus a parte præcipua, & substantiali jejunii, qualis est abstinentia a carnibus, excusatur a toto jejunio, quod sine abstinentia a carnibus subsistere non potest. Negant vero, & probabilius Navar. Bonac. Azor. Salm. & alii. Diversum enim est præceptum abstinentiæ a carnibus, & præceptum jejunii, licet præceptum jejunii includat præceptum abstinendi a carnibus. Unde, si in totum observari nequit, debet servari quoad partem possibilem, ut probat textus in cap. Jam delicti, de delinq. & contumac. Qua ratione, qui non potest recitare matutinum, potest tamen reliquas horas, non excusatur ab obligatione illas recitandi; falsum enim est in hoc casu, quod major pars trahat ad se minorem: sicut constat ex prop. 54. damnata ab Innnc. XI.

Sciendum VIII. Hoc certum esse, quod, si dispensatio detur cum hac limitatione, ut dispensatus ad comedendas carnes, teneatur jejunare, absque dubio sic dispensatus jejunare tenetur sub mortali. Sicut enim Ecclesia potest præcipere, & de facto præcipit abstinentiam a carnibus impotentibus jejunare: ita præcipere potest jejunium non valentibus se abstinere ab esu carnium. Item certum est, quod dispensati ad comedendas carnes propter actualem infirmitatem, sunt etiam dispensati a jejunio, in his enim est manifesta ratio necessitatis exigens totalem dispensationem. Denique certum est, quod dispensatio ad comedendum ova, & lacticinia in Quadragesima, non eximit ab obligatione jejunii, ut ipsa consuetudo populi Christiani demonstrat: & extra jejunia Quadragesimæ de facto Ecclesia communiter non indicit abstinentiam ab ovis, & lacticiniis, & tamen sub præcepto indicit plura jejunia. Et hæc dicta sufficiant de actibus humanis, seu moralibus, per quos ad beatitudinem pervenitur, adjuvante gratia, quæ est per Jesum Christum Salvatorem nostrum, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Finis Tertiæ Partis.

AP.

APPENDIX DE JEJUNIO.

POST ea, quæ scripsi de Jejunio Ecclesiastico, emanarunt duæ Constitutiones Summi Pontificis in forma brevis circa abusus, qui circa Jejunium invaluerant, quos abolere cupiens, aliqua observanda decernit. Quapropter earum tenorem in partem referam., & deinde aliqua notabo.

Prima Constitutio.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus &c.

BENEDICTUS PAPA XIV. &c.

NOn ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis cultoribus notum sit, a tota per Christianorum orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale Jejunium, quod &c. Ab hac vero insita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de sacratissima Quadragesima, aliisque diebus Jejunio consecratis persuasione, & reverentia quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa Jejuniorum institutione, & servata semper, ubique, & ab omnibus disciplina quam longissime distet, Vos Venerabiles Fratres, qui populorum curæ vestræ commissorum mores, & usus probe nostis, pro singulari Sapientia vestra præ cæteris clarius intelligitis. Nos sane . . . . .

Debitum igitur paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio, multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per sacra canonum statuta præscriptis cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadragesimali Jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe, & arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero, urgentemque necessitatem, etsi non est, cur vobis explicemus, nolumus tamen Vos ignorare, cum hujusmodi necessitate & servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus, & licitas, atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse. Porro &c. . . . .

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 30. mensis Maji 1741. Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

Altera Constitutio.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Salutem &c.

IN suprema universalis Ecclesiæ procuratione &c. ita inter cætera præscripsimus unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerunt qui per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes sibi, aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere; cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & ali-

ter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, & nemine excepto, unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus, & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexus Christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus, atque præcipimus. Eapropter fraternitates vestras rogamus &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22. Mensis Augusti 1741. Pontificatus nostri anno secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

ANNOTATIONES.

I.

PRimo notanda sunt illa verba secundæ Constit. *In Quadragesimæ, aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus.* Ex quibus deducitur, certum jam esse, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima, & etiam in aliis jejuniorum diebus, obligat sub præcepto, ubi viget, etiam in jejuniis extra Quadragesimam; conformiter ad ea, quæ dixi ex D. Thom. in cap. 10.

II.

De utriusque Medici consilio. Intelligendum est de consilio utriusque Medici, corporalis, & spiritualis; & ideo sufficit, ex consilio unius Medici dispensationem impetrare, adhibito simul consilio proprii Parochi, aut Confessarii, ut habetur in edicto Ecclesiæ Ravennatis edito anno 1742. conformiter etiam ad edictum Clement. XI. relato a Card. Cozza, de Jejun. par.3.ar.4. dub.1. n. 25.

III.

Ab omnibus omnino, & nemine excepto, unicam comestionem esse servandam. Quamvis ergo ante has constitutiones plures Doctores opinaverint, quod dispensati ad comedendas carnes, non tenerentur ad unicam comestionem servandam, ut retuli in cap. 10. *Scien.* 7. modo tamen hæc opinio suam amisit probabilitatem, adeoque ad praxim sine peccato mortali deduci non potest; *Dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat;* sicuti dicitur in 2. const.

IV.

Et licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus, & edicimus. Quamvis ergo ante has constitutiones esset peccatum gulæ simul licitas, & interdictas epulas apponere manducandas in die Jejunii, etiam stante dispensatione; nunc tamen est etiam contra præceptum Ecclesiæ; sicuti constat ex illis posterioribus verbis secundæ Const. *unicuique præscribimus, atque præcipimus;* & ego conformiter ad hæc dixi in cap.10.

V.

Quando dicitur *Licitas, & interdictas epulas minime esse apponendas;* debet ita intelligi, ut simul carnes, & pisces non possint manducari a dispensato ad comedendas carnes, sicut explicatur in edicto supra cit. Ecclesiæ Ravennatis. Dispensati autem ad esum ovorum, & lacticiniorum, licite possunt vesci piscibus, eo pari modo, quo potest fieri feriis sextis, & Sabbatis totius anni, in quibus est interdictus tantum esus carnium. Similiter dispensatis ad comedendas carnes, non prohibetur esus ovorum, & lacticiniorum ex vi præcepti Ecclesiastici communis, nisi forte in dispensatione hæc limitatio exprimatur.

VI.

Nemini quidem sine legitima causa. Dispensationem toties, quoties opus fuerit concedendam; ut dicitur in prima constit. *sive singulis ob legitimam causam,* ut dicitur in 2. const. Abusus enim intolerabilis est, generalem licentiam familiæ concedere ob solum motivum, quod aliqui indigeant dispensatione, & ne expensæ multiplicentur, ut notavit Card. Lambertinus Notif. 15. tom. 1. num. 13. Abusus etiam est, licentiam illimitatam singulis concedere, quando opus est solum limitata; sicuti notatur in cit. Edicto Ecclesiæ Ravennatis.

D E-

DECRETA
SANCTISS. IN CHRISTO PATRIS AC D. N. D.
ALEXANDRI PAPÆ VII.
In Congregationibus Generalibus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitis.

Feria V. die 24. *Septembris* 1665.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctiss. D.N.D. Alexandro *Divina Providentia* Papa VII. *ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SAnctissimus D.N. audivit non sine magno animi suo mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo umquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit. Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis, usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum crimina, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardinalium, visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est; Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice & coram gravissimis viris prædicta impingere nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam, Beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenderetur, interea idem Sanctissimus re mature considerata statuit & decrevit, prædictas propositiones & unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiamsi speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Not. &c.

FERIA QUINTA,

DIE DECIMA OCTAVA Martii Anno 1666.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.N. D. Alexandro *Divina Providentia* Papa VII. *ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SANCTISSIMUS D.N. post latum decretum die 24. Septemb. proxime elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt; examinatis sedulo & accurate usque ad hanc diem infra scriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *regalo*, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessat censura.

45. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice aut privatim tractaverit nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

FE-

FERIA QUINTA,

DIE UNDECIMA MARTII,

Anno 1679.

In Generali Congregatione S. Romanæ & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctiss. D. N. D. INNOCENTIO divina Providentia Papa XI. *ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SANCTISSIMUS D. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi a DEO creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, Idem Sanctissimus D. N. re postea mature considerata statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari; & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in Testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare fine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inhoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furtum, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est

est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent*, Concilium, vel primo videtur per hoc *Digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit *Digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illi semel Mysteria credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis,

prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Richardus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

DECRETUM.

FERIA QUINTA

DIE VIGESIMAQUARTA Augusti 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D.N.D. ALEXANDRO *divina Providentia* Papa VIII. *ac Eminentissimis, & reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SAnctissimus D. N. ALEXANDFR Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere; Et cum sui Pastoralis Officii munus sit Oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries re mature discussa infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

2. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plene, & mature consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit hæreticam: & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expressis; Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque Conditionis, Dignitatis, ac Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim, seu Propositionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

DE-

DECRETUM.

FERIA QUINTA

DIE VIGESIMAQUARTA
Augusti 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. ALEXANDRO *divina Providentia* Papa VIII. *ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SAnctissimus D. N. ALEXANDER divina Provihentia Papa VIII. prædictus: Pro pastorali curia Ovium a Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ videlicet.

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, *A gratia sufficienti Libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; & etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei, propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei ad ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas con-

firmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit Purificatione, quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris &c.* prætermissis illis: *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus mature consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respective esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas sua super hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

OPUS-

OPUSCULUM
DE PECCATIS,
Quæ fiunt per ignorantiam,

In Quæst. 76. primæ secundæ

D. THOMÆ AQUINATIS

Studiosæ Juventuti expositum;

IN QVO

Tres regulæ Moralis Christianæ valde utiles statuuntur, ex doctrina Sancti Augustini depromptæ.

OPUSCULUM

De peccatis, quæ fiunt per ignorantiam.



Oncilium Toletanum relatum in Decret. dist. 38. cap. 2. inter alia docuit de ignorantia, quod *est mater cunctorum errorum*. Inter alios autem, & innumeros errores, quos tenebrosa ista mater in lucem publicam edidit ad mundi totius perniciem, & ad suam turpitudinem occultandam, suorumque filiorum, errorum videlicet, fuit illud Pelagianæ sectæ paradoxum, quo se suosque partus immunes finxit ab omni noxa; nefarium illud dogma, damnatum in Synodo Diospolitana, veluti principium statuendo: *Oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*, uti apud Augustinum legere est, libro de Gestis Pelagii cap. 18. Ex hoc fonte, seu potius stygia lacuna, profluxisse videtur principium illud scholæ Probabilisticæ fundamentum, & basis, quo ad totius Moralis Christianæ corruptionem, statuitur, & adhuc iratis superis propugnatur; Peccatum revera committi nullatenus posse, neque ad pœnam æternam imputari, nisi in antecessum menti præfulgeat aliqua Divina illustratio, sive conscientiæ remorsus, repræsentans homini peccati turpitudinem, & Summi Numinis offensam. Ad hujus igitur erroris eversionem aliqua reponam, deprompta ex inconcussa doctrina D. Augustini, & D. Dhomæ, quibus si Lector præjudiciis expoliatus sincero veritatis amore attendere velit, tam perniciosi sistematis falsitatem in propatulo positam exhorrescet, detestabitur, & ignorantiæ quaquaversum offusas tenebras, inter quas innumera peccata veluti monstra delitescunt, fugiens, luce veritatis gaudebit se ab erroribus erutum, & gratias referet Deo, *qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum*. 1. Petr. 2.

CAPUT PRIMUM.

Utrum ignorantia possit esse causa peccati.

SAnctus Augustinus in lib. de nat. & gr. cap. 63. & lib. 3. de Libero Arb. c. 18. dicit, quod *Quidam per ignorantiam peccant*. Ergo ignorantia potest esse causa peccati. Ad cujus veritatis evidentiam

Sciendum I. Quod secundum Philosophum in 8. Physic. tex. 17. causa movens est duplex, una per se, & alia per accidens. Per se quidem est, quæ propria virtute movet, sicut generans est causa movens gravia, & levia. Per accidens autem, sicut removens prohibens, vel sicut ipsa remotio prohibentis. Considerandum est autem, quod ratio secundum duplicem scientiam est humanorum actuum directiva, scilicet secundum scientiam universalem, & particularem. Conferens enim de agendis utitur quodam syllogismo, cujus conclusio est judicium, seu electio, vel operatio: actiones autem in singularibus sunt, unde conclusio syllogismi operativi est singularis. Singularis autem propositio non concluditur ex universali, nisi mediante aliqua propositione singulari: sicut homo prohibetur ab actu parricidii per hoc, quod scit patrem non esse occidendum, & per hoc, quod scit hunc esse patrem. Utriusque ergo ignorantia potest causare parricidii actum, scilicet & universalis principii, quod est quædam regula rationis, & singularis circumstantiæ. Et hoc modo (scilicet per accidens, sicut remotio prohibentis) ignorantia potest esse causa actus peccati: est enim privatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati. Ita D. Thomas 1.2. quæst. 76. art. 1. in corp.

Sciendum II. Ex D. Thoma 1. 2. q. 75. art. 1. Quod peccatum non solum significat ipsam privationem boni, quæ est inordinatio: sed significat actum sub tali privatione, quæ habet rationem mali. Ex parte igitur actus potest habere per se causam,

sam, sicut & quilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet causam eo modo, quo privatio potest habere causam, scilicet agentem per accidens. Quod enim natum est inesse, & debet, nunquam abesset, nisi propter aliquam causam impedientem: & secundum hoc consuevit dici, quod malum, quod in quadam privatione consistit, habet causam deficientem, vel agentem per accidens: omnis autem causa per accidens reducitur ad causam per se. Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens, ex parte autem actus habeat causam agentem per se, sequitur quod inordinatio peccati consequatur ex ipsa causa actus. Sic igitur voluntas ignorantis, carens directione regulæ rationis, & legis divinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem; provenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. Sic igitur patet qualiter ignorantia potest esse causa per accidens peccati. Quapropter

Sciendum III. Ex D. Thoma 1.2.q.76. art. 1. ad 2. *Quod sicut scientia, quam tollit ignorantia, respicit peccatum ex parte conversionis: ita etiam ignorantia ex parte conversionis est causa peccati, ut removens prohibens*. Voluntas ergo ignorantis peccatum, carens directione regulæ, & legis divinæ, ratione ignorantiæ impedientis scientiam, sive considerationem, seu advertentiam regulæ, causat actum quidem peccati per se, convertendo affectum suum ad bonum commutabile, illudque directe intendendo, ex quo accipit speciem malitiæ ejus, secundum illud Oseæ c. 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*. Sed inordinationem actus contrariam virtuti, & aversionem a bono incommutabili consequentem dictam contrarietatem, in quibus consistit formale peccati, causat per accidens, & præter intentionem. *Malum enim est præter voluntatem*, sicut Dionysius dicit 4. cap. de Div. nom. & hoc est quod D. Augustinus dicit lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui nesciens peccavit, quia voluit fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit*. Ad cujus evidentiam

Sciendum IV. Ex D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 1. ad 3. *Quod in illud, quod est quoad omnia ignoratum, non potest ferri voluntas, sed si aliquid est secundum aliquid notum, & secundum aliquid ignotum, potest voluntas illud velle, & hoc modo ignorantia est causa peccati: sicut cum aliquis scit hunc, quem occidit, esse hominem, sed nescit eum esse patrem: vel cum aliquis scit, aliquem actum esse delectabilem, nescit tamen eum esse peccatum*. Unde colliges, quod de ratione peccati est, quod sit voluntarium ex parte conversionis ad objectum, non vero ex parte inordinationis, sicut dictum est. Dupliciter autem potest esse voluntarium ex parte conversionis, scilicet in se, aut in sua causa; seu directe & formaliter, vel indirecte aut virtualiter. Primo modo, qui peccat per ignorantiam juris, nesciens esse peccatum quod facit, directe fertur in objectum delectabile ignorans ejus malitiam, cognoscens tamen objectum sensibile ejusque delectabilitatem. Secundo modo, qui peccat per ignorantiam facti, occidens hominem, quem nescit esse suum patrem, cognoscit homicidium, illudque directe intendit; indirecte autem, & virtualiter in homicidio vult parricidium, quod ignorat; in quantum dans operam rei illicitæ, a qua poterat & debebat abstinere, incidit in parricidium, quod proinde ei imputatur quasi ab ejus voluntate procedens; sicut submersio navis imputatur gubernatori, qui deficit a gubernando, cum posset, ac deberet attendere gubernationi, etiamsi submersionem navis non præviderit.

Sciendum V. Quod si objicias: Causa est, ad quam de necessitate sequitur aliud: sed quod est ex necessitate, non videtur esse peccatum, eo, quod omne peccatum est voluntarium: ergo peccatum non habet causam, ac per consequens ignorantia non causat peccatum, sed quod per ignorantiam, sive oblivionem fit, non est obnoxium peccato, quoniam non secundum voluntatem evenit, sed secundum necessitatem. Huic argumento, quod fuit basis erroris Pelagianorum, ita respondet D. Thomas

mas 1. 2. qu. 75. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod si illa definitio causæ universaliter debeat verificari, oportet, ut verificetur de causa sufficienti non impedita. Contingit enim aliquid esse causam sufficientem alterius, & tamen non ex necessitate sequitur effectus propter aliquod impedimentum supervenient: alioquin sequeretur quod omnia ex necessitate contingerent, ut patet in 6. Metaphys. tex. 5. Sic igitur, etsi peccatum habeat causam, non tamen sequitur, quod sit necessaria: quia effectus potest impediri.* Ignorantia ergo, aut oblivio, in tantum potest esse causa peccati, in quantum potest a voluntate impediri, seu vinci per scientiam oppositam: Si autem invincibilis sit, non posset causare peccatum, sed excusaret quantum est de se, quia causaret involuntarium simpliciter; induceret enim necessitatem moralem. Quapropter proscripta fuit ab Alexan. VIII. anno 1690. inter alias ordine 2. prop. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Unde

Sciendum VI. Ex D. Thoma 1. 2. q. 76. art. 1. *Quod non qualibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantum quæ tollit scientiam probibentem actum peccati. Unde si voluntas alicujus esset sic disposita, quod non probiberetur ab actu parricidii, etiamsi patrem agnosceret, ignorantia patris non est huic causa peccati: sed concomitanter se habet ad peccatum: & ideo talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans, secundum Philosophum in 3. Ethic. cap. 1.* Unde idem S. Doctor, vere Angelicus, sensum verborum efficaciter penetrans, dixit in expositionem super Epistolam ad Timotheum primam c. 1. lect. 3. Quia ignorans feci &c. *Paulus fecit per ignorantiam, quia si scivisset, quod Christus esset filius Dei, hoc non fecisset. Sed Judæi per ignorantiam non occiderunt Christum, sed ignoranter; quia si scivissent ipsum esse Christum, libentius occidissent eum;* sicut credens se interficere feram, occidit inimicum suum, quem tamen occidisset etiam libentius, si novisset eum. Similiter, qui ex habitu pravo blasphemat, non advertens se blasphemare, non blasphemat propter ignorantiam, sed ignoranter, quia etiamsi adverteret, adhuc libentius blasphemaret.

Sciendum VII. Quod si quis objiciat; Si ignorantia posset esse causa peccati, aut esset quid bonum, aut malum: non autem bonum, quia bonum non facit, nisi bonum; *Non enim potest arbor bona fructus malos facere*, ut dicitur Matth. 7. Similiter autem nec malum, quia malum pœnæ sequitur ad peccatum: malum autem culpæ est idem quod peccatum: peccatum igitur non potest ex ignorantia causari, saltem si sit primum. Huic argumento respondet D. Thomas 1. 2. quæst. 75. ar. 1. ad 3. *Dicendum, quod sicut dictum est, voluntas sine adhibitione regulæ rationis, vel legis divinæ, secundum se non habet rationem mali, nec pœnæ, nec culpæ, antequam applicetur ad actum: unde secundum hoc peccati primi non est causa malum, sed bonum aliquod cum absentia alicujus alterius boni*, idest, voluntas de se defectibilis cum carentia scientiæ debitæ, seu considerationis regulæ, quæ inconsideratio de se malum non est, quia Anima non potest nec tenetur attendere ad hujusmodi regulam semper in actu: sed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quod sine actuali consideratione regulæ procedit ad electionem. Inconsideratio ergo regulæ in agendo peccatum est, & principium intrinsecum motus voluntarii inordinati, ratione negligentiæ in voluntate, procedente sine directione regulæ ad actum, ut explicat S. Thomas quæst. 1. de malo art. 3.

CAPUT II.

Ex dictis statuitur prima regula Moralis Christianæ.

Concludendum est ex dictis pro regula Moralis Christianæ, quod peccari reipsa potest, peccatumque ad pœnam æternam imputari, tametsi nulla menti illustratio in antecessum affulgeat, quæ ejus deformitatem ostendat, nullaque superna excitatione pulsetur humana voluntas, uti Probabilistæ necessarium esse contendunt ad peccati imputabilitatem. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod ita plane statuisse videtur

detur Palæſtinæ Eccleſiæ Præſules in Synodo Dioſpolitana, dum nefarium illud Pelagianæ ſectæ paradoxum anathemate petierunt: *Oblivionem, & Ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem;* uti apud D. Auguſtinum legere eſt, libro de geſtis Pelagii cap. 18. Satis enim voluntatis ineſſe ſignificarunt peccatis illis, quæ mente per oblivionem, & ignorantiam cœca a nonnullis admittuntur, ut eis ad culpam imputari reipſa poſſint. Etſi enim non in peccatum facti, at certe in factum peccati voluntate propria, ac libera feruntur. Itaquoque pronunciarunt Præſules Gallicani, & Pariſienſis Academiæ Theologi, dum hanc propoſitionem ex Jeſuita Baunio petitam, uti falſam, & viam ad excuſandas excuſationes in peccatis aperientem, concordi conſilio proſcripſere anno 1641. *Nunquam peccatur, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio æſtimuletur.* Cui Cenſuræ calculum adjecit Academia Lovanienſis anno 1657. dum inter alias hanc aſſertionem confixit, ut communia Chriſtianæ Theologiæ principia concutientem: *Ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine, qui noſcit, & percipit, quid boni malive in ea ſit: & antequam id videat, & animum reflectat, actio neque bona eſt, neque mala.*

Sciendum II. Quod ita demum edixit Alexander VIII. Pontifex Maximus anno 1690. die 24. Auguſti, dum errorem peccati Philoſophici, publica bonorum omnium indignatione prædamnatum, extremo Apoſtolicæ auctoritatis telo confixit; diriſque devovit quotquot ſcandaloſam hanc, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam aſſertionem docerent, atque defenderent: *Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale eſt trangreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Nemo quippe eſt qui non videat: errorem hunc ab Alexandro proſcriptum, eo principio veluti cardine niti, quo largi illi ac liberales gratiarum ſufficientium largitores fabulantur, nullum reipſa veri nominis peccatum admitti, nullamque Dei offenſam inferri, æterna pœna plectendam, niſi prævia illuſtratione animus perfundatur, internaque excitatione pulletur humana voluntas. Quidni ergo malam arborem eodem cum fructibus telo petitam aſſeramus?

Sciendum III. Quod neque iis judiciis Eccleſiæ opus erat, ut ſuam ipſi ceſpitationem agnoſcerent, quam tot ſacrarum Scripturarum oraculis occupatam noviſſent facile, ſi vel obiter animos intendiſſent. Numquid enim impii Satellites ac Judæi, qui Chriſtum Cruci ſuffixerunt, peccati rei cenſendi non erunt, qui tantum abeſt, ut admiſſi ſceleris ac Deicidii gravitatem attenderent, ut contra potius juſtitiam ſe adimplere arbitrarentur, Chriſtumque uti ſeductorem haberent: quippe qui *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, ut dicitur 1. Corinth. 2. Fruſtra ergo pro illis Chriſtum oraſſe credendum eſt Luc. 23. *Pater dimitte illis, quia non ſciunt quid faciunt.* Nihil enim ignoſcendum fuiſſet illis a Patre cœleſti, in quibus ignorantia peccatum ex toto purgaſſet. Numquid Apoſtolorum perſecutores nulla pœna digni putandi erunt, qui a penſanda delicti gravitate adeo procul erant, ut potius hac ipſa perſecutione obſequium ſe Deo præſtare arbitrarentur, juxta Oraculum Chriſti Joan. 16. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Atheos demum omnes, Paganos, Infideles, in deſideria cordis traditos, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienatos a vita Dei per ignorantiam, ut teſtatur Apoſtolus ad Epheſ. 4. integra venia dignos æſtimare par erit? Felicior itaque eorum conditio cenſebitur, quam fidelium, & cœcitas ſceleſtiſſimis peccatoribus lucro erit, quæ illos a peccatis abſolvet, magnaque Divinæ gratiæ pars reputabitur ignoratio Divinitatis?

Sciendum IV. Quod ut ab iis ſcripturarum laqueis ſe abſolvant Adverſarii, fruſtra reponunt; peccatores excœcatos licet, & obduratos, iis illuſtrationibus, & excitationibus cœlitus immiſſis continuo perfundi;

fundi;

fundi; sed eas minus attendere. Illud quippe figmentum ex instituto refellit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Gratia & libero Arbitrio cap. 6. *Dicunt aliqui, Deum quidem perpetuo pulsare ostium cordis, & peccatores vocare, sed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem. Sed hæc responsio cum ipso experimento apertissime pugnat. Nam cum vocatio, pulsus tactus excitatio illa Dei sit actio nostra, quamvis non libera, nimirum bona cogitatio bonumque desiderium repente, ac divinitus immissum; quomodo potest fieri, ut non sentiatur a nobis, si sit non solum in nobis, sed etiam a nobis?* Quamquam, etsi daremus, pias illas excitationes, & illustrationes singulis peccatoribus cœlitus immitti, quas tamen illi minus adverterent, totum id in idem redditet. Essent illæ prorsus inutiles, nec peccatores excitarent, nec implendi officii admonerent, nec offensæ gravitatem ostenderent. Uti enim somno correptus voce minus percepta non excitatur, ita qui sceleribus obduruit, inspiratione minus percepta excitari haud potis est. Atque idcirco peccati reus esset (quod hic demonstrandum aggredimur) tametsi delicti gravitatem infusa desuper luce minus norit, atque percipiat.

Sciendum v. Quod si vis alia ejusdem inepti systematis consectaria, audi quæ Apostoli simul, & Augustini doctrinam de Lege, & Gratia concutiant. Ii quippe millies decernunt, Litteram sine Spiritu occidere; Legem sine gratia facere magis reos; legem apud eos, quos non adjuvat gratia, virtutem esse peccati; Legem demum mortem illis contulisse, quos Dei gratia non liberavit. Verum qui neminem peccare contendunt, nisi gratiam interioris illustrationis atque excitationis acceperit, mutant quadrata rotundis: nempe principii loco ponunt, Legem sine gratia reos facere non posse, sed cum gratia sufficiente sæpius facere: Legem sine gratia occidere neminem; accedente nihilominus gratia occidendi vim obtinere: Legem iis, quos gratia non adjuvat, mortem inferre non posse; sed mortis inferendæ virtutem gratiæ sufficientis opitulatione sortiri. Quid tandem? Christum pro impiis mortuum scribit Apostolus, ut a peccato liberarentur; isti Christum pro impiis mortuum statuunt, ut gratiam illis promereretur, sine qua peccare non possent, & qua accepta pro libito suæ malitiæ peccaturi essent. Nihil liberum arbitrium, nisi ad peccandum valere pronunciat Augustinus lib. de Spir. & Litt. cap. 3. si lateat veritatis via; isti nihil ad peccandum valere docent, si veritas lateat.

Sciendum vi. Quod ab iis, qui ita sentiunt, scire velim, an ipsi de se ipsis spondere audeant, nullum unquam sibi subrepsisse peccatum, per improvisas offensiones, per tacitas libidinis illecebras, per occultas sensuum insidias, per linguæ intemperantiam, per subitos æstus, per ignorantiam, per errorem; quin præcesserit in animo per piam cogitationem admissi peccati cognitio, infirmitatis suæ notitia, excitatio ad orandum, pium denique desiderium a peccato retrahens. Id si velint, quid causæ est, ut ad Deum assidue justi clament: *Ab occultis meis munda me, Domine?* Quid causæ erit, ut ita Dominum deprecentur *Ignorantias meas ne memineris*, si nullum unquam peccatum occulte sese in animum insinuaret, nullaque per ignorantiam, aut incogitantiam culpa posset admitti? Cur vigilarent adversus diaboli insidias, si reipsa peccare non possent, quin prius illa pervigili cogitatione excitarentur? Rem longe aliter statuit Augustinus lib. de Spir. & Litt. cap. 36. peccatique cognitionem persæpe deesse significat, dum peccatur. *In multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus; & postea per scripturam ejus, sine certa, & perspicua ratione commoti, cum didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo precamur, ut ignoscat. Plena humana vita est talibus documentis.* Quanto minus igitur licentiores homines iis motibus excitari putandi erunt, a quorum mentibus Deus abest, quique omni vitiorum cœno demersi sunt?

Sciendum vii. Quod nihil itaque tam absonum, quam interioris Inspirationis gratiam, peccatis admittendis aut certe imputandis necessariam comminisci: quasi hæc minus libera censerentur, quæ nulla præfulgente illustratione, nulla stimulante superna

perna excitatione perpetrantur. An non enim libera putanda sunt, quæ a volentibus admittuntur, immo etiam quia volunt? Totum id luculentissima ratione confirmat D. August. lib. 1. Retract. cap. 18. Peccatum admitti asserens sola voluntate facti, nulla licet accedente voluntate peccati: hoc est, peccati reum illum esse, qui rem jure vetitam agit, tametsi vetitam nesciat, nullaque perpetrandi peccati intentione feratur. *Nam & quod nesciens peccavit* (inquit S. Doctor) *non incongruenter nollens peccasse dici potest; quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique, sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim si noluisset non fecisset, non coacta est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum est quod fecit. Ita nec peccatum sine voluntate esse potuit; sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit. Hoc enim factum est, quod fieri non debuit.*

Sciendum VIII. Quod hanc ipsam duplicis voluntatis distinctionem ab Augustino statutam, qua vel una Philosophici peccati infulsus error, ejusdemque ruinosum fundamentum suffoditur, suam facit ac probat Doctor Angelicus 2.2. qu. 76. art. 2. ad 2. Cum enim hoc sibi obviam fecisset argumentum: Stultitiam voluntariam non esse, atque ita peccatum esse non posse, ita reponit: *Dicendum, quod quamvis stultitiam nullus velit, vult tamen ea, ad quæ consequitur esse stultum, scilicet abstrahere sensum suum a spiritualibus, & immergere terrenis. Et idem etiam contingit in aliis peccatis: nam luxuriosus vult delectationem, sine qua non est peccatum, quamvis non simpliciter velit peccatum, vellet enim frui delectatione sine peccato.* Hoc idem confirmat 1. 2. qu. 74. art. 7. ad 2. ubi tantum abest, ut illum culpa vacare dicat, qui legem æternam, qua peccati gravitas, & Dei offensa dignosci potest, non attendit, ut potius in ipsa inconsiderationo legis æternæ initium peccati mortalis constituat: *Dicendum, quod ex hoc ipso, quod ratio superior non dirigit actus humanos secundum legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cum enim cogitat de lege Dei, actu eam contemnit: cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam. Unde omnibus modis consensus in actum peccati procedit ex superiori ratione, ut Augustinus dicit 12. de Trinit.* Quibus verbis statuta Moralis Christianæ regula mirum in modum confirmatur.

CAPUT III.

Utrum Ignorantia sit peccatum.

Nihil meretur pœnam, nisi peccatum: sed ignorantia meretur pœnam, secundum illud 1. ad Corinth. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*. Ergo ignorantia est peccatum. Ad cujus evidentiam

Sciendum 1. Ex D. Thoma 1.2. qu. 76. art. 2. Quod ignorantia in hoc a nescientia differt, quod nescientia dicit simplicem negationem scientiæ: unde, cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas: secundum quem modum Dionysius in Angelis nescientiam ponit 7. cap. Cœlest. Hier. Ignorantia vero importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire. Horum autem quædam aliquis scire tenetur, illa scilicet, sine quorum scientia non potest debitum actum exercere. Unde omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, & universalia juris (scilicet naturalis præcepta: singuli autem ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant. Quædam vero sunt, quæ etsi aliquis natus est scire, non tamen ea scire tenetur, sicut theoremata geometriæ, & contingentia particularia, nisi in casu. Manifestum est autem, quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis; Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum: non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest, unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio

supe-

ſuperari non poteſt : & propter hoc talis ignorantia , cum non ſit voluntaria , eo, quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum.

Sciendum II. Ex eodem S. Doctore. Quod ex hoc patet , quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum : ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur; non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur. Neque dicas: Peccatum eſt dictum , vel factum, vel concupitum contra legem Dei , uti docet Divus Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum cap. 27. Sed ignorantia non importat aliquem actum neque interiorem , neque exteriorem . Ergo ignorantia non eſt peccatum . Ad hoc enim reſpondet Divus Thomas in citat. articul. ad 1. *Dicendum , quod in hoc , quod dicitur dictum , vel factum , vel concupitum , ſunt intelligendæ etiam negationes oppoſitæ , ſecundum quod omiſſio habet rationem peccati : & ita negligentia , ſecundum quam ignorantia eſt peccatum , continetur ſub prædicta definitione peccati , in quantum prætermittitur aliquid , quod debuit dici, vel fieri , vel concupiſci ad ſcientiam debitam acquirendam* ; puta , in quantum aliquis prætermittit in dubiis circa agenda petere conſilium a peritis , ſeu ſapientibus : vel ſtudio operam dare ſecundum poſſe , & pro poſſe : vel non concupiſcit ſincero amore veritatis notitiam ejus, ſed contentus eſt de ſola probabilitatis apparentia, quæ taliter qualiter ea , quæ cupiditati carnis placent, cohoneſtet.

Sciendum III. Quod majorem difficultatem habet id, quod alii objiciunt , hoc eſt : Peccatum directius opponitur gratiæ, quam ſcientiæ : ſed privatio gratiæ non eſt peccatnm , ſed magis pœna quædam conſequens peccatum . Ergo ignorantia , quæ eſt privatio ſcientiæ , non eſt peccatum. Sed huic difficultati occurrit Divus Thomas in citat. articul. ad 2. ſic : *Dicendum , quod privatio gratiæ , etſi ſecundum ſe non ſit peccatum , tamen ratione negligentiæ præparandi ſe ad gratiam , poteſt habere rationem peccati , ſicut & ignorantia : & tamen quantum ad hoc eſt diſſimile , quia homo poteſt aliquam ſcientiam acquirere per ſuos actus : gratia vero non acquiritur ex noſtris actibus , ſed ex Dei munere*. Quaſi dicat Sanctus Doctor : Etſi homo ex viribus naturæ non poſſit ſe diſponere ad acquirendam gratiam , tamen quia ex negligentia ſua poteſt ponere impedimentum inſufioni gratiæ , ratione talis negligentiæ juſte in pœnam privatur auxilio gratiæ , quo potis ſit ſe diſponere ad juſtificationem ; immo ipſa privatio gratiæ ex tali negligentia accipit rationem culpæ. Quanto ergo magis , ratione negligentiæ erit peccatum ignorantia rerum illarum , quarum ſcientiam homo poteſt ex viribus ſuæ naturæ, & tenetur acquirere, ut eſt ſcienria illarum veritatum , quæ tanquam concluſiones in jure naturali continentur? Unde in Pſalm. 4. dicitur: *Multi dicunt* (ad excuſationem ſcilicet ſuæ ignorantiæ) *Quis oſtendit nobis bona ?* Quibus reſpondetur : *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. Id eſt , lumen rationis , in quantum eſt lumen a vultu tuo derivatum , in tantum poteſt oſtendere nobis bona , & regulare voluntatem ne erret in eligendo pro bono , quod malum eſt.

Sciendum IV. Ignorantia ergo juris naturæ vincibilis eſt, cum ſit earum rerum, quas unuſquiſque ſcire tenetur, ut rectum actum exerceat , non poteſt excuſare totaliter a peccato. Neque dicas, quod ratio hominis per peccatum originale deſtituta eſt a recto ordine ad verum , quæ rectitudo ad prudentiam pertinet, quæ eſt recta ratio agibilium : unde ignorantia vocatur vulnus naturæ rationalis a peccato originali inflictum . Hoc enim ſolum probat, quod ratio practica hominis per peccatum originale amiſerit rectitudinem ordinis ad verum judicandum ſecundum appetitum rectum , non autem quod amiſerit ordinem ad verum judicandum ſecundum appetitum : quod amiſerit ſufficientiam poteſtatis, non quod amiſerit poteſtatem naturalem rationis : quod ratio hominis practica ſit vulnerata , non extincta ; quod evaſerit debilis , & infirma , non quod ſit mortua: quod ejus poteſtas ſit compedita, non quod non exiſtat. Poſſunt autem hæc impedimenta multiplicari in infinitum per appoſitionem , vi peccatorum actua-

actualium, ſed non poteſt aliquid ſubtrahi de ſubſtantia Rationis; ſecundum quod Auguſtinus dicit in ſecundo Confeſſionum cap. 4. *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec ulla unquam delet iniquitas*. Sed lex ſcripta in cordibus hominum eſt lex naturalis. Ergo lex naturalis deleri non poteſt. Addiderim ad probationis cumulum, quod dicta impedimenta ſuperari poſſunt ab homine adjutorio gratiæ, quod ſufficit, ut ignorantia juris naturæ ſit abſolute vincibilis; quod enim per alios poſſumus, abſolute poſſumus.

Sciendum v. Quod præſenti inſtituto congruit quod habet Doctor Angelicus 2. 2. quæſt. 2. articul. 2. ubi neceſſitatem fidei probaturus, hanc ſibi in oppoſitum objectionem proponit. *Nullus tenetur ad id, quod in ejus poteſtate non eſt: ſed credere aliquid explicite non eſt in hominis poteſtate, quia ad hoc indiget Divino gratiæ auxilio, quod in ſua poteſtate non habet: ergo credere aliquid explicite homo non tenetur*. Cui ſolvendæ nihil accommodatius occurreret, quam quod obtendunt Probabiliſtæ, Gratiam ſcilicet ſufficientem ſingulis præſto eſſe, atque idcirco peccatis adſtringi, quorum vitandorum potentiam elargitur, non autem eis imputari peccata, quorum nec notitia, nec remorſus animum monet officii. At longe aliter Angelico Magiſtro viſum eſt, cui una ſapit Auguſtini regula jam a nobis expoſita cap. ant. *Dicendum* (inquit) *quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo gratiæ auxilio, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulis fidei: ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericordia datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit libro de correptione & gratia*. Judicat quippe S. Doctor ſatis eſſe, quod ignorantia ſit vincibilis auxilio gratiæ, ad hoc ut homo abſolute poſſit, & teneatur eam vincere; & quod culpa propria impedimentum poſuerit illuſtrationi gratiæ, ut revera peccatum ſit ſimul, & pœna peccati.

Sciendum vi. Ad confirmationem traditæ doctrinæ, quod Sanctus Thomas in præſenti articul. 2. ſibi obviam facit hoc argumentum, quo Probabiliſtæ probare nituntur, quod effectus conſequentes peccatum non ſunt revera peccata: *Si ignorantia eſt peccatum, hoc non eſt, niſi in quantum eſt voluntaria: ſed ſi ignorantia ſit peccatum in quantum eſt voluntaria, videtur peccatum in ipſo actu voluntatis conſiſtere magis, quam in ignorantia: ergo ignorantia non erit peccatum, ſed magis conſequens ad peccatum*. Cui argumento reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod ſicut in peccato tranſgreſſionis peccatum non conſiſtit in ſolo actu voluntatis, ſed etiam in actu volito, qui eſt imperatus a voluntate: ita in peccato omiſſionis non ſolum actus voluntatis eſt peccatum, ſed etiam ipſa omiſſio, in quantum eſt aliqualiter voluntaria; & hoc modo ipſa negligentia ſciendi: vel etiam ipſa inconſideratio eſt peccatum*. Diſcant ergo Probabiliſtæ, quod quidquid a voluntate procedit, ſive directe ſive indirecte, ſive immediate ſive mediate; ſive in ſe ſive in ſua cauſa, peccatum eſt. Ita eſt in caſu: Negligentia ad voluntatem pertinet, inconſideratio vero aut ignorantia ad rationem; & utraque omiſſio eſt, a voluntate indirecte procedens, tanquam a principio libere nolente agere, & cogitare: ſed negligentia immediate a voluntate procedit, inconſideratio vero aut ignorantia mediante negligentia: & per conſequens utraque peccatum eſt, ſed negligentia ratione ſui, inconſideratio vero aut ignorantia ratione cauſæ ſeu negligentiæ.

Sciendum vii. Quod neque valet id, quod reponunt Adverſarii; videlicet: *Omne peccatum per pœnitentiam tollitur, nec aliquod peccatum tranſiens reatu remanet actu, niſi ſolum originale: ignorantia autem non tollitur per pœnitentiam, ſed adhuc remanet actu, omni reatu per pœnitentiam remoto. Ergo ignorantia non eſt peccatum, niſi forte ſit originale*. Falſa eſt enim major propoſitio quoad ſecundam partem; Omne enim peccatum tranſiens reatu per pœnitentiam, remanet actu ſicut ori-

originale, quantum ad pravas dispositiones, quæ vocantur reliquiæ peccati. Quare dicendum est ex Div. Thoma in præsenti art. ad 4. *Quod licet transeunte reatu per pœnitentiam, remaneat ignorantia, secundum quod est privatio scientiæ, non tamen remanet negligentia, secundum quam ignorantia peccatum dicitur*. Ignorantia ergo peccatum est, in quantum est voluntaria; & ideo remoto voluntario per pœnitentiam, remanet quidem ignorantia, sed non remanet ignorantiæ peccatum'. Explicat hoc D. Thomas in qu. 1. de Malo art. 3. *Hoc ipsum quod est non attendere actu ad talem regulam in se consideratam*, (scilicet Rationem, & legem) *non est malum, nec culpa, nec pœna: quia anima non tenetur, nec potest attendere ad hujusmodi regulam semper in actu: sed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quod sine actuali consideratione regulæ procedit ad hujusmodi electionem. Sicut Artifex non peccat in eo quod non semper tenet mensuram, sed ex hoc quod non tenens mensuram procedit ad incidendum*.

Sciendum VIII. Quod ex tradita Doctrina manifestum fit, quod licet continue maneat ignorantia in ignorante, non tamen sequitur quod continue peccet; sed solum quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenetur, aut attendendi actu ad regulam operationis humanæ. Rationem hujus assignat D. Thomas hic in responsione ad quintum argumentum: *Dicendum, quod sicut in aliis peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat, ita est etiam de peccato ignorantiæ. Non enim continue ignorans actu peccat, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenetur*. Exempla hujus habes in promptu: Si quis dubitans, an aliquod sit licitum, procedit ad actum non se prius certificans de ejus honestate: si quis cum possit inquirere a perito, non curat, sed inquirit ab imperito: Si quis relicto consilio viri prudentis, & Deum timentis, utitur consilio hominis dissoluti, aut loquentis solum, & suadentis placentia. Hi omnes laborant ignorantia vincibili, & in ipsa ignorantia graviter peccant, dum sic ignorantes procedunt ad actum, cum se periculo semper exponant violandi legem. Quibus dicendum est illud Divi Thomæ Quodl. 3. art. 10. *In rebus dubiis non est de facili præstandus assensus*; aut illud Scoti in Prologo lib. sent. *Multa in hac vita sunt dubia, sed non est dubia via salutis; habemus enim regulam certam in dubiis tenendam: Tene certum, dimitte incertum*.

CAPUT IV.

Ex dictis statuitur altera regula Moralis Christianæ.

Altera regula Moralis Christianæ statuitur ex dictis in cap. ant. qua Probabilistici systematis fundamentum evertitur: Non potest dari ignorantia invincibilis juris naturæ; ac per consequens peccans contra jus naturæ, nesciens peccatum esse quod facit, non excusatur a peccato formali, sed ipsa ejus ignorantia peccatum est, & causa peccati. Hanc regulam docuerunt omnes antiqui Theologi tamquam indubitatam in Ecclesia, & ex traditione Patrum acceptam, ut fatetur ipse Vasquez in 1. 2. disp. 122. cap. 1. Ad hujus igitur regulæ evidentiam ac confirmationem

Sciendum I. Quod sicut docet Divus Thomas 1. 2. quæst. 94. art. 6. *Ad legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: secundario autem quædam secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum est*, videlicet 1. 2. quæst. 77. art. 2. Ibi Sanctus Doctor dicit, quod passio impedire potest rationem a consideratione ejus, quod scit in universali, triplici modo. Primo quidem per quandam distractionem, unde oritur quod non advertat esse malum quod fit, juxta quod dicitur Jacobi 1. *Unusquisque*

tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus. Secundo per contrarietatem, quia plerumque passio inclinat ad judicandum in particulari esse bonum, quod in universali, & in habitu scit esse malum; unde oritur ignorantia malæ electionis, secundum quod dicitur Proverb. 14. *Errant, qui operantur malum*. Tertio per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat reprimendo passionis impetum; secundum illum Apostol. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Sed isti non peccant ex ignorantia juris, quod sciunt in universali, sed ex passione obcæcante, quæ non excusat a peccato, cum sit voluntaria. Unde dicitur Jacobi 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*.

Sciendum est II. Ex eodem Divo Thoma art. cit. *Quod quantum ad alia præcepta secundaria* (quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis) *potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias: vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam latrocinia non reputabantur peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit Rom.* 1. Unde patet, quod hujusmodi ignorantia juris naturæ non excusat a peccato operantes ex illa, cum talis ignorantia causata sit a propria iniquitate. Quod quidem manifestum est quando contracta est per pravas consuetudines, & habitus corruptos. Sed difficultas est, qualiter sit culpabilis quando contrahitur propter malas persuasiones Doctorum, erroneas opiniones insinuantium. Cui difficultati satisfacit Divus Thomas Quodl. 3. art. 10. dicens: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrii, Nestorii, & aliorum heresiarcharum*. Judicat ergo S. Doctor, quod talis ignorantia vincibilis est, & culpabilis, cujus rationem assignat, dum subdit: *Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur. In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus, quinimo ut Augustinus dicit in lib. 3. de Doctr. Christ. Consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit*. Contingit ergo in talibus error, propter indiscretam facilitatem in credendo, sive opinando, aut novitates sectando prurientes auribus, quæ a veritate auditum avertunt, ut inquit Apostolus 1. ad Timoth. 4. & propter negligentiam in scrutandis scripturis, & Ecclesiæ definitionibus; & ideo a peccato non excusatur. Ad cujus evidentiam

Sciendum III. Quod si ignorantia invincibilis dicatur ea, quæ superari non potest præsenti, & humana diligentia, secluso Dei auxilio gratuito, sic dari ignorantiam invincibilem juris naturæ circa præcepta secundaria in statu naturæ lapsæ, manifestum est; non quidem quia lumine naturali cognosci non possint, quantum est de se, sed per accidens propter impedientia, scilicet propter legem peccati, quæ est in membris nostris, & militat contra legem rationis, illamque captivat ad malum triplici illo modo supra explicato. Ab his tamen laqueis se expedire potis est auxilio Dei gratuito, quod præsto est omnibus quantum est ex parte Dei. Cujus rationem dat Apostolus 1. Tim. 2. *Vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Et ideo quantum est ex parte sui: *Illuminat omnem hominem*; uti dicitur Joan. 1. Quod autem plures homines effectum hujusmodi illustrationis supernæ in se non percipiant, ex culpa illorum provenit, qua impedimentum apponunt per inordinatam conversionem ad bonum commutabile; & ideo subditur: *Sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Joan. 3. Unde evenit, secundum quod scribit Apostolus ad Ephes. 4. quod *Ambulant in vanitate sensus sui, tenebris habentes obscuratum intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Quam ergo excusatio-

fationem habere possunt de peccatis suis? Nullam prorsus: & ideo Deus per Prophetam suum talibus dicit: *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ 13.

Sciendum IV. Quod neque ignorantia juris naturæ, qua creditur non esse peccatum quod reipsa tale est, potest taliter occultare peccatum, ut ejus malitiam essentialem homines obcæcati non videant, tametsi ejus contrarietatem ad legem prohibentem non agnoscant. Vident, & non vident: intelligunt quantum sat est ad rationem culpæ contrahendam, non intelligunt quantum sat est ad rationem peccati vitandam, juxta illud Isa. 6. *Excæca cor populi hujus, ne forte videat oculis suis, & corde suo intelligat, & convertatur.* Explicat hoc Card. Cajetanus 1. 2. quæst. 76. art. 4. Distinguit ipse duplicem ignorantiam, facti nimirum, & juris: rursumque duplicem ignorantiam juris, alteram scilicet positivi juris, eorum nempe, quæ cum secundum se mala non sint, positivo jure mala facta sunt; alterum eorum, quæ sunt secundum se mala, id est juris naturalis. Ac de postremo illo genere ita loquitur: *Incheando autem a peccatis, quæ sunt secundum se mala, & fiunt ex ignorantia juris, dicendum est, quod sunt peccata ejusdem speciei, cujus essent, si fierent a sciente. Et ratio est, quia sunt actus voluntarii in se ipsis per se, & directe, non solum materialiter, sed formaliter secundum conversionem ad objectum, quamvis secundum contrarietatem ad virtutem indirecte, & per accidens sint voluntarii. Gentiles namque nescientes simplicem fornicationem esse peccatum, consentiunt in cognitionem mulieris non suæ, unde sumitur fornicationis species, quamvis forte aliqui si scivissent esse peccatum, non fecissent.*

Sciendum V. Quod Cajetani mentem recte complexus eruditissimus Estius in lib. 2. dist. 22. art. 14. sic loquitur. *Ignorantia facti, si sit invincibilis, reddit actum prorsus involuntarium. Qui enim interficit amicum volens interficere bestiam, nullo modo vult hunc actum, qui est interficere amicum. Similiter ignorantia juris positivi reddit actum involuntarium quoad rationem peccati, nam qui eum facit, nescit esse prohibitum: non est autem hujusmodi actus peccatum, nisi quatenus probibitus est. Quare si ignorantia, qua ignorat esse prohibitum, sit prorsus involuntaria, erit & actus ille secundum rationem peccati prorsus involuntarius. At ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsus involuntarium, etiam qua ratione peccatum est; quia non facit ut malum prorsus ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri. Quamvis enim qui hac ignorantia laborat, ignoret hoc malum, quod agit sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum; noscit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter, & essentialiter tale genus competit. Exempli causa, qui mentitur officiose putans tale mendacium esse licitum, hic quidem nescit tale mendacium pertinere ad genus peccati, ideoque putat non esse peccatum, scit tamen se mentiri, & proinde actum, qui essentialiter malus est, voluntarie committit. Eadem ratio in fornicatione, usura, simonia, ac cæteris per se malis, id est, quæ non ideo mala sunt quia probibita; sed ideo probibita, atque illicita, quia mala sunt. Hæc videtur esse sententia Cajetani* 1. 2. *qu.* 76. *art.* 4.

Sciendum VI. Quod huc facit quod dicit Sanctus Augustinus lib. 1. Retr. cap. 15. *Qui nesciens peccavit, quia voluit fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Ad imputabilitatem quippe peccati non requiritur quod sit voluntarium voluntate peccati, sed sufficit quod sit voluntarium voluntate facti; alioquin nemo peccaret, nisi per formalem contemptum præcepti; quod adeo absonum est, & principiis Christianæ Theologiæ contrarium, ut propterea veluti error proscriptus sit anno 1665. ab Alexandro VII. in hac prop. 23. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.* Huc etiam facit quod Innocentius III. De Si-

monia cap. Per tuas, pronunciat eum Simoniacum, qui nesciebat id, quod egerat, simoniacum esse, non habita ratione ignorantiæ ejus. Nunc ex Doctrina a D. Augustino tradita, ab Estio & Cajetano explicata, & ab Innocentio Papa confirmata, hoc formo argumentum, quo vel uno, veluti admoto ariete, tota machina probabilistica funditus concussa ruit. Ignorantia in tantum potest excusare a peccato, in quantum causat involuntarium simpliciter: Sed ignorantia juris naturalis, qua creditur non esse peccatum quod reipsa est, non causat involuntarium simpliciter, uti ostensum est. Ergo non potest excusare a peccato.

Sciendum VII. Quod ejusmodi ignorantia juris naturæ non fieri actiones nostras prorsus involuntarias, contendunt non modo Augustinus, Estius, Cajetanus, sed ipse Aristoteles, qui cum per ignorantiam facta involuntariis annumeret, id se intelligere testatur de ignorantia circumstantiarum, non autem de ignorantia juris, quam contra in vitiosis, & facinorosis fere semper adesse confitetur lib. 3. Moral. cap. 1. *Quæ agenda, quæ fugienda sunt nullus improbus non ignorat, & hoc ipso vitio improbi, & injusti fiunt. Non igitur ideo quisque involuntarie agere dicitur, quia quod expediat nescit. Omnino enim illa ignorantia, qua quis eligit certum aliquod malum, non efficit, ut involuntaria sit actio, sed ut sit mala; quod idem de ea dici potest, qua quis præcepta bene vivendi generatim ignorat; talem enim ignorantiam vitio vertimus: quæ vero involuntarias facit actiones, ac venia, vel misericordia dignas, circa singulares rerum circumstantias versatur, & tunc proprie veniæ locus.* Itaque ne Philosophorum quidem auctoritate defendi potest Ignorantiæ a peccato excusantis dogma, quando agitur de jure naturali. Cæterum si ad Sanctos Patres, & definitiones Ecclesiæ attendamus, longe nobis a veritate alienius videri necesse est; hoc enim non tamquam falsum tantummodo, sed tamquam hæreticum proscribunt, uti supra in capit. 2. ostensum est.

Sciendum VIII. Quod statuenda itaque est cum Augustino hæc Regula; Cognitionem voluntatemque facti, sive ejus rei, quæ secundum se peccatum est, non vero cognitionem voluntatemque peccati, seu pravitatis actus ad peccatum imputandum requiri. Hac regula declinantur horrendæ illæ consecutiones, quas Probabilistæ deducunt ex statuta semel ignorantia invincibili juris naturalis, quæ a nobis indigitatæ fuerunt in cap. 2. Hac regula facile separantur peccata ignorantium jus naturale, ab ebriorum, amentiumque peccatis. Nam qui per ignorantiam juris naturalis hominem occidit, factum ipsum, quod intrinsece malum est, cognoscit, nempe interfectionem hominis privata auctoritate, licet pravitatem actus ignoret, aut non advertat; adeoque voluntarie, & ex intentione occidit. At ebrius, vel amens ignorat non modo peccatum, sed ipsum factum; & ea propter ejus factum proprie dictam peccati speciem non habet, id est, non est proprie dictum homicidium, sed tantum circumstantia quædam peccati ebrietatis, aut amentiæ voluntariæ. Eadem regula dilucescit, cur facta per juris naturalis ignorantiam nunquam excusentur, cum multa per ignorantiam juris positivi facta excusatione digna habeantur. Ignorantia enim juris naturalis non privat cognitione ipsius rei, quæ per se mala est, adeoque non efficit actionem involuntariam. At vero ignorantia juris positivi, cum tollat cognitionem ipsius juris, nihil relinquit in objecto, quod malum dici possit. Qui enim aliqua die præcepti jejunium nescit, & bis eo die ex illa ignorantia comedit, nihil aliud in mente habet, quam duplicem comestionem, quæ per se nihil habet pravitatis, unde fit, ut illius actus proprie dicta jejunii violatio dici non possit. Qua de re vide Cajetanum 1. 2. qu. 76. art. 4.

Sciendum IX. Quod traditæ regulæ Augustinianæ constanter adhærens Div. Thomas, passim docet, & sine ulla limitatione, quod ignorantia juris non excusat. Sed præcipue 1. 2. quæst. 6. 8. ubi inquit: *Ignorantia universalium juris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens.* Et

quæst.

quæst. 76. artic. 2. *Omnes tenentur scire communiter universalia juris præcepta*. Quæst. 1. de malo art. 3. Ea parte maxime principium peccati ponit, quod quis operi manum admovens, rationis regulam non advertat. Sed clarius id docet Quodl. 8. art. 13. judicium daturus circa quæstionem inter Doctores Catholicos controversam; an licitum sit habere plures præbendas; tamquam principium indubitatum præmittit: *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum: nec excusatur per hoc, quod fit secundum conscientiam*. Accipe aliud testimonium S. Doctoris ex Quodl. 9. art. 15. ubi ejusdem controversiæ decisionem aggrediens, inquit: *Respondeo dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto*. A quanto autem excuset, si forte excusat, notum esse potest soli Deo: *qui appendit corda*. Proverb. 2. *qui scrutatur Jerusalem in lucernis*. Soph. 1. qui etiam *in Angelis suis reperit pravitatem*. Job. 4.

CAPUT V.

Utrum ignorantia circumstantiæ particularis excuset ex toto a peccato.

Augustinus dicit in libr. 3. de Libero Arbitrio cap. 18. *Quædam per ignorantiam facta recte improbantur*. Sed solum illa recte improbantur, quæ sunt peccata: ergo quædam per ignorantiam facta sunt peccata: non ergo ignorantia facti, seu circumstantiæ particularis actus humani, semper omnino excusat a peccato. Ad cujus evidentiam

Sciendum 1. Ex Div. Thoma 1. 2. quæst. 76. art. 3. *Quod ignorantia de se habet, quod facit actum, quem causat, involuntarium esse. Jam autem dictum est, quod ignorantia dicitur causare actum, quem scientia opposita prohibebat, & ita talis actus, si scientia adesset, esset contrarius voluntati, quod importat nomen involuntarii: si vero scientia, qua per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipsum, ignorantia hujus scientiæ non facit hominem involuntarium, sed non volentem, ut dicitur in 3. Ethic. cap. 1. & talis ignorantia, quæ non est causa actus peccati, ut dictum est, quia non causat involuntarium, non excusat a peccato. Et eadem ratio est de quacumque ignorantia non causante, sed consequente, vel concomitante actum peccati*. Unde colliges, quod ignorantia consequens, aut concomitans actum peccati, per accidens concurrit cum actu peccati, vel illum consequitur: & quia non datur judicium de actu secundum ea, quæ sunt per accidens; ideo hujusmodi ignorantia nec excusat, nec accusat peccatum, sed impertinenter, & disparate se habet ad illius judicium, & relinquit actum judicari solum secundum ea, quæ per se illum afficiunt. Ex ea enim ignorantia actus nec involuntarius est, quia adhuc fieret scientia præsente: nec est voluntarius, cum faciat non volentem. Unde subdit Divus Thomas: *Sed ignorantia quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati*. Et ideo hæc sola ignorantia attendenda est in judicio peccati. Quapropter

Sciendum 11. Ex eodem Div. Thoma art. cit. Quod Ignorantia, quæ est causa peccati, licet ex se habeat quod excuset a peccato, quia causat involuntarium, tamen ex duobus potest contingere, quod aliquando non totaliter excuset a peccato. Uno modo ex parte ipsius rei ignoratæ: in tantum enim ignorantia excusat a peccato, in quantum ignoratur aliquid esse peccatum. Potest autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam, si sciret, retraheretur a peccando, sive illa circumstantia faciat ad rationem peccati, sive non; & tamen adhuc remanet in ejus scientia aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati, puta, si aliquis percutiens aliquem sciat quidem ipsum esse hominem, quod sufficit ad rationem peccati; non tamen scit eum esse patrem, quod est circumstantia constituens novam spe-

ciem peccati: vel forte neſcit, quod ille ſe defendens repercutiat eum, quod ſi ſciret, non percuteret, quod non pertinet ad rationem peccati: Unde licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excuſatur a peccato. Alio modo poteſt contingere ex parte ipſius ignorantiæ, quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria, vel directe, ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua ut liberius peccet: vel indirecte, ſicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntariam, & peccatum, dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt; & ideo talis ignorantia non totaliter excuſat a peccato. Si vero ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato.

Sciendum III. Ex tradita doctrina primo colligi poteſt, quod SS. Doctor in hoc articulo loquitur de ignorantia facti, quod peccatum eſt, & non fieret, niſi aliqua circumſtantia non præcogitata cauſam præberet. Secundo notat, quod ratio peccati contingit in facto, vel ex parte ſolius circumſtantiæ, ut cum quis credens occidere feram occidit caſualiter hominem: vel ex parte ſolius actus, ut cum quis percutiens hominem, neſciat, quod ille ſe defendens repercutiat eum, quod ſi ſciret non percuteret: vel ex parte tam actus, quam circumſtantiæ, ut cum quis percutiens aliquem, ſciat quidem ipſum eſſe hominem, quod ſufficit ad rationem peccati; non tamen ſcit eum eſſe patrem, quod eſt circumſtantia conſtituens novam ſpeciem peccati. Tertio Sanctus Doctor reſolvit, quod quando ratio peccati invenitur tam ex parte actus, quam ex parte circumſtantiæ, ut in tertio caſu, peccatum ex neutra parte excuſatur; non quidem ex parte actus, quia cognoſcitur, & voluntas directe fertur in ipſum ex intentione: nec ex parte circumſtantiæ, quia licet ex hac parte peccatum non cognoſcatur, & ideo ſecundum ſe ſit involuntarium ratione ignorantiæ; tamen voluntarium eſt in ſua cauſa, id eſt, in ipſo actu illicito, in quantum voluntas directe tendens in actum per intentionem, virtualiter intendit omne id, quod per ſe pertinet ad actum illum in ratione peccati. Quarto reſolvit, quod in ſecundo caſu, circumſtantia per accidens ſe habet ad rationem peccati, cui ſuperaddit ſolum in ratione pœnæ, de cujus ratione eſt, quod ſequatur peccatum contra voluntatem peccantis. In primo vero caſu peccatum non poteſt eſſe voluntarium ex parte actus in eo, qui dat operam rei licitæ, ſed ſolum ex parte ignorantis, in quantum ignorantia ejus voluntaria eſt.

Sciendum IV. Quod autem prædicta expoſitio ſit juxta mentem D. Thomæ, manifeſte colligitur ex Doctrina S. Doctoris 1. 2. quæſt. 73. art. 8. ubi inquirit, utrum gravitas peccati augeatur ſecundum majus nocumentum, & inter alia reſolvit, quantum ad propoſitum noſtrum, dicens: *Quandoque autem nocumentum nec eſt prævisum, nec intentum: & tunc ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directe, ſed propter negligentiam conſiderandi nocumenta, quæ conſequi poſſent, imputantur homini ad pœnam mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem, ſi dabat operam rei illicitæ .... Si vero nocumentum per ſe ſequatur ex actu peccati, licet non ſit intentum nec prævisum, directe peccatum aggravat, quia quæcumque per ſe conſequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipſam peccati ſpeciem, puta, ſi aliquis publice fornicetur, ſequitur ſcandalum plurimorum, quod quamvis ipſe non intendat, nec forte prævideat, directe per hoc aggravatur peccatum.* Et 1.2.q.20. art. 5. docet: *Si autem eventus ſequens non ſit præcogitatus, tunc diſtinguendum eſt, quia ſi per ſe ſequitur ex tali actu, & ut in pluribus, ſecundum hoc eventus ſequens addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Si vero per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus ſequens non addit ad bonitatem, vel malitiam actus.* In quæſtione vero 73. art. ſupra cit. ſubdit: *Aliter tamen videtur ſe habere circa nocumentum pœnale, quod incurrit ipſe, qui peccat. Hujuſmodi enim nocumentum pœnale, ſi per accidens ſe habeat ad actum pec-*

peccati, & non sit prævisum, non aggravat peccatum. Si vero per se consequatur ad actum peccati, tunc majus nocumentum non facit gravius peccatum, sed e converso gravius peccatum inducit majus nocumentum.

Sciendum v. Quod manifestius mentem suam explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 8. ubi inquirit: Utrum aliquis casualiter occidens hominem incurrat homicidii reatum. Cui dubio sic respondet. *Dicendum, quod secundum Philos. in 2. Physic. tex. 49. Casus est causa agens præter intentionem: & ideo ea, quæ casualia sunt, simplicet loquendo, non sunt intenta, neque voluntaria. Et quia omne peccatum est voluntarium, secundum Augustinum lib. de vera Religione cap. 14. consequens est, quod casualia, in quantum hujusmodi non sunt peccata. Contingit autem id, quod non est actu, & per se volitum, vel intentum, esse per accidens volitum, vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur removens prohibens. Unde ille, qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debebat removere, incurrit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam solicitudinem.* Si vero det operam rei licitæ adhibens debitam diligentiam, non incurrit homicidii reatum, si forte sequatur præter ejus intentionem. August. enim dicit ad Publicolam Epist. 154. *Absit, ut ea, quæ propter bonum, aut licitum facimus, siquidem propter hoc præter nostram voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur.* Habes ergo manifeste, quod id, quod fit per ignorantiam, licet in se sit involuntarium, potest tamen esse voluntarium in causa, vel quia per se sequitur ad actum illicitum, vel quia ignorantia ipsa voluntaria est; & per consequens quod ignorantia peccati in his duobus casibus non excuset totaliter a peccato ignorato. Quapropter

Sciendum vi. Quod toto cœlo aberrat Cajetanus in expositione hujus articuli, dum contra expressam Doctrinam D. Thomæ statuit hanc regulam, dicens: *Pro regula generali habendum est, quod ignorantia ex parte rei ignoratæ tantum, id est non ex parte ignorantis, id est non culpabilis; excusat totaliter a voluntario id, quod est proprius effectus ignorantiæ, sive det operam rei licitæ, sive illicitæ. Non enim in hoc differunt dantes operam rei licitæ sive illicitæ, sed in voluntate licitæ, & illicitæ rei cognitæ: unde quia conveniunt in causa involuntarii simpliciter, scilicet in ignorantia inculpabili, oportet quod conveniant in effectu per se ejus, scilicet in involuntario simpliciter.* Quis enim non videat, effectum, qui habet duplicem causam, posse ex una esse innoxium, ex altera vero culpabilem? effectus enim sequitur debiliorem partem: peccatum autem, quod fit ex ignorantia, ex parte ignorantis habet tanquam causam per accidens ipsam ignorantiam; ex parte vero rei ignoratæ habet causam per se, ipsum scilicet actum illicitum in eo, qui dat operam rei illicitæ; non autem in eo, qui dat operam rei licitæ; ex bono enim nonnisi bonum per se sequi potest, sicut ex malo nonnisi malum. Etsi ergo ex parte ignorantiæ æquales forte sint dans operam rei illicitæ, & dans operam rei licitæ; quia tamen differunt in causa per se ipsius peccati, id est in bono, & in malo, ideo differunt in excusando, vel non, ipso peccato. Nec refert quod addit Cajetanus, quod peccatum debet esse voluntarium, adeoque quantum habet de voluntario, tantum habet de ratione peccati; Non enim credo ipsum ignorare posse, quod peccatum secundum se involuntarium ratione ignorantiæ, posse in ipsa ignorantia esse volitum, si ignorantia culpabilis sit: ergo quanto magis potest virtualiter esse volitum in causa per se, etiam si non sit prævisum?

Sciendum vii. Quod Card. Cajetanus, 2. 2. q. 150. art. 4. quasi ipsa evidentia veritatis convictus, suam sententiam taliter modificat, quod intra terminos juris Thomistici eam reducit; dicit enim: *Reputatur prævisum peccatum, non solum si sit prævisum in sua specie, puta quia novit quis, se ebrium proximis detrahere; aut in suo genere, puta quia novit quis, se ebrium vitio linguæ irretiri, quamvis modo detractione, modo contumelia, modo blasphemia, modo irrisione, modo turpiloquio: sed etiam*

iam ſi ſit prævisum in communi, puta quia ſcit ſe ebrium in aliquo peccare, licet neſciat in quo genere tunc peccabit. Reputatur rurſus prævisum, non ſolum ſi ſit præcognitum, ſed ſi debuit eſſe prævisum præcogitando, puta quia expertus eſt ſuas inclinationes pronas, quanto magis bibit, quia alias in alienatione mentis, vel prope, incidit in peccatum. Æſtimatur autem non prævisum peccatum ex ebrietate, quando nullo modo prævisum eſt, prævidetique rationabiliter non potuit humano more. Jam vero quis putet, dantem operam rei illicitæ non poſſe rationabiliter prævidere ſaltem in communi effectus pravos, qui per ſe, & ut in pluribus ex peccato ſoboleſcere ſolent? Aut certe quis neget hos ab eo prævideri debuiſſe? In hoc ergo differt dans operam rei licitæ ab eo, qui dat operam rei illicitæ, quod ille non potuit, aut non debuit prævidere; iſte poteſt, ac debet: & ideo ignorantia illius culpabilis non eſt, iſtius vero culpa non caret: & per conſequens primus a peccato excuſatur, veluti ab involuntario tam in ſe, quam in cauſa: ſecundus vero non excuſatur, quia licet peccatum ejus, ex ignorantia factum, in ſe directe non ſit voluntarium, eſt tamen voluntarium in duplici cauſa, ſcilicet in ipſa ignorantia, & in actu illicito, a quo parturitur.

Sciendum VIII. Quod ſufficit itaque advertentia virtualis, ſeu poteſtas, & debitum advertendi, ad hoc ut peccatum voluntarium dicatur, & imputabile ſit ignoranti: ſicut ſubmerſio navis, quæ contingit ex abſentia gubernatoris, juſte ei attribuitur, etiam ſi actualiter illam non præviderit, quando poterat eam prævidere, & ejus gubernio attendere, cum ei commiſſa fuerit cuſtodia, & gubernatio navis. Neque dicas: *Id, quod aliquis facit præter intentionem, per accidens agit; ſed intentio non poteſt eſſe de eo, quod eſt ignotum. Ergo id, quod per ignorantiam homo agit, per accidens ſe habet in actibus humanis: ſed quod eſt per accidens non dat ſpeciem. Nihil ergo, quod eſt per ignorantiam factum, debet judicari peccatum, vel virtuoſum in humanis actibus.* Audi enim quid reponat huic argumento D. Thomas in præſenti art. *Ad ſecundum dicendum, quod in quantum remanet in ignorante de voluntario, in tantum remanet de intentione peccati, & ſecundum hoc non erit per accidens peccatum.* Certe qui ſciens, & volens eligit peccare, virtualiter eligit id, quod per ſe peccatum conſequitur, etiamſi de eo actualiter nihil cogitet, & per conſequens ex intentione peccati cogniti virtualiter fertur in ſequens peccatum, ad quod non advertit. Non enim neceſſe eſt, ut homo in ſuis actibus deliberatis ſemper in actu cogitet de fine; ſed ſufficit, quod ex intentione finis ſe moveat ad ſingulos actus, ut dicatur quod humano modo, ſeu voluntarie, & libere agat.

Sciendum IX. Quod traditam doctrinam confirmat Divus Thomas 1. 2. quæſt. 1. artic. 6. ad 3. *Dicendum, quod non oportet, ut ſemper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur; ſed virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de ultimo fine actu non cogitetur, ſicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet paſſu cogitet de fine.* Neque juvat, ſi ad hoc reponas: *Homo eſt ſubjectum virtutis, & peccati, in quantum eſt particeps rationis: ſed ignorantia excludit ſcientiam, per quam ratio perficitur. Ergo ignorantia totaliter excuſat a peccato.* Huic enim inſtantiæ ſic occurrit Divus Thomas in præſenti artic. *Ad tertium dicendum, quod, ſi eſſet talis ignorantia, quæ totaliter uſum rationis excluderet, omnino a peccato excuſaret, ſicut patet in furioſis, & amentibus: non autem ſemper ignorantia cauſans peccatum eſt talis, & ideo non ſemper totaliter excuſat a peccato.* Semper ergo quod in ignorante remanet cognitio peccati ex parte aliqua rei ignoratæ, ratio ſufficientem ſcientiam habet, per quam perficiatur, ut poſſit prudenter deliberare de ſuo actu, & prævidere, aut præmeditare pravas conſecutiones, quas afferre ſolet, vel poteſt peccatum; quas ſi non advertat actu, hoc ipſum vitio rationis vertitur, quia ſine debita præcautione, ac providentia, more pecudum ad objectum delectabile fertur

tur appetitu brutali, regulam legis æternæ non cogitans, adeoque negligens. Unde de operantibus hoc modo dicitur Proverb. 4. 19. *Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.*

C A P U T VI.

Ex dictis statuitur tertia regula Moralis Christianæ.

Tertia regula, seu Moralis Christianæ caput, unde Probabilistici systematis falsitatem apertius eruas, istud est ex antecedenti articulo Divi Thomæ deductum. A culpa non excusatur, qui implendi præcepti ignorantia, aut impotentia laborat, si in eam semetipsum sponte conjecerit, illamque propria iniquitate contraxerit. Ad cujus evidentiam

Sciendum I. Quod præsto est celeberrimus Augustini locus Libro de Corrept. & Grat. cap. 11. ubi de Auxilio sine quo non, videlicet sufficienti, ut recens Schola loquitur, prolixiorem sermonem institutus, illud Angelo, & homini primo ideo maxime collatum docet, quod alias sublato illo possibilitatis auxilio, sua culpa non cecidissent, cum nullam in eis culpam reperire esset, cujus merito negaretur: secus tamen in præsentia sentiendum decernit, cum in præcedentis peccati pœnam subtrahi possit. Explicatissima verba sunt: *Si autem hoc adjutorium, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset sine quo perseverare non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Sua itaque culpa cadunt quotquot in statu naturæ lapsæ possibilitatis auxilio, seu gratia sufficiente destituti, in nova scelera præcipites ruunt; quia nonnisi præcedentium delictorum merito gratia illa subtracta est.

Sciendum II. Quod accidit alter locus lib. de Perfect. Just. cap. 6. Augustinum hac argutia petierat Cœlestius, ut ejus responsa nonnulla in invidiam traheret; *Si est aliquod peccatum, quod vitari non possit, quomodo justus Deus dicitur, si imputare cuipiam creditur, quod vitari non possit?* Quid ad hæc porro Divinæ Gratiæ Vindex respondet? *Peccatum* (inquit) *est, cum non est Charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit.* Cum autem importunus Cavillator quæstionem alteram movisset: *Si non potest homo sine peccato esse, cujus culpa est? Ipsius ne hominis, an cujusvis alterius? Si ipsius hominis, quomodo culpa est, si hoc non est quod esse non potest?* Jactis principiis hærens S. Doctor, inquit: *Respondetur ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato; quia sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non possit.* Ut hinc noveris imputando peccato satis esse si quis in illam, quævis tandem illa sit, peccandi necessitatem se sponte conjecerit.

Sciendum III. Quod hanc ipsam Moralis Christianæ regulam ab Augustino petitam Scholis sacravit Doctor Angelicus, ut hoc idem evinceret: Delicta scilicet peccatoribus omni interdum possibilitatis auxilio destitutis nihilominus imputari. Palmare est quod legimus lib. 3. contra Gentes cap. 160. ubi de Gratiæ necessitate disputat data opera. *Quamvis autem* (inquit) *illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur: sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit.* Hoc eodem nixus principio, peccata omissionis iis etiam vitio verti docet, qui implendi præcepti impotentia tenentur, si in eam se sponte conjecerint. Vide 2. 2. qu. 71. art. 5. & quæst. 79. art. 3. eo quoque redeunt statutæ a D. Thoma certæ regulæ de peccatis ex ignorantia culpata consecutis: hinc nata trita distinctio duplicis voluntarii, secundum se, & secundum suam causam, quam

quam exponit, & accommodat inſtituto 1. 2. qu. 77. art. 7. Quibus poſitis

Sciendum IV. Quod major eſt hominis mero depoſiti peccandi neceſſitas, quam ſufficientibus auxiliis deſtituti. Iſte enim ſervata ad utrumque libertate, ſolam amiſit ſufficientiam libertatis; ille ab utraque ſimul largius potitando devolutus eſt, ac mente everſus pecudum modo ruit in præceps. Quidni ergo potiori jure peccata ab homine ſufficientibus auxiliis deſtituto perpetrata, eidem crimini vertantur? Numquid voluntatem ad oppoſita potentem non gerit: an non noſcit, videt, eligit pro arbitrio? ſublatis enim auxiliis, non ſublata libertas eſt: & ſi qua demum incumbit peccandi neceſſitas, non illa abſoluta eſt, & a voluntate ſejuncta, qualis eſt neceſſitas moriendi in homine mortali, quæ neceſſitas manet etiamſi eam velis excutere; ſed eſt neceſſitas ex pertinaci ſui, & creaturarum amore deſcendens, adeoque voluntaria, ut quæ aliunde non provenit, quam ex corrupta, & depravata voluntate, imo nihil aliud eſt quam corrupta & depravata voluntas, ſeu conſtans peccandi libido. Nam ut ſcribit S. Bernardus ſer. 81. in Cant. *Neſcio quo pravo & miro modo ipſa voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec voluntas, cum ſit illecta, excludere neceſſitatem.*

Sciendum V. Quod hanc neceſſitatem, quæ procul abeſt a neceſſitate naturalis inclinationis, neceſſitatem infallibilitatis appellare amabunt Scholaſtici, qua quidem obdurati, & obcæcati, etiam actuali auxilio deſtituti, nunquam ad certum peccatum adiguntur, licet fieri non poſſit ut diu ſe ab omni contineant, & non in aliquod propriæ voluntatis impetu acti præcipites ferantur, juxta vulgatum illud Innocentii PP. I. Oraculum in Epiſt. ad Cartag. Conc. *Neceſſe eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*. Certe ſi bonis omnibus ſtomacho fuit lex illa a Molina excogitata, qua Deus illis omnibus gratiam ſuam certiſſime collaturus fingitur, qui pro naturalium virium facultate adniſi fuerint, ut nova ope muniti fructus æterna vita dignos edant; quidni potius movebit ſtomachum procuſum alterum paradoxum, quo ſtatuitur, iis omnibus actualem gratiam adfuturam, qui obſirmata mente peccare voluerint, ut ea luce perfuſi, æterna damnatione digni cenſeri poſſint? Quaſi jam gratia non implendæ dumtaxat legi neceſſaria cenſeatur; ſed & perpetrando peccato, & æternæ damnationi accerſendæ.

Sciendum VI. Quod erit fortaſſe, qui dicat, non omnia ſecuta peccata homini mente everſo, ac largiori potu depoſito imputari, tametſi ſua culpa in ebrietatem incurrerit; ſed ea tantum, quæ ſibi eventura præviderat. Atque ita nec homini obdurato ſufficientibus auxiliis deſtituto imputatum iri delicta, quæ is eventura ſibi nullatenus ominabatur: maxime cum multos invenire liceat obduratos, qui nuſquam ſibi ſubtractum iri auxilia ſufficientia certo credant. Verum non advertunt qui hæc nobis obtrudunt, petitum a nobis ex ebrietate validiſſimum argumentum, ex illorum numero eſſe, quæ a majori ad minus ſchola vocat; Cum deterior hominis conditio ſit ebrii, quam Divinis auxiliis deſtituti; nihilque propterea adverſæ parti obventurum, ſi forte rueret, tametſi multum ex eo præſidii nobis accedat, ſi ſuo ſtet robore. Fieri quippe poſſet, ut quæ minus homini vino calenti imputantur peccata, obdurato atque deſerto vitio verterentur: quod ille nec ſui compos, nec liber omnino ſit, iſte mente integer, ac ſui dominus. Cæterum

Sciendum VII. Quod tametſi demus quod mitior Theologorum ſententia ponit, homini ſcilicet præ nimia potatione everſo, ea tantum ſecuta peccata vitio dari, quæ ſibi eventura præviderat; non eo tamen laxitatis veniunt Theologi illi, ut exiſtiment, ea diſtincte ac ſecundum illorum ſpeciem genuſve prævideri debuiſſe, ut demum vitio verti poſſint; ſed ſatis eſſe ajunt, ſi in communi præviſa ſint, imo ſi vel ſolum prævideri debuerint, ob pravæ inclinationis experimentum, uti explicat Card. Cajetanus eorum unus 2. 2. qu. 150. art. 4. cujus verba dedimus in cap. ant. Jam vero quis putet, peccatorem toto illo temporis tractu, quo longum ſcelerum funem ducit, quo demum obduratio ac cæcitas conſummatur, nuſquam vel in communi prævidiſſe, in quot quantave peccata lapſurus eſſet, ubi tandem

dem in profundum abyssi venisset? Aut certe quis neget, hæc ab eo prævideri debuisse, ac quam facillime potuisse, dum toties relapsus, totiesque peccato victus proclivem in omne scelus animum experiretur? Quapropter

Sciendum VIII. Quod insulsum est, quod subjungitur, obduratos multos esse, qui nusquam sibi subtractum iri auxilia sufficientia certo credant: satisque mirari nequeo Vasquezium tam futili argutia Augustinum tanquam admoto ariete pulsasse 1. p. disp. 97. c. 4. Quasi vero tremenda judicia Dei vanis hominum opinationibus metiatur Deus, iisque auxilia sufficientia subtrahere nequeat, qui ea sibi nusquam sublatum iri, seu vere, seu falso crediderint! Addiderim ad causæ cumulum, longe verius sentire Theologos illos, qui missa quavis peccatorum ex ebrietate secutorum distinctione, omnia vitio verti putant. Enim vero nec D. August. nec D. Thom. ea distinctione usi inveniuntur, sed universa indiscriminatim eadem sorte involvunt, ubi semel ebrietas peccato contracta est. Quin etiam peccatorum ebriis imputandorum rationem indigitat Doct. Angelicus 2. 2. q. 150. art. 4. universis plane communem, quia scilicet *Peccatum sequens redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus: in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum.*

Sciendum IX. Quod futile etiam est, quod nonnulli incommodum regerunt, ut invictam Augustini, & Doctoris Angelici rationem elidant. Nempe, inquiunt: Si imputando peccato satis esset, ut ex peccato antecedenti soboleresceret, consequens fore, ut & motus primo primi, ignorantia invincibilis, amentia nascendo contracta, atque etiam infidelitas negativa, crimini verterentur; utpote quæ ex originali peccato fructificarint. Enim vero non quodcumque peccatum prævium secuto peccato imputando satis esse diximus, sed illud dumtaxat, quod libera voluntate a nobis admissum est. Licet enim ad peccatum originale, quod est peccatum naturæ, sufficiat voluntarium in Adamo, non tamen sufficit ad peccatum actuale, quod est peccatum personæ, ut explicat D. Th. in 2. sent. dist. 50. qu. 1. art. 2. Et ideo Alexand. VIII. anno 1690. die 24. Augusti, inter alias propositiones damnavit hanc ordine primam: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Judicium enim de actu non fit ex causa remota.

Sciendum X. Ex dictis, quod confirmata remanet hæc regula Christianæ Moralis, scilicet: Dans operam rei illicitæ non excusatur totaliter a peccato ex suo opere subsecuto, tametsi illud nunquam prævideriț, aut etiam totam extrinsecam diligentiam adhibuerit, ne forte consequeretur; Non enim potest sufficientem diligentiam unquam adhibere, nisi desistat ab opere illicito, & sic causam per se alterius peccati removeat. E contra dans operam rei licitæ debitam diligentiam extrinsecam adhibens, ne forte aliquod malum contingat, si casu accidat, excusatur totaliter a peccato, cui causam non præbuit, nec per se ratione operis liciti, quod malum fructificare non potest: nec per accidens ratione negligentiæ. Et ideo secundum Jura in Decret. dist. 5. *Si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur;* uti legere est apud D. Thomam 2. 2. qu. 64. art. 8.

CAPUT VII.

Utrum Ignorantia diminuat peccatum.

Quidquid est ratio remissionis peccati, alleviat peccatum: sed ignorantia est hujusmodi, ut patet 1. ad Tim. 1. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Ergo ignorantia diminuit, vel alleviat peccatum. Ad cujus evidentiam

Sciendum 1. Quod quia omne peccatum est voluntarium, in tantum ignorantia potest diminuere peccatum, in quantum diminuit voluntarium: Si autem voluntatem non diminuat, nullo modo diminuet peccatum. Manifestum est autem, quod ignorantia, quæ totaliter a peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed omnino aufert. Ignorantia vero, quæ non est causa peccati, sed con-

comi-

comitanter ſe habet ad peccatum, nec minuit peccatum, nec auget. Illa igitur ſola ignorantia poteſt peccatum minuere, quæ eſt cauſa peccati, & tamen totaliter a peccato non excuſat. Contingit autem quandoque quod talis ignorantia directe, & per ſe eſt voluntaria: ſicut cum aliquis ſua ſponte neſcit aliquid, ut liberius peccet, ſecundum illud Job. 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*, quæ dicitur ignorantia affectata; & talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum; ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi, uti notat S. Thomas 1. 2. qu.76. art.4. Ad hoc genus ignorantiæ pertinet ignorantia illa, qua quis volens, & ſciens eligit ſequi in praxi opinionem, quam directe judicat minus probabilem, ſeu magis falſam quam veram, in concurſu probabilioris, & tutioris; voluntarie enim avertit oculos a ſplendoribus veritatis, quæ magis e propinquo illi manifeſtat obligationem legis, ut indulgeat ſuæ libertati, ſola prudentia carnis ſe dirigens, quæ inimica eſt Deo, ut dicit Apoſtolus Rom. 8.

Sciendum II. Ex Div. Thoma art. cit. *Quod quandoque vero ignorantia, quæ eſt cauſa peccati, non eſt directe voluntaria, ſed indirecte, vel per accidens, puta, cum aliquis non vult laborare in ſtudio, ex quo ſequitur eum eſſe ignorantem: vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate, ex quo ſequitur eum inebriari, & diſcretione carere: & talis ignorantia diminuit voluntarium, & per conſequens peccatum. Cum enim aliquid non cognoſcitur eſſe peccatum, non poteſt dici quod voluntas directe, & per ſe feratur in peccatum, ſed per accidens: unde eſt ibi minor contemptus, & per conſequens minus peccatum*. Ad hoc genus ignorantiæ pertinet ignorantia illorum, qui eligunt quidem ſequi in praxi opinionem, quam probabilius judicant veram, ideoque legi Dei conformem, poſthabita opinione tutiori; ſed judicio præcipiti, nulla prorſus, vel perfunctoria ſolum adhibita diligentia ad indagandam veritatem, de qua dicitur in Pſalm. 118. *Lex tua veritas*. Quibus in memoriam revocare oportet illud monitum primæ Joan. 4. *Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quia multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum... Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*. Solvit autem Jeſum, qui de ſe ipſo teſtatur Joa. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*, Matth. 5. *qui ſolveret unum de mandatis minimis;* ut indulgeat quam par eſt ſuæ libertati. Unde dicit Auguſtinus in 3. de Doctr. Chriſt. *Conſulere debet quis regulam fidei, quam de ſcripturarum plenioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit*. Quapropter

Sciendum III. Quod ſicut Auguſtinus notat lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. *Vigiliis continuis excubant juſti, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris effundant, ne quod bonum eſt malum, quod malum eſt bonum eſſe credatur*. Æqualis enim periculi eſt error, ſive quo bonum ſeu licitum eſt, & a lege Divina permiſſum, auſteriori quam par eſt ſpiritu malum eſſe credatur; ſive quo malum eſt, ardentiori quam Chriſtianum deceat libertatis amore, bonum eſſe fingatur. In illo enim non attenditur humanæ naturæ imbecillitas, jugo legis addendo: in iſto debita humanæ naturæ ſubjectio ad legis imperium excutitur, de legis onere ſubtrahendo: in uno onus grave efficitur, contra id, quod Jeſus dicit Matth. 23. *Onus meum leve;* in altero nimia ſuavitatis dulcedine Jugum deſtruitur, contra quod idem Jeſus dicit Matth. 23. *Jugum meum ſuave eſt*. Unde nec Jugum a ſuavitate, nec ſuavitas a jugo ſejungi debet; In uno enim deſperationis ſemita, in altera præſumptionis via ſternitur, & utriuſque terminus idem certa damnatio. Et ideo Doctor Angelicus divina luce perfuſus, & Sancto Dei timore concuſſus, inquit Quodl. 9. art. 15. *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur*. Quod periculum declinare ſatagens Jus canonicum ex utraque parte, duas ſtatuit regulas a jure naturali derivatas, quarum Prima eſt: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Altera *In obſcuris id, quod veriſimilius eſt, ſequimur*. Quibus regulis nixi Summi Pontifices Innocentius XI. & Alexander VIII. utrumque extremum declinantes, Primus nimiam laxitatem, Alter nimium rigorem in opinando,

nando, ſtatuerunt, non eſſe licitum ſequi in praxi quamvis probabilitatem: nec eſſe illicitum ſequi probabilitatem excedentem, ſeu opinionem inter probabiles probabiliſſimam.

Sciendum IV. Ex D. Thoma in hoc art. ad 1. *Quod ignorantia, ſecundum quam omnis malus eſt ignorans, ut dicit Philoſ. in 3. Ethic. cap. 1. non eſt cauſa peccati, ſed aliquid conſequens ad cauſam, ſcilicet ad paſſionem, vel habitum inclinantem in peccatum.* Et ideo non diminuit peccatum, ſed eſt communis in omni peccato, & gravitatem peccati conſequitur: & vocatur ignorantia malæ electionis, ſeu malam electionem inducens in ſingulari agibili, contra ſcientiam juris, quam peccans habet in habitu, ut explicat D. Thomas 1. 2. qu. 77. art. 2. Corrupta enim inclinatione appetitus circa fines virtutum moralium, vel permanenter per habitus pravos, vel tranſeunter per impetum paſſionis inſurgentis, conſequens eſt, quod pervertatur judicium rationis in particulari agibili, quod pertinet ad defectum prudentiæ, quæ eſt recta ratio agibilium; unuſquiſque enim apprehendit, & judicat ſecundum quod afficitur ad objectum: ex quo ſequitur mala electio in voluntate, quæ fertur in bonum apprehenſum ab intellectu, eique ab ipſo repræſentatum ut conveniens; cum poteſtate tamen ad illud repudiandum; & ideo a peccato non excuſatur, maxime quia etiamſi aliqua quaſi neceſſitate videatur impelli, tota voluntaria eſt, nec a voluntate ſejuncta, cum nihil aliud ſit hæc neceſſitas, quam corrupta, & depravata voluntas; quæ cum ſit illecta, neceſſitatem non valet excludere, & tamen iſta neceſſitas, cum voluntaria ſit, peccatum excuſare non valet.

Sciendum V. Quod illa ergo ſola ignorantia poteſt peccatum minuere, quæ eſt cauſa peccati, & tamen totaliter a peccato non excuſat eo duplici modo, de quo dictum eſt ſupra in cap. 5. Nec valet ſi dicas: *Ipſa ignorantia peccatum eſt, ut dictum eſt ſupra: ſed peccatum additum peccato facit majus peccatum: ergo non diminuit peccatum.* Ad hoc enim reſpondet D. Thomas: *Ad ſecundum dicendum, quod peccatum peccato additum facit plura peccata, non tamen facit ſemper majus peccatum, quia forte non coincidunt in idem peccatum; ſed ſunt plura, & poteſt contingere, ſi primum diminuat ſecundum, quod ambo ſimul non habeant tantam gravitatem, quantam unum ſolum haberet: ſicut homicidium gravius peccatum eſt, ſi ſit a ſobrio homine factum, quam ſi fiat ab ebrio homine, quamvis hæc ſint duo peccata, quia ebrietas plus diminuit de ratione ſequentis peccati, quam ſit ſua gravitas.* Unde colliges, quod peccatum in cauſa, quod non fuit præcognitum, quando coincidit cum cauſa in idem peccatum, eſt circumſtantia peccati, illudque aggravat, directe etiam in executione, uti patet in eo, qui occidit hominem, neſciens eſſe ſuum patrem; ſed ſimul alleviatur in ſuo genere ratione ignorantiæ. Quando vero non coincidit in idem numero peccatum cum ſua cauſa, uti patet in homicidio facto ab ebrio, eſt alterum peccatum, quod tamen ratione ignorantiæ multum alleviatur, ut dictum eſt; licet in intentione aggravet peccatum a quo cauſatur, quia quodammodo ad ſpeciem ejus pertinet; pejor enim cauſa eſt, ex qua plura mala per ſe conſequi poſſunt, uti docet Divus Thomas 1. 2. quæſt. 73. artic. 8.

Sciendum VI. Neque dicas ad infirmandam traditam doctrinam: *Non eſt ejuſdem aggravare, & diminuere peccatum: ſed ignorantia aggravat peccatum, quoniam ſuper illud Apoſtoli Rom. 2. Ignorans quoniam benignitas Dei &c. dicit Ambroſius: Graviſſime peccas, ſi ignoras. Ergo ignorantia non diminuit peccatum.* Reſpondetur enim ex D. Thoma ad 3. *Dicendum, quod verbum Ambroſii poteſt intelligi de ignorantia ſimpliciter affectata: vel poteſt intelligi in genere peccati ingratitudinis, in qua ſummus gradus eſt, quod homo etiam beneficia non recognoſcat: vel poteſt intelligi de ignorantia infidelitatis, quæ fundamentum ſpiritualis ædificii ſubvertit.* Prima ergo graviſſima eſt ex parte cauſæ, ſeu intentionis, ex vi cujus eligitur ad liberius peccandum. Altera graviſſima eſt ex parte actus proprii ipſius ingratitudinis, qui eſt contemptus beneficiorum, in quo ſummus gradus eſt, quod homo etiam beneficia non recognoſcat. Tertia graviſſima eſt ex parte effectus, quia fundamentum ſpiritualis ædi-

ædificii subvertit. Prima gravitatem habet ex parte finis, & aggravat peccata, quorum est causa, ratione majoris inclinationis voluntatis ad malum, & per consequens facit peccata esse magis voluntaria. Duæ posteriores consequuntur gravitatem ex genere operis. Diversa autem ratio est de ignorantia, quæ est causa actus, & solum ex negligentia provenit, quia facit quod peccatum sit minus voluntarium, & cum minori contemptu fiat, & per consequens sit venia dignum.

Sciendum VII. Quod denique non valet, si objicias: *Si aliqua ignorantia diminuit peccatum, hoc maxime videtur de illa, quæ totaliter tollit usum rationis: sed hujusmodi ignorantia non diminuit peccatum, sed magis auget; dicit enim Philos. in 3. Eth. c. 5. quod ebrius meretur duplices maledictiones. Ergo ignorantia non minuit peccatum*. Ad hoc enim ita respondet D. Thomas. *Ad quartum dicendum, quod Ebrius meretur quidem duplices maledictiones propter duo peccata, quæ committit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur: tamen ebrietas ratione ignorantiæ adjunctæ diminuit sequens peccatum, & forte plus quam sit gravitas ipsius ebrietatis, ut dictum est*. Unde colliges, quod peccata, quæ fiunt per ignorantiam facti, ut ea quæ fiunt ab ebrio: vel circumstantiæ particularis, ut patet in eo, qui percutit hominem, nesciens esse patrem; distrahuntur per ignorantiam a gravitate suæ speciei, & transferuntur proportionaliter ad gravitatem suæ causæ, cum qua proinde commensurantur. Et ideo ignorantia aliquando potest tantum diminuere de peccato sequenti, ut illud transferat de mortali in veniale, puta si ignorantia ex negligentia levi causata sit. Cujus ratio est, quia participant rationem voluntarii solum a sua causa, cum in se ipsis involuntaria sint, utpote non cognita. Et eadem ratio est de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia culpabili juris positivi: secus autem de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia juris naturalis; hæc enim in se voluntaria sunt directe voluntate facti, utpote cognita secundum suam speciem, quam habent ex conversione ad objectum, sicut patet ex dictis. Qua de re vide Cajetanum 1.2. qu. 76. art. 4.

Sciendum VIII. Quod D. Thomas argumento, quod quarto loco in hoc art. sibi obviam fecit, hac alia responsione satisfacit: *Vel potest dici, quod illud verbum* (Philosophi scilicet) *inducitur secundum ordinationem cujusdam Pythaci legislatoris, qui statuit, ebrios, si percusserint, amplius puniendos, non ad veniam respiciens, quam ebrii debent magis habere, sed ad utilitatem, quia plures injuriantur ebrii, quam sobrii, ut patet per Philosophum in 2. Politic. circa fin.* Cujus rationem dat S. Thomas 1. 2. qu. 18. art. 4. ubi in corp. art. inquit: *Dicendum, quod pœna potest dupliciter considerari. Uno modo secundum rationem pœnæ, & secundum hoc pœna non debetur, nisi peccato; quia per pœnam reparatur æqualitas justitiæ, in quantum ille, qui peccando nimis secutus est suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur. Unde cum omne peccatum sit voluntarium, etiam originale, ut supra habitum est 1. 2. qu. 81. artic. 1. consequens est, quod nullus punitur hoc modo, nisi pro eo quod voluntarie factum est. Alio modo potest considerari pœna, in quantum est medicina, non solum sanativa peccati præteriti, sed etiam præservativa a peccato futuro, vel etiam promotiva in aliquod bonum: & secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa*. Et hoc modo ebrius, secundum ordinationem illius Pythaci, majori pœna puniendus est, quam ejus culpa simpliciter mereatur, ad utilitatem, & simul ad exemplum aliorum. Quæ dicta sint satis de peccatis, quæ per ignorantiam fiunt, ad utilitatem studiosæ juventutis, & honorem, & gloriam Dei Opt. Max.

FINIS.

IN-

I N D E X

Accuratiſſimus rerum, quæ in hoc Quinto Tomo continentur.

Littera P *paginam denotat*, *littera* C *columnam.*

Epi-

I

Jejunium.

Jejunii præceptum.

Jejunium Ecclesiasticum.

Igno-

N

Pos-

Pri-

Qui,

Sine

Vota

LAUS DEO.

Pag.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Errata*	*Corrige*
11	1	21	deo	ideo
21	2	51	deformitas	difformitas
25	1	51	Oftium fanctum	Otium fanctum
29	2	42	vel Juftitia	vel Juftitiæ
34	1	20	fe obligat	fe obligant
62	1	4	quia facit	quia non facit
72	2	27	Oftium fanctum	Otium fanctum
89	1	24	referatur	ne feratur
90	1	24	difpofitum	difpoticum
120	2	38	religionis	religiofis
137	2	32	fiat mentio	non fiat mentio.
145	1	33	Eugenii	Eugenius
147	1	2	fuos fubdito	fuos fubditos
176	2	47	Generales	Generalis
197	2	penul.	nnexi	annexi.
212	2	25	confuetudine	confuetudinem
212	2	35	fuperiori	fuperioris
225	1	50	attendendi	afcendendi
234	1	2	arcæ	areæ
234	1	19	ad exactione	ab exactione
234	2	6	tradit	tradita
241	1	19	faciliu	facilius
249	1	13	jure	ire
252	2	42	conficiunt	conficiuntur
279	2	49	ordo pœxitentiæ	ordo pœnitentiæ
303	2	34	Ignorans quoniam	ignoras quoniam

